



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>







KW 1118

E 13





# THEOLOGIA

CONCIONATORIA

DOCENS ET MOVENS!

## TOMUS II.

IN DECALOGUM

*De Præceptis secunda Tabula.*

AUCTORE

P. F. CONSTANTINO LETINS!

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ  
Comitatûs Flandriæ S. JOSEPH, in Cathedrali  
Leodiensi Stationario Flandro.


*Editio tertia, priore multis accuratius  
atque emendatior.*



LEODII,

Expensis GUILHELMI IGNATII BRONCART, Anno 1773

*Cum Approbatione & Superiorum Permissu.*





# AIR FORCE HEADQUARTERS CANADA

*[Faint, illegible text, possibly a letter or memorandum header]*



*[Faint, illegible text at the bottom of the page]*



## PROLOGVS

*Ad Amicum Lectorem!*

**S**anctus Paulus Apostolus, Tuba illa Evangelica & Prædicator Gratia, rationem reddens Prædicationis suæ, dilectis sibi Corinthiis inter cætera sic protestatur: *Ego cum venissem ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientia humanæ, quæ ad nihil utilis est, nisi ut vanos vanè inflat atque extollat. Quomodo ergo venit? quomodo prædicavit? Proinde, inquit, sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.*

1. ad Cor. 2.

Ab hac autem Apostolica methodo & spiritus virtute toto cælo aberrare convincuntur illi, qui omnes ingenii nervos ad hoc solum intendunt, & quorum sermo fucatus ad nihil aliud collimat, quàm ut declamationibus exquisitis, sermonumque quibusdam inthecebris ac Rhetorum phaleratis dicendi flosculis Auditorum aures mulceant, & vanâ eloquentiæ aurâ seipsum in hoc sæculo palpent. Profectò, ait S. Prosper, *alia est ratio Declamatorum, & alia debet esse Doctorum. Illi elucubrata declamationis pompam totis facundia suæ viribus concupiscunt: isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam querunt... Illi totam laudem suam in favore vulgi, isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, & nihil Auditoribus suis declamando proficiunt: isti usitatis sermonibus docent & imi-*

S. Prosper  
lib. 1. de  
vita contem-  
plat. c. 24.

P R O L O G U S.

*Oratores suos instituunt, quia rationem nullā su-  
rata compositionis affectatione corrumpunt.*

Si quæras, in exhortationibus, ad Popu-  
lum rectè & christiane instruendum, quæ sit  
tenenda ratio, prosperè respondet idem S.  
Prosper ibid. lib. 3. & ego cum eo : De accu-  
ratione dictionis elucubrata non satago, nec mihi  
pudori est, si disputatio mea, quæ fortè probatur  
in rebus, aliquos verborum inanum sectatores  
horrore incomptæ orationis offendat : etenim cum  
sententiarum vivacitate sermo ex industria cul-  
tus enervet, quis non iudicet me affectationem  
compositionis debuisse contemnere, etiamsi eam po-  
tuissim, veluti dicendi peritus, implere? Qua-  
propter ea mihi visa est compositio satis ornata,  
quæ conceptionem animi cum necessaria quadam  
perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium  
deserviret; nam & prudentibus viris non placent  
phalerata, sed fortia : quando non res pro verbis,  
sed pro rebus numerandis verba sunt instituta.

Pro unico ergo scopo, ad quem omnis ora-  
tionis periodus collimet, Catholicus Orator  
habere debet solam MAJOREM DEI GLORIAM  
& POPULI UTILITATEM : à quo toto cælo  
aberrare censendi sunt novelli illi Prædicato-  
res, qui ubi vix, ut ita dicam, Theologiæ li-  
mina salutarunt, & Cathedræ applicantur, ad  
subtilitates Philosophicas & Theologicas dis-  
putationes, aut obscuriorum S. Scripturæ lo-  
corum operosas commentationes evagari de-  
lectantur. Quid enim ( ut cum erudito ac de-  
voto nostro Patre Dernoy in cap. 9. Regulæ  
§. 7 loquar ) magis impertinens, quam coram  
nautis, fabris, agricolis aut mulierculis fuisse  
disputare allegorias Cantici Canticorum, va-  
rias Scholasticorum sententias de divinis Re-  
velationibus, de Angelorum locutionibus aut

PROLOGUS.

de arcanis divinæ gratiæ & prædestinationis  
Mysteriis superbè differere? qui, ut idem Au-  
ctor ibidem subdit, sic semper in sublime vo-  
lare videri volunt, ut materias morales vel  
catechisticas, tamquam minùs honorabiles,  
& suo Pulpito indignas, solisque pueris ex-  
plicandas, tractare Populoque inculcare fa-  
stuosè dedignentur.

Periculosa profectò superbia, quæ animas  
Christi Sanguine redemptas, doctrinâ summè  
necessariâ non sine salutis æternæ dispendio  
sæpiùs defraudat! Quis enim nesciat plurimos  
provectoris etiam ætatis in rebus Fidei & ob-  
ligationibus hominis Christiani tam com-  
munibus quàm particularibus, adeò ignaros  
esse, ut propter culpabilem similem incertam  
in salutis periculo versentur? Quis nesciat si-  
miles non rarò, imò verò ordinariè cum pue-  
ris Catechismos frequentare, aut pro necessa-  
ria instructione Pastores suos accedere, huma-  
nitùs pùdere? Horù autem timiditati pruden-  
ter consulitur, dum generaliter omnes in sci-  
tu necessariis per Ecclesiasten instruantur, &  
hic non ad gloriolam propriam, aut vanam  
curiosarum aurium plausum, sed ad UTILITA-  
TEM POPULI, eidem verba facit. Proinde, ait  
S. Greg. M. *debet subtiliter is qui docet perspicere*  
*re, ne plus studeat predicare quam ab audiente*  
*capiatur. Debet enim ad infirmitatem audientium*  
*semetipsum contrahendo descendere, ne dum par-*  
*vis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se*  
*magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse.*

Greg. lib.  
20. Moral.  
cap. 21.

Expertus loquor, inquit Jacobus Marchan-  
tius Tubæ Sacerdotalis Tract. I. foliò mihi  
1165. tot esse Concionatores per rurales Eccle-  
sias discutrentes, adeò exiguo cum fructu, eò  
quod capacitati plebis neutiquam sese accom-

PROLOGUS.

17 modent. Risum, imò partim & stomachum  
 18 mihi movit quidam rusticanæ plebi prædicans  
 19 super Evangelio de Nuptiis in Cana Galilææ.  
 20 Statim initio Concionis opinionem Durandi  
 21 Theologi antiqui proponebat, docentis quòd  
 22 Matrimonium non videatur esse Sacramen-  
 23 tum; eam verò opinionem proponebat cum  
 24 omnibus singillatim argumentis ejus Theolo-  
 25 gicis, ac deinde ea solvebat. Hæc prima pars  
 26 Concionis. Secundam dividebat in Nuptias  
 27 quadruplices, litterales, allegoricas, tropolo-  
 28 gicas & anagogicas: & hi termini repeteban-  
 29 tur frequentissimè toto Concionis decursu,  
 30 ita ut certò crederem, ob terminorum istorum  
 31 involutam repetitionem, in qua sibi Concio-  
 32 nator complacere videbatur, vix vel unam  
 33 Concionis periodum à Rusticis intellectam.  
 34 Alter quidam coram eadem rustica plebe de  
 35 B. Virgine Concionem adornans, primam  
 36 partem totam infumebat in explicandis singu-  
 37 lis proprietatibus materiæ, quæ in Libro 1.  
 38 Physicorum traduntur, quòd materia prima  
 39 sit propè nihil, quòd sit pura potentia, quòd  
 40 sit merè passiva, &c. Deinde alias similes Co-  
 41 mœdias, dixerim potius Tragedias, idem Au-  
 42 ctor refert, quæ ipsi contigerunt. Scio & ego  
 43 in aliquo Pago contigisse, ubi in Ecclesia oc-  
 44 casionaliter aderant binì Regii Consiliarii,  
 45 quòd Concionator Concionem suam auspi-  
 46 caretur his formalibus terminis: *questio agita-  
 47 tur inter Juristas, volebat dicere Theologos,  
 48 an osculari sit peccatum.* Quibus à Consiliariis  
 49 illis cum risu exceptis, imò verò cum stoma-  
 50 cho & scandalo, illi mox discesserunt indi-  
 51 gnabundi. Quæ & qualia neutiquam eveni-  
 52 rent, si Concionatores intenderent solam uti-  
 53 litatem Populi, & essent EXAMINATA LO-  
 54 RUM ELOCUTIA.

Quibus & similibus inconvenientiis ut occurrat S. P. N. Franciscus in sua Seraphica Regula à Christo eidem dictata, sic cap. 9. suis præscribit: *Maneo quoque & exhortor eosdem Fratres, ut in Prædicatione quam faciunt, sint EXAMINATA ET CASTA EORUM ELOQUIA, ad UTILITATEM ET EDIFICATIONEM POPULI; annuntiando eis vitia & virtutes; poenam & gloriam cum brevitate sermonis. Notate verba, signate mysteria!*

Confusioni, si secus fecerimus, nobis intervi-  
viam exemplum magni illius & toto Orbe ce-  
leberrimi Parisiensis Cancellarii Joannis Ger-  
son, de quo memoriæ proditum est, quod  
post tot sanctos, & utilissimos labores, post  
ferventem adeò animarum zelum, post tot  
exactissima & eruditissima scripta, quibus no-  
men suum eternitati commendavit, non in-  
decorum sibi reputaverit ultimis vitæ sue an-  
nis parvulos in fidei rudimentis instruendo  
plurimum temporis religiosè impendere: &  
nos Populum in scitu necessariis instruere,  
& soli utilitati illius intendere præsumptu-  
sè dedignabimur? Absit, amice Lector. Hac  
inter cæteras præcipua fuit ratio, quod in de-  
cursu Concionum styllum planum tenuerim,  
imò interdum maluerim videri minus latinè  
loqui, quàm minus intelligi: quamvis enim  
nervosius materiam exprimere potuissem, eo  
equidem modo scripsi latinè, quem ad per-  
suadendum judicavi audientium animis effi-  
caciorem, & quo præter-propter dixi vel di-  
cerem vernaculè, ad quod multum me mo-  
vit sententia S. Basilii, quocum sentio & di-  
co: *Dictionis in affectata & incomposita simplici-  
tas decora mihi videtur, & conveniens professio-  
ni Christiani Doctoris, cujus est non ad ostensio-*

## P R O L O G U S.

Aug. l. 4<sup>a</sup>  
de doctr.  
Christ. c. 11.  
Exodi 6, 4.

nem magis scribere, quam ad PUBLICAM UTILI-  
TATEM. Hinc & Augustinus ait: *Bonorum in-  
geniorum insignis est indoles, in verbis verum  
quarere, non verba: quid prodest clavis aurea,  
si aperire quod volumus non potest; aut quid obest  
lignea, si hoc potest?*

Ecce, amice Lector, styli & dispositionis  
ratio, quia non sum eloquens ab heri & nudius-  
tertius. De cætero, cum Theologiam no-  
stram Concionatoriam ( si ex distractione  
atque exemplarium expetitione, quæ jam  
indè deficere incipiunt, judicare liceat ) Pu-  
blico non displicuisse videam, & prodesse  
confidam; indè stò verbis, atque ejusdem  
Tomum secundum juris publici facio, eodem  
stylo eademque methodo intra brevè tem-  
pus ( si Deus faveat ) prelo daturus Tomum  
tertium, in quo totum, quidquid de Præcep-  
tis divinis dicendum superest, explicabitur,  
ad cujus insuper calcem ( sic desiderant va-  
rii ) ad communem omnium commodita-  
tem, pro singulis totius Anni Dominicis,  
ex propriis Evangeliiis, iis diebus in Eccle-  
sia legi solitis, addentur Exordia talia, ut  
nihil eisdem defuturum sit, quin commodè,  
ut jacent, declamentur.

Denique & hunc Tomum Romanæ Eccle-  
siæ infallibili judicio eodem modo, iisdemque  
verbis, quibus Tomum primum, quæ pro  
hic insertis haberi cupio, humiliter submit-  
to, & amici Lectoris precibus ac sacrificiis  
commendatus, illi omnia fausta voveo.

# I D E A

Concionum quæ hoc Tomo continentur.

TOMUS II.

*De Præceptis secunda Tabula.*

TRACTATUS VII.

*De quarto præcepto Decalogi.*

Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, &c.

CONCIO XL.

*De obligatione prolium erga parentes in communi. Pag. 1*

**P**ARS I. quid hoc præceptum includat. 3

Parte II. discutitur quando mortaliter, quando autem venialiter dumtaxat in hac materia peccetur. 8

Parte III. adferuntur motiva ad strictam præcepti illius observantiam efficaciter inducentia. 12

CONCIO XLI.

*Quomodo proles teneantur parentibus suis subvenire. 14*

Pars I. quomodo & quando proles teneantur parentibus subvenire in spiritualibus. 15

Pars II. quandonam in temporalibus. 20

Pars III. quanta benedictio maneat proles in terra & in cœlo, quæ abundè obligationi suæ hîc satisfecerint. 22

CONCIO XLII.

*De obedientia quam debent proles parentibus. 28*

Parte I. docetur in quibus filii parentibus obedire debeant. 29

Parte II. quando in hac materia peccent mortaliter, quando venialiter dumtaxat, consequenter quale peccatum sit non obedire parentibus. 33

Parte III. exhortantur filii ut exemplo Christi Jesu parentibus in omnibus obediant. 36

CONCIO XLIII.

*De obedientia parentibus debita quoad electionem statûs. 41*

Parte I. explicatur quomodo & in quantum proles teneantur amare parentes. 42



Parte II. in quibus parentibus obedire non debeant. 46

Parte III. ad quid equidem tunc proles obligentur. 50

#### CONCIO XLIV.

*De iis qua debent parentes prolibus.* 55

Parte I. ostenditur ad quid matres teneantur ante & post partum respectu infantium. 57

Parte II. explicatur ad quid obligentur respectu filiarum, praesertim quae jam sunt vel incipiunt fieri nubiles. 63

#### CONCIO XLV.

*Quomodo obligentur parentes proles suas instruere.* 68

Parte I. obligatio haec parentibus explicatur. 70

Parte II. declaratur quam graviter Deum offendant, & sibi prolibusque noceant, qui in hoc puncto obligationi suae defunt. 75

#### CONCIO XLVI.

*Quomodo parentes curam prolium gerere, easque corripere debeant.* 80

Parte I. ostenditur proles non indiscretè diligendas. 81

Parte II. demonstratur quomodo proles delinquentes corrigi debeant. 88

#### CONCIO XLVII.

*De discretionem parentibus necessaria in filiis castigandis.* 90

Parte I. ostenditur quam crudeles in proles pariter & se ipsos sint parentes, qui proles delinquentes corrigere negligunt. 93

Parte II. declaratur quantà discretionem in hac materia opus sit, atque in eo deficientes quomodo & quando peccent. 99

Parte III. probatur quomodo efficacissimus proles emendandi modus, sit eas, quid faciendum, exemplis docere. 104

#### CONCIO XLVIII.

*De reciproca Conjugum obligatione, praesertim uxoris ad maritum.* 108

Parte I. ostenditur quomodo uxor maritum amare teneatur, & in quo amor ille consistat. 109

Parte II. docetur quomodo ei obedire debeat, & quando ac qualiter contra hanc suam obligationem peccet. 115

#### CONCIO XLIX.

*De obligatione mariti ad uxorem.* 121

Parte I. demonstratur quomodo viri debeant diligere uxorem. 123

Parte II. explicatur in quo amor ille consistat. 125

CONCIO I.

*De obligatione quam habent famuli & ancille respectu dominorum & dominarum suorum.* 135

Parte I. ostenditur quòd debeant dominos suos honorare.

137

Parte II. quòd debeant illis esse fideles. 140

Parte III. quòd debeant eis præstare obsequium. 144

CONCIO LI.

*De obligatione dominorum respectu famulorum.* 149

Parte I. declaratur quomodo domini obligentur alere famulos, & quando in hac obligatione deficiant. 151

Parte II. ostenditur quomodo eis suo tempore justam mercedem reddere obligentur, & quam graviter peccent, qui hoc non faciunt. 154

Parte III. rejiciuntur excusationes dominorum, quas frustra aliquando hoc aliqui pretendere videntur. 157

CONCIO LII.

*De statu viduicitatis.* 162

Parte I. ostenditur quàm consultum sit viduis à secundis nuptiis abstinere, & quot difficultatibus se exponant, qui eas suscipiunt, simulque vanæ, quas ut hoc faciant prætexant rationes, exploduntur. 163

Parte II. examinatur quomodo & quando viduæ peccent.

167

Parte III. declaratur quales olim fuerint viduæ, quæ ab Apostolis exigebantur, à fidelibus honorabantur, & publico Ecclesiæ servitio deputabantur. 169

TRACTATUS VIII.

*De sexto Præcepto Decalogi.*

CONCIO LIII.

*Non moechaberis.*

*De luxuria in generali.* 174

Parte I. examinatur in generali quàm universale sit luxurie vitium. 176

Parte II. ostenditur quòd omnis delectatio carnalis nihil sit, nisi vanitas vanitatum. 180

CONCIO LIV.

*De simplici fornicatione.* 184

Parte I. inquiritur quid sit simplex fornicatio, an & quale peccatum. 186

Parte II. enumerantur rationes quare, præsertim à Christianis fugienda sit. 189

Parte III. refutantur fuites rationes, quæ in excusationem hujus vitii prætendi possent. 191

### CONCIO LV.

*De pessimis luxuria effectibus.* 197

Parte I. ostenditur quòd luxuria pestis sit, à qua homines miserrimè corripiuntur, decipiuntur ac pereunt. 198

Parte II. declarabimus quomodo homines præsertim juvenes æstu libidinis abripiantur, & ut salventur, quid facere debeant. 201

### CONCIO LVI.

*De adulterio.* 207

Parte I. examinatur quid sit adulterium, & quanta ejus malitia. 208

Parte II. explicatur quàm fugiendum sit adulterium, & quàm inexcusabiles sint adulteri coram Domino. 213

### CONCIO LVII.

*De pessimis adulterii effectibus.* 218

Parte I. declaratur quomodo adulteri sæpè tot difficultatibus sese implicant, ut peritissimi etiam Theologi non reperiant viam, quã ab istis illos expediant. 220

Parte II. ostenditur quàm rarè & difficulter similes verè convertantur, & per consequens salventur. 226

### CONCIO LVIII.

*De aliis peccatis carnalibus.* 231

Parte I. inquiritur an coram populo de hac materia loqui expediat. 232

Parte II. declaratur quale & quàm grave peccatum sit voluntaria pollutio. 236

Parte III. ostenditur quòd nulla causa à culpabili illius procuracione excusare possit. 239

### CONCIO LIX.

*De eadem materia.* 244

Parte I. explicatur quomodo ut pollutio peccaminosa sit, voluntaria esse debeat in se, vel saltem in sua causa, quæ exinde effugienda est. 246

Parte II. demonstratur quomodo, quando illa voluntaria non est, sicut tunc nullum est peccatum, sic nec propterea sit omittenda S. Communio, sicut & quòd non sit efficacius

remedium taliter afflictis quàm sæpè dignè cōmunicare. 256

### CONCIO LX.

*De osculis & tactibus.* 255

Parte I. explicatur quandonam oscula sint peccata, quando autem non. 257

Parte II. probatur ex natura rei, ex S. S. Patribus, & ex Ecclesiæ definitione, quòd oscula quæ fiunt inter personas disparis sexûs, ordinariè sint peccata mortalia. 260

### CONCIO LXI.

*De periculoso mulierum aspectu.* 267

Parte I. explicatur quomodo, quando & quale peccatum sit incautus, fixusque alterius sexûs aspectus. 269

Parte II. adferuntur tot & talia motiva, ut ab immortificatione oculorum, ne quis per illos miserè pereat, efficaciter unumquemque deterrere valeant. 275

### CONCIO LXII.

*De turpiloquio & cantilenis inhonestis.* 280

Parte I. declaratur quantum peccatum sit proferre verba inhonesta. 282

Parte II. idem ostenditur quoad cantilenas lascivas. 285

Parte III. adferuntur aliqua remedia efficacia contra tam pestilens venenum. 289

### CONCIO LXIII.

*De inhonestis picturis.* 294

Parte I. ostenditur quàm abominabiles sint coram Deo, qui inhonesta pingunt, sicut & similibus picturarum emptores, venditores, ac libidinosi amatores. 295

Parte II. indagatur quomodo similes peccent, & vanis eorum excusationibus, quas prætendunt, larva detrahitur. 299

### CONCIO LXIV.

*De nudo, vano & inverecundo mulierum ornatu atque incessu.* 306

Parte I. explicatur quàm graviter mulieres peccent, quæ sic inverecundè ornate incedunt, vanæque earum excusationes refelluntur. 308

Parte II. efficaciter omnes à simili scandaloso incedendi modo deterrentur. 311

### CONCIO LXV.

*De eadem materia.* 317

Parte I. feminarum scandalosè sese exornantium ultorios

malitia declaratur, & vanæ excufationes refelluntur. 319

Parte II. omnes efficaciter à fimilibus nocivis vanitatibus deterrentur. 322

### CONCIO LXVI.

*De otio.* 330

Parte I. offenditur, quòd ex omnibus peccatis quæ ex otio oriuntur, & quòrum mater est, primogenita illius filia fit luxuria. 332

Parte II. adferuntur motiva, quæ efficaciter movent ad otium fugiendum. 338

### CONCIO LXVII.

*De ebrietate.* 344

Parte I. Theologicè examinatur quid fit ebrietas, & in quo malitia ejuſdem conſiſtat. 346

Parte II. ebrietas deſcribitur moraliter cum effectibus ejuſdem numquam ſatis deplorandis. 351

### CONCIO LXVIII.

*De cæteris peſſimis ebrietatis effectibus.* 359

Parte I. graphicè deſcribuntur deplorandæ ebrietatis effectus. 361

Parte II. inanes ebriorum excufationes in peccatis reſtantur. 366

### CONCIO LXIX.

*De luxuria in quantum eſt effectus ebrietatis.* 373

Parte I. declaratur quomodo in omnem luxuriam & ad deſperatum animæ ſtatum trahat ebrietas. 375

Parte II. examinatur quandonam & quomodo per ebrietatem ſimul graviffimè peccetur contra caſtita-tem. 381

### CONCIO LXX.

*De peccatis, præſertim inhoneſtis cogitationibus.* 388

Parte I. inquiritur quomodo, quando & qualia peccata ſint mala cogitationes. 390

Parte II. ad ſimiles cogitationes repellendas & ſuperandas, efficaciora adferuntur mediâ & remedia. 397

### CONCIO LXXI.

*De peccato veniali.* 404

Parte I. explicatur quid fit peccatum veniale, & quomodo à mortali diſtinguatur. 406

Parte II. declaratur quàm horrendè interdum etiam in hac vita à Deo fuerit punitum. 410

Parte III. demonſtratur quòd fit periculoſiſſima diſpoſitio ad peccatum mortale. 415

FACULTAS

Rev. adm. Patris F. HENRICI DIERNA, Ordinis FF. Minorum Recoll. S. Theol. Lectoris Jubilati, super Provincias Germano-Belgicas, eiusque annexas Commissarii Generalis cum plenitudine potestatis in utroque Foro, &c.

**T**HEOLOGIA CONCIONATORIA DOGENS & MOVENS in Decalogum, per V. P. Fr. Constantinum Letins Ordinis FF. Minorum Recoll. Provincia S. Joseph in Comitatu Flandria, in Ecclesia Cathedrali Leod. Stationarium Flandrum Tomus II. de Præceptis secunda Tabula composita, omnibus Ecclesiasticis & Regularibus proficua & perutilis est, uti experientia editionis Tomi I. nos docuit. Hinc & illam, præmissis à S. Concilio Trid. & Statutis Ordinis nostri prærequiritis, dignissimam typis censeo, & ad id licentiam concedo. Datum Bruxellis in Conventu nostro FF. Minorum Recoll. sub nostro Chyrogapho & Officii Sigillo minori, die 28. mensis Julii 1710.

Fr. HENRICUS DIERNA, Commissarius Generalis.

(Locus Sigilli.)

Facultas Rev. adm. Patris Provincialis FF. Min. Recoll. Prov. Flandr. &c.

**I**nfrascriptus Ordinis FF. Minorum Recoll. Prov. Flandriz Provincialis facultatem facio V. P. F. Constantino Letins, in Cathedrali Leod. Stationario Flandro, ut cum messito sanctæ obedientiæ mediante prelo in lucem edat THEOLOGIE CONCIONATORIE &c. Tomum II. ab eodem compositum, dummodò observentur ea quæ ex præscripto Concilii Trid. & Statutorum nostrorum Generalium observanda sunt. Datum Leodii sub nostro Chyrogapho & Officii Sigillo minori, hæc 26. Sept. 1710.

Fr. ENGELBERTUS STENBIER, qui supra.

(Locus Sigilli.)

Approbationes Theologorum Ordinis.

**E**X hac secunda parte THEOLOGIE CONCIONATORIE, &c. composita per V. P. F. Constantinum Letins Ordinis nostri Seraphici, ac Provincie S. Joseph Religiosum, & in Eccles. Cathedrali S. Lamberti Leod. Concionatore Flandrum (quam cum spiritali delectatione perlegimus) non minorem fructum speramus, quam ex priori; siquidem eodem laudibilibi passu pergit Auctor dilucidè atque efficaciter docere & movere, ut luce veritatis instruantur ignorantes, & frigida mortalium corda dulciter accendantur illo igne, quem Christus misit in terram, ac voluit vehementer accendi. Ita censetur Lovanii hæc 10. Novemb. 1710.

Fr. HENR. BUCKENTOP, Sac. Theol. Lector Jubilatus & Provincie Custos.

Fr. OTTHO VAN DALEM, Sac. Theol. Lector Jubilatus, ac Conventus Lovaniensis Guardianus.

A. L. I. A.

**S**ubsignatus S. Theol. Lector Jubilatus legi II. Tomum THEOLOGIE CONCIONATORIE, &c. per V. P. Constantinum Letins Ord. nostri FF. Min. Recoll. compositæ, & sicut in I. Tomo nihil inveni fidei vel bonis moribus contrarium, sed maxime verbi Dei prædicatoribus valdè utilem, ita & in secundo. Quare illum prelo dignum iudico. Datum Verviz hæc 15. Novemb. 1710.

Fr. SIMON BOURGUIGNON, qui supra.

A L I A.

**T**HEOLOGIE CONCIONATORIÆ Tomi primi Auctore V. P. F. *Constantino Letins* Ordinis nostri Concionatore & Theologo Censuræ de 6. Februarii anni currentis quoad Tomum II. inhærens, Opus approbo simul & laudo : Sicut enim Publico placuisse per distractionem majoris partis exemplarium Tomi I. experientia docet, sic & hic non potest non placere omnibus, qui conformiter ad intentum Concilii Tridentini Sess. 5. de Reformatione cap. 2. satagunt, ut plebes sibi commissas pro sua & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo qua scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciando eis cum breuitate sermonis, vitia qua eos declinare, & virtutes quas sectari oportet, ut pœnam aeternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Quod cum hic Auctoris factus perfectè efficiat, utpotè Catholicè DO-CENS & efficacissimè MOVENS, prelo dignissimum utilissimumque censeo. Datum Leodii in Conventu nostro FF. Minorum Recoll. hâc 1. Sept. 1710.

Fr. B. SIMONIS, *sacra Theologia Lector Jubilatus.*

A L I A.

**Q**uem V. P. *Constantinus Letins* Ordinis nostri FF. Minorum Recollectorum in Ecclesia Cathedrali Leod. Concionator Flandricus &c. huic Tomo II. præfigit titulum, nobis sedulo illum relegentibus visus est plenè justificasse : ita enim in docendo, clarus, in movendo effe-fficax, ut in neutro dissimilis, in utroque sibi sit, similis. In eo in-super nihil orthodoxæ fidei contrarium, nulla erroris suspicio, sus-pectæ veritatis nulla est umbra, sed via mandatorum Dei plana, me-dia, & regalis, neque ad sinistram videlicet laxitatis, neque ad dexte-ram exoticæ despectus severitatis, ac proinde laude & luce dignissi-mus est. Ita censebamus Gandavi in nostro FF. Min. Recoll. Con-ventu hâc 10. Decembris, 1710.

Fr. BERNARDUS DRAEGER,  
*sacra Theologia Lector.*

Fr. HIERONYMUS COGGHE,  
*sacra Theologia Lector.*

*Censura Examinatorum Synodaliurum.*

**L**egimus Librum cui titulus, THEOLOGIA CONCIONATO-RIA, &c. quem composuit R. Pater *Constantinus Letins* ex Ordi-ne S. Francisci, &c. Nihil invenimus in eo dissonum à fidei aut pro-borum morum regulis. Utiliter poterit in lucem edi ad zdicatio-nem, instructionemque fidelium, etiam & Concionatorum. Daba-mus hâc 9. Decembris 1710.

GREGORIUS TUTELAIRE, Abbas S. Laurentii,  
Examinator Synodalis.

BECKMAN, Decanus S. Joannis Evangelista,  
Examinator Synodalis.

*Facultas Ordinariis.*

Placet imprimatur. Datum Leodii hâc 9. Decembris 1710.

L. F. EPISCOPUS THERMOPOLENSIS,  
*Administ. Vicarius Gen. Leod.*

**THEOLOGIA**  
**CONCIONATORIA**  
**DOCENS ET MOVENS.**  
**TOMUS II.**

*IN DECALOGUM.*

*De Præceptis secundæ Tabulæ.*

---

**TRACTATUS VII.**

*De quarto Præcepto Decalogi.*

Honora patrem tuum & matrem tuam, &c.

**CONCIO XL.**

*De obligatione prolium erga parentes  
in communi.*

**THEMA.** Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Exodi cap. 20.*

- I.** **P**ostquam Dominus Deus in veteri lege **EXOD.**  
instruxit filiis Israël quoad obligationem, quam habent respectu Dei, tanquã primi principii sui esse, conservationis & salvationis, nempe quomodo colendus sit corde, verbo, & opere; corde, inquam, Deum amando, ore, ipsum laudando, opere autem colendo.  
*Tom. II.* **A**



do, simulque gravissimè prohibuit, quidquid  
amori laudique Deo debitæ ac cultui ipsius op-  
ponitur, statim incipit hominem instruere,  
quomodo se debeat habere respectu proximi,  
& primò quidem incipit ab obligatione, quam  
quisque habet, erga parentes suos. Sic autem  
meritò incipit à parentibus, utpote qui post  
Deum authores sunt vitæ nostræ & omnium  
quæ possidemus, ut proindè jure meritissimo  
post Deum primariò honorandi, amandi, &  
adjuvandi veniant. Sic Angelicè docet & expli-  
cat Doctor Angelicus S. Thomas : *Conveniens*  
*fuit, inquit, post præcepta quibus in Deum ordi-*  
*namur, dari hominibus præceptum de honoratio-*  
*ne parentum, quæ nostræ particulare principium*  
*sunt. Quod explanans, deindè subdit : Inter*  
*proximos maximè obligamur parentibus, & ideo*  
*immediatè post præcepta ordinantia nos in Deum,*  
*ponitur præceptum nos ordinans ad parentes, qui*  
*sunt particulare principium nostri esse, sicut Deus*  
*est universale principium : & sic est quadam affi-*  
*nitatis hujus præcepti ad præcepta prima Tabula.*

S. Thom.  
2. 2. q. 123  
a. 5.

2. Itaque præceptum Domini est, *honora pa-*  
*trẽ tuum, & matrem tuam*, ad quod ut præ-  
miis homines efficaciter invitet atq; permoveat,  
mercedem huic præcepto feridè obtemperantibus  
mox subjungit his verbis : *Ut sis longevus super*  
*terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Nec  
est quòd miretur quisquam Deum filiis Israël  
hoc mandatum observantibus mercedem pro-  
mittere terrenam ac temporalem : Cum enim hi  
carnales essent admodum, ad vitia proni, ac  
rebellioni murmurationibusque addicti, non  
tam futurorum in cœlis bonorum, gloriæque  
cœlestis piâ fiduciâ, cujus tunc tam perfectam  
necdum habebant notitiam, quàm promissione  
benedictionis, vel comminatione maledictio-  
nis inducebantur temporalis atque terrænæ.

3. Sed in lege nova, quæ lex amoris ac liber-

tatis appellatur & eſt, Chriſtus fideles ad ſtriſtam mandatorum Dei obſervantiam, amore magis quàm timore inducere conatur, undè dicit: *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Et ita ſecundùm S. Gregorium M. probatio dilectionis eſt exhibitio operis.

Jan. 24

Si ergo N. N. diligitis Deum, qui aded dilexit vos, & à quo tot beneficiis gratiſque eſtis præventi, oportet ut mandata ejus obſervetis, ſine quorum obſervantia nec Deum diligitis, nec eum diligere dici poteſtis. Ecce mandatum Domini eſt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Quod qui non facit, ſalutis ſuæ incurius, & Dei timore vacuus convincitur. Sed quomodo convincitur? quia, ait Sapiens, *qui timet Dominum, honorat parentes.* Argumentum à contrario ſenſu, ergo qui non honorat parentes, non timet Deum, ac proindè desperata eſt ſalus ipſius.

Eccli. 3

De hac obligatione ut hodie agere incipiam, oſtendam. 1. Quid hoc præceptum includat. 2. Diſcutiemus quando mortaliter, quando verò tantùm venialiter in hac materia peccetur. 3. Adferam motiva ad ſtriſtam illius obſervantiam inducentia. Priùs tamen

A V E M A R I A.

4. **U**T more ordinario quoad obligationes vi quarti præcepti Decalogi reſultantes fundamentaliter procedamus, prævidè aliqua ad clariorem cognitionem diligenter veniunt prænotanda.

PARS I

Notate itaque 1. quòd huic præcepto duplex obligatio involvatur: præceptum nempè affirmativum, quo obligamur parentibus quacumque datà occasione debitum deferre honorem; alterum negativum, vi cujus tenemur abſtinere ab omni ſeu verbo, ſeu facto, quo ipſos inhonoraremus, vel aliquà triftitiâ afficeremus: hocque præceptum negativum implicite conti-

netur in affirmativo; quia cui honorem præcipit Deus, eo ipso censetur inhibere omnem inhonorationem.

5. Hæc autem obligatio adeò clara est, & naturæ humanæ innata, ut invincibiliter ignorari nequeat: quia hîc, si alicubi, usui venit illud Davidis: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Inde homines, quantumvis barbari, & ab omni humanæ prudentiæ disciplina alieni, numquam non fecerunt, naturâ distânte, parentes esse honorandos: quia, ut bene notat S. Hieronymus, *natura probatur affectus, ut ordine charitatis post rerum parentem Deum, carnis pater diligatur & mater.* Imò qui parentes suos non honorant, diligunt & adjuvant, nomen filii non merentur, nec veri filii sunt, ait S. Chrysologus: *Tolle radium à Sole, inquit, & non lucet: rivum à fonte, & exsiccatur: raram ab arbore, & arescit: membrum à corpore, & putrescit: sic separa filium à devotione paterna, etiam non est filius.*

Hieronym.  
in Ex. ch.  
6. 44.

Quamvis verò hæc obligatio prolium ad parentes sit naturalis, & naturæ humanæ naturaliter indita, imò & ipsis brutis animalibus, prout experientia quotidiana attestatur, modus equidem illius obligationis non est adeò evidens. Volo dicere, quomodo & quando parentes honorandi sint, item quomodo & quando hoc non faciendo peccetur mortaliter, quando verò venialiter dumtaxat, non est ita manifestum. Quod ut manifestius fiat,

6. Notate 2. quòd illo præcepto, *Honora patrem tuum*, & primariò & principaliter debitus præcipiatur honor & reverentia, quâ parentes præveniendi sunt: qui honor præcipuè consistit in tribus, 1. nempe in amore, 2. in obedientia, 3. in reverentia. Ex quo consequenter deducitur, quòd quidquid uni ex his tribus adversatur, sive id fiat verbis, sive

ſignis, ſive opere, ſit peccatum mortale vel veniale pro qualitate & quantitate illius quod committitur, vel culpabiliter omittitur: ratio autem fundamentalis quare tunc ſic peccetur, eſt: quia & Deus jubet, & natura, ſeu recta ratio ſic dicitur. Vix enim aliquid reperitur, quod toties in ſacris Litteris commendatur, atque præcipitur, quàm debitus parentibus honor, ad quem ut Sapiens homines efficaci- ter inducat, dicit: *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Eccli. c. 7.

7. Profectò ſi multùm obligatos nos exiſti- memus illis, qui nobis benefaciunt, ſuſtentant, pecuniis ſubveniunt, &c. quantò magis paren- tibus devincimur, à quibus vitam, bona tempo- ralia, corpus ipſum habemus, imò quidquid propriâ noſtrâ indiſtriâ acquirimus vel acqui- ſivimus? Cogitabitis fortè N. N. quomodo paren- tibus debemus, quæ proprio labore, propriâ- que indiſtriâ acquiſivimus? hoc equidem ita eſſe prætendo ac probò: certum eſt, ſine paren- tibus non eſſemus, niſi per illos natus non fuiſſes. Si non eſſemus, ea nobis non acquiſiviſſemus; ergo ipſis debemus, quidquid acquirimus vel habemus. Conceptus ille ex verbis S. Ambroſii eruitur, dum dicit: *Paſce, ó fili, parentes, illi debes quod habes, cui debes quod es.*

Ex dictis ulteriùs deduco, quòd proles reſ- pectu parentum ad prædicta teneantur non ſò- lum ex pietate & charitate, ſed etiam vi juſtitie quodammodo. Ex eo enim quòd poſt Deum no- bis dederint eſſe, vi quaſi juſtitie tenemur eos amare, & omnimodè iis ſubjacere. Ex eo verò quòd nos aluerint, & in eo omnem ſollicitudi- nis affectum impenderint, tenemur iis obedire, tenemur & revereri. Undè quæ in his punèis contra parentes committuntur, non ſolum chá- ritati, ſed & quodammodo juſtitie videmur

adversari; & inde fortè est quòd tam notanter dixerit Sapiens suprà, *RETRIBUE* illis, *quomodo & illi tibi.* Non dicit tribue, sed *retribuas*, quòd aliquid plus significat quàm *tribue*. Q. Di. omnia quæ possides quodammodo mutuò recepisti à parentibus tuis, ut eadem tempore opportuno *retribuas* illis. Sicut ergo qui mutuum ab alio recipit, tenetur illud ex justitia tempore per contractum determinato reddere; sic accommodè dici potest, quòd proles teneantur parentibus reddere bona, sicut bona ab eis, quasi sub hac tacita conditione receperunt. Nonne hoc est quòd intendit S. Hieronymus, quando dicit: *Memento parentum esse, quòd talis es, quorum manibus incrementa suscepisti; exsolvo fili quòd debes. & debita officia qualicūque exhibe famulatur; quia parentibus nemo potest reddere quòd debet.*

9. Si verò nunc petatis quid parentibus vestris debeatis, totum dixerò dum dico, quòd eis debeatis sincerum amorem, ex quo capite tria obligatoriè adimplenda deducuntur. Primum est, nec malum eis velle nec facere. Secundum est, positivè eos amare, sive benè velle & benè facere. Tertium est, omnem injuriam, quantum humanitùs fieri potest, ab eis propulsare. Verùm-enim-verò si sic ex communi charitatis præcepto obligemur respectu proximi, quanto magis respectu parentum?

10. Ex his consequens est & indubitatum, quòd proles, quæ odio, malevolentia, vel gravi animi indignatione feruntur in parentes suos, vel illud aliquo signo ostendunt, de eorum infortunis gaudento, de prosperitatibus dolendo, malum eis desiderando, vel mortem exoptando, sive ut ab eis liberentur, sive ut citius ad desideratam pertingant hæreditatem, peccent mortaliter. Patet ex dictis, & passim ex pluribus sacræ Scripturæ locis. De quo si quis dubitet, attendat quid Deus præcipiat. Exodi cap. 21. *Qui*

*maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Theologi autem tenent pro regula generali, quod ubicumque in sacra Scriptura Deus fixâ lege statuit aliquod crimen morte puniendum, illud censerî debeat peccatum mortale.

Notetur in hac materia Propositio ab Innocentio XI. condemnata, quæ sic sonat: *Liitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.*

11. Horribilis est comminatio, quam similibus prolibus intentat Spiritus sanctus Proverbi. cap. 20. his verbis: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris.* Sed quid hoc est, *extinguetur lucerna ejus?* moraliter illud explanans à Lapide, notat quod per lucernam hîc intelligatur lætitia & prosperitas tam hujus quàm alterius vitæ: ad quod facit aliud ibidem cap. 13. *Lucerna impiorum extinguetur*, id est, impij in lætitia & felicitate hujus sæculi inexpectatò morientur, & felicitatem sempiternam numquam consequentur: & rectè sic interpretatur: quia sicut lucerna seu lampas constat ex oleo & lino, sic vita nostra sustentatur ex humido atque calore naturali; & sicut deficiente oleo necesse est ut lampas extinguatur, sic Deus auferet seu extinguet humidum radicale in media eorum lætitia atque prosperitate, qui parentes suos contempserint.

Denique ne his diutiùs immorer, hoc superaddo, quod Deus ipse præcipiat, ut hujus sui præcepti prævaricatores ab omnibus maledicantur: *Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem; & dicet omnis populus: Amen.*

Deut. 6. 27.

Quando ergo N. N. à Deo maledicerentur, & ipse vellet ut ab omni populo filii parentibus suis inobedientes maledicerentur, nisi non honorare parentes foret peccatum, & quidem gravissimum? Ratione hujus fortè petetis, &

meritò , quomodo & quando hîc aliquis in particularibus casibus peccet mortaliter ? Justa petitiô , cui ut satisfiat , sit

PARS II. 12. **E**X his principiis concludunt Theologi communiter. 1. Qui odio & pravo

affectu in parentes feruntur , etsi nullo signo externo illud manifestent , peccant mortaliter. Ratio clara est : quia id manifestè repugnat amori ex charitate & quasi justitiâ parentibus debito.

2. Idem dicendum est , & quidem à fortiori de eo , qui maledictionibus , contumeliis , verbis injuriosis parentes affligit atque contristat.

3. Etiam mortaliter peccant , qui parentes indigentes in suis domibus recipere nolunt , nisi ob rationabiles causas ipsos æquè honestè alibi sustentari procurent. Quid verò dicam de iis , qui illos in domibus suis recipiunt quidem , sed quasi vel peiori loco eos habent , quàm famulos vel ancillas , qui eos contristant , qui cum iis jurgia miscent , &c. Quid dicam de similibus , N. N. ? *Maledictus qui non honorat patrem suum , & matrem ; & dicet omnis populus : Amen.*

4. Nihil minùs judicandum de iis , qui parentes contemnunt , qui mores eorum substant , qui irrident , &c.

Porro ut adhuc clariùs unusquisque dijudicare queat quomodo peccaverit , vel contra honorem parentibus debitum peccare possit , claritatis gratiâ sequentes superaddo resolutiones.

13. 1. Omne odium , malevolentia , injuria gravis respectu proximi , gravissima judicari debet respectu parentum. Ratio est : quia quò major est obligatio aliquem honorandi , eò major est injuria & ingratitude , si ei non satisfiat : atqui gravissima est obligatio honorandi parentes , uti jam vidimus , ergo non honorare parentes gravissimum peccatum est. Proindè si sanctus Joannes dixerit , *qui odit fratrem*

1. Joan, 3.

*suum, homicida est*, non sine ratione à rationis paritate dici posset, qui odit patrem suum, parricida est. Et iterum, si ipsâ Veritate attestante Matth. 5. qui dicit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis; quid de eo futurum, qui patrem suum fatuum, vel matrem suam appellerit insanam?

14. 2. Odium, malevolentia, contemptus vel injuria, quæ respectu proximi est tantum mediocris, adeoque venialis, censeri debet, estque gravis respectu parentum, & per consequens peccatum mortale. Ratio est: quia gradus proximus sub Deo, sunt parentes; Si ergo respectu Dei in odio vel contemptu illius, si deliberatè fiat, non detur levitas materiæ, saltem mediocris respectu parentum injuria censenda est gravis.

15. Quoad prædicta tamen notandum est, quòd ea intelligenda veniant quatenus à filiis parentibus inferuntur, non semper quatenus à parentibus apprehenduntur; contingit enim non raro, quòd ex eo quòd parentes sint melancholici, exacerbati, prolibus minùs affecti, quamvis proles nullam vel tenuem admodum ratione subministrant, illi murmurent, exacerbentur, & quasi de gravi facta sibi injuria conquerantur.

Petes hinc forsitan, undenam hîc possit & sumi debeat gravitas materiæ, dum parentes se prætendunt affligi, contristari, vel à prolibus molestari?

16. Resp. illam debere mensurari ad veritatem commissionis vel omissionis. Si nempe proles aliquid faciant vel omittant, ex quo advertunt vel advertere debent parentes rationabiliter contristandos aut exacerbandos, etsi à parte rei hoc in se magnum non foret. Exemplo inserviat factum Esau; non ignorabat Esau patrem suum Isaac graviter contristandum, si de filiabus Canaan uxorem acciperet, quòd tamen ex se malum non erat, accipiendo equidem pecca-



bat ille mortaliter , quia sine justa causa faciebat id , quod sciebat parentibus meritò graviter displiciturum. Quoties N. N. proles similia non committunt , & sic parentes suos quàm vehementissimè affligunt ?

Notandum tamen quòd dixerim , *si sine justa causa fiat*. Si enim proles justam causam habeant , & melius sit , ut fiat ( quamvis sæpè , si res non omninò urgeat , melius sit , ut parentibus condescendant ) non peccant proles mortaliter , quamvis prævideant parentes indè contristandos. Ratio est : quia proles in casu hujus tristitiæ causam realem dedisse censendi non sunt ; sed fusiùs de hoc suo loco agemus.

17. Resp. 2. In dubio an subsit justa causa , filii tenentur ea omittere , quibus prævident parentes suos contristandos. Ratio est : quia possessio obligationis non contristandi parentes stat à parte prolium , quæ per dubium jus non auferitur.

18. Resp. 3. Ubi constat exacerbationem in parentibus vel ex melancholia , vel ex pravo erga proles affectu oriri , ordinariè quidem consultum est ea omittere , si sine gravi detrimento possint , quibus prævidentur exacerbandi ; tamen non est obligatorium ; & tunc quòd parentes contristentur , sibi magis quàm prolibus imputare debent. Exemplum habemus in Jonatha filio Saülis , cujus pater ægerrimè ferebat quòd justissimo amoris vinculo Davidi adhæreret ; à quo tamen propterea nec destitit , nec desistere debebat.

Videant tamen proles , & caveant ne hïc iniquitas mentiatur sibi , & ne contristent parentes , prout heu ! sæpissimè fit ob instigationes compartis vel aliorum , quà ratione proles sæpè parentes contemnunt. Undè ab eo omnes absterret Sapiens , dicens : *Ne contristes patrem in vita illius : & si defeceris sensu , veniam da , & ne spernas eum in virtute sua*. Sic enim solent ali-

Ecc. i. c. 3.

quæ proles prætere de quò parentes incipiant delirare ( *Sy begimmet te sussen* ) & causam quare proles ab eo deterreat, subdit Sapiens, nempe quòd hoc nec apud Deum nec apud homines bonum sit, sed potius causa maledictionis. *Quàm mala fama est*, ait, *quò delevinquit patrem, & est maledictus à Doo, qui exasperat matrem.*

19. Joverit desuper audire Beatum Petrum Damianum Cardinalem, qui scribit ad Albertum Virum Clarissimum, qui amore uxoris nullum matri suæ jus domini in domestica rei familiaris ordinatione concedebat, in hunc modum: " Perpende quantæ crudelitatis sit illos despiciendo contemnere, per quos habes ipsum esse, quantæque dignum sit re genitoribus tuis humilitate submitti, quibus & naturalis essentia substantiam debes: & quod ab illis te non ambigis puerum percepisse, quantoperè debeas nunc gratâ vicenibus reddere. Undè scriptum est, fili, suscipe senectam patris tui . . . . Sed fortè dices: Mater mea me frequenter exasperat; duris verbis meum & uxoris meæ corda perturbat, non possumus tot injuriarum probra perferre, non valemus austeritatis ejus, & severæ correptionis molestias tolerare. Sed in hoc tibi copiosior merces acquiritur, si dum contumeliam suscipis, gratiam reddis. "

20. Deindè multis Scripturæ locis & exemplis id confirmat, ac finaliter sui temporis exemplo quòd meretur referri. Ipse Beatus Petrus Damianus dicit se illud audivisse ex ore Alexandri Romani Pontificis " Ardericus inquit, quidam Mediolanensis Urbis indigena, dum uxore ductâ celebraret nuptiale convivium, conquestus est Opipator conspersum epulis defecisse pigmentum, cumque hujus rei calumniam Sponsus in matrem non "

„ sine quodam jurgii tumore devolveret, &  
 „ cur hanc pateretur inopiam, iratus & con-  
 „ tumax inquisivisset, mater autem se suffi-  
 „ cienter exhibuisse ministris hanc speciem è  
 „ contrario responderet, ille tandem iracundiæ  
 „ felle permotus, manus inferre non timuit,  
 „ eique protervus ac furiosè vefaniens, ala-  
 „ pam irreverenter incussit. Sed ô divina Justi-  
 „ tia, iracundiam nostram vindicans! . . . .  
 „ eandem sanè maxillam, hoc est sinistram,  
 „ repente languor invasit, eumque nimis vexa-  
 „ re doloribus cœpit. Cùmque languor in dies  
 „ perniciosiùs ingravesceret, acerrimus stimu-  
 „ lus hominem intolerabiliter fatigaret, mu-  
 „ gitibus ac stridoribus ejulare compelleret,  
 „ tandem mater, quæ privignum senserat in  
 „ percussura, recognovit filium in natura.  
 „ . . . . Jam nempè tumescentis mandibulæ  
 „ caro turpiter computraverat, jam virus ac  
 „ sanies per concavam vulneris fistulam distil-  
 „ labat; cùmque miserè hominem hinc inde  
 „ percelleret, & exhalantis corruptela putre-  
 „ dinis, & intimi vis doloris, pœnitebat initi  
 „ connubii, & alterum fortè virum jam me-  
 „ tuebat uxori: & quam cernebat noviter  
 „ nuptam, jam quasi biviram reputabat. Ad-  
 „ dit tamen Vir beatus, filium matris precibus  
 „ ad Ecclesiam Beati Martyris Nazarii fuis, ite-  
 „ rum sanatum esse. Ex quo patet quòd Deus in-  
 „ juriam parentibus illatam sibi factam reputet,  
 „ & ut talem puniat. Sed ut finiam, sit

PARS III. 21. **Q**uæ cùm ita sint N. N. moneo vos &  
 simul & exhortor verbis Sapientis Proverb. c. 1.  
 EPILOG. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne  
 dimittas legem matris tuæ. Chaldaicus Tex-  
 tus habet eruditionem. Nolite ergo eruditionem  
 parentum contemnere per contumaciam, no-  
 lite derelinquere per inobedientiam, quia  
 hoc vobis serviret in hac vita ad tempo-*

ralem, & in altera ad maledictionem sempiternam. Undè de hac materia loquens sanctus Antiochus Homil. de obedientia dicit: *Filius solers obedit patri suo, filius autem inobediens in perditionem erit.* Et mox subdit: *Vitemus istius inobedientia perniciem. Quid enim ad te resilit emolumentum, si virginitatem quidem illibatam conservaſti corporis, ac animam demoni per inobedientiam prostituisti?*

Obediendum ergo parentibus in iis omnibus quæ nos utiliter docent & justè præcipiunt, ut addatur gratia capiti tuo, ait Sap. nempe gratia apud Deum, & bona fama apud homines, & torques collo tuo, torques utique honoris, dignitatis, æstimationis & benedictionis: quia ille omnium maximè laude dignus est, qui in amore parentum omnes superare nititur. Idem expressis verbis commendat & præcipit S. Paulus, dicens: *Filii obedite parentibus vestris in Domino*, id est, vel in iis quæ præcipiunt conformiter ad legem divinam, vel obedite ex amore Dei & timore eum offendendi; hoc enim, subdit, *justum est*, utpotè non solum ex charitate, sed etiam quodammodò ex justitia obligatorium.

22. Qui ergo Deum diligit, diliget etiam ac honorabit parentes, quos Deus in terra, quasi suos Vicarios respectu filiorum instituit, atque ita, *qui diligit Deum*, ait Sapiens, *exorabit pro peccatis*, non tantum orabit, sed & exorabit; quia scilicet obedivit præcepto patris sui, & audivit vocem matris suæ, ideò & Deus ipsum exaudiet, ait Sap. dum orabit pro peccatis suis, & sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Thesaurum enim sibi facit in cælis numquam defecturum, nempe dum Deus, quidquid parentibus fit in terra, factum sibi reputet in cælis. Profectò si Christus ipse testetur atque promittat, quòd quidquid in terra uni

ex minimis istis fecerimus, ipsi fecerimus, quando magis sibi factum reputabit quod fecerimus parentibus? ed utique magis, quo strictius præcipit & vult, ut parentes honoremus, ipsis obediamus, eos adjuvemus, & omnibus obsequiorum generibus præveniamus. Itaque honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & sic hic post longam vitam, tandem vitam assequamur sempiternam. A M E N.

\* \* \* \* \*

## CONCIO XLI.

*Quomodo proles teneantur parentibus suis subvenire.*

THEMA. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram. Exodi c. 20.

EXORD.

2. **B**INE illæ piissimæ Sorores, & Jesu Christi Discipulæ Martha & Maria Magdalena tenerrimè diligebant fratrem suum Lazarum, qui cum ad mortem usque infirmaretur, mittunt nuntium ad Salvatorem nostrum, qui nihil aliud denuntiet, quàm ecce quem amas, infirmatur. Quid hoc N. N. ? cur non petunt sanitatis reparationem? cur non urgent ut citò veniat, & sanet eum, ed quòd vis morbi vehementissima esset? cur nihil horum annuntiant? S. Augustinus in hunc locum hujus rationem assignat. Sufficit, inquit, ut noveris, non enim amas & deseris. Q. D. Qui amat alium, & scit eum penuriam pati, in periculo versari, in necessitatibus esse, certissimè ei opitulatur, vel si non opituletur, profectò non verè amare convincitur.

Joan. 6. 11.

2. In præcedenti Concione egimus de amore

& honore, quem proles parentibus debent; cum autem tunc præcipuè tantum egerimus de amore & honore, qui corde vel verbis exhibetur, restat ut nunc de eodem agamus, quatenus consistit in factis, quibus quidem præcipuè amor & honor parentibus debitus comprobatur. Undè Sapiens dicit, *in opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum.* Eccli. 3. Ecce ibi non tantum verbis parentes dicit honorandos, sed præcipuè, & primariò in opere & patientia. Hinc S. Hieronymus rectè docet, quòd *honor in Scripturis non tantum in salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleëmofynis & munerum oblatione sentitur.* Hier. in c. 15. Matth.

3. Quidquid autem parentibus in necessitate constitutis datur, non est, uti jam diximus, pura eleëmofyna, sed actus quòdammodò iustitiæ, cum omnia quæ nobis dederunt atque fecerunt, quasi contractus implicitus fuerit, *do ut des.* De cætero ne gratis dedisse videamur, Deus ex sua parte se vadem interponit, & promittit retributionem; postquam enim dixit, *in opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum,* immediatè subdit, *ut superveniat tibi benedictio ab eo,* quam à parentibus in terris factam, Deus ratam habere solet in cœlis, & sic benedictio illius in novissimo maneat. Ut ergo in hac materia ordinatè procedam, hodie ostendam. 1. Quomodo & quando proles teneantur parentibus subvenire in spiritualibus. 2. Quando in temporalibus. 3. Quanta benedictio maneat proles in terra & in cœlo, quæ abundè obligationi suæ hîc satisfecerint. Prius tamen dicamus

## A V E M A R I A.

4. SANCTUS BASILIUS, & ex eo S. AMBROSIIUS PARS I.  
Sut ostendant naturæ inditam esse obligationem, quâ proles teneantur parentes non

honorare dumtaxat, sed etiam in necessitatibus omni curâ & amore iisdem opitulari, pulcherrimum Ciconiarum adfert exemplum, quæ solo naturæ instinctu tantam curam gerunt eorum ex quibus progenitæ sunt, ut cum parentes senuerint, plumisque præ senectute deperditis frigore encarentur, illæ propriis plumis & alis eos foveant, si aliò migrandum, parentes deferant, curamque admirabilem eorundem gerant, & numquam eos solos permittant. Undè hæc omnia N. N. nisi ex solo instinctu naturæ, cum rationis usu careant? Et quare Deus iis talem naturam indidit, nisi ut ita ostendat bestiis irrationabiliores, qui parentum in senectute curam negligunt? Undè postquam præfata retulit S. Ambrosius, sic filios alloquitur „ Quis nostrum levare ægrum non fastidiat patrem? Quis festum senem suis humeris imponat? Quis ut pius sit, non hoc ferulis mandat obsequium? At verò avibus non est grave, quod pietatis est plenum, non est onerosum, quod solvitur naturæ debito: non recusant pascere patrem, quod plerique hominum recusarunt: non erubescunt senis membra portare, est enim vectura pietatis. „ Hæc S. Ambr.

*Ambr. l. 5.  
Hæc enim. c.  
16.*

5. Dicetis, quid ergo parentibus in necessitate constitutis debemus? quæ & qualis in hac materia est cujuscumque obligatio? pro eo notate, quod necessitates parentum dupliciter considerari possint, aliæ enim spirituales, aliæ corporales sunt, & in utrisque parentibus subveniri debet, quod ut fusiùs ostendam,

6. Dico: graviter peccant proles, quæ in mortis periculo, (tum enim necessitas spiritualis est maxima) non curant ut parentes extremis Sacramentis tempestivè præmuniantur. Ratio hujus est manifesta: quia eò major est in prolibus obligatio parentibus succurrendi, quò major horum est

est neceſſitas; ſed numquã urgentiorẽ ſpiritualiter patimur neceſſitatem, quã in articulo mortis, quando agitur de numquam finienda animarum ſalutẽ vel damnatione, quarum ſalvatio vel damnatio dependet à bona vel mala morte: quia ubi- cumque ceciderit arbor, ſive à dexteris ſive à ſi- niſtris; ibi manebit: & aliunde ad benẽ morien- dum neceſſarium eſt, ſaltem moraliter loquen- do, ut moribundus extremis præmuniatur Sa- cramentis; ergo à primò ad ultimum proles ſub peccato mortali obligantur curare ut ex parenti- bus adminiſtrentur. Ex quibus

7. Patet 1. quòd proles curare debent ut infir- mi tempeſtivè conſiteantur, communicent ſeu viaticum accipiant, ac deinde Extremam Un- ctionem. Quod paucis jam explico.

Præceptum divinum eſt, ſimul & naturale, ut Chriſtianus in extremis ſuſcipiat viaticum Cor- poris & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et primò quidem præceptum divinum eſt, ut colligitur ex illis Salvatoris verbis, *nifi mandu- caveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Joan. c. 6.

Deinde eſt etiam præceptum naturale, quia natura ſeu recta ratio dicit, ut qui longum & incertum iter aggreditur, ſibi provideat de Viati- co, ne in via deficiat, præſertim ſi præviẽ ſciat, quòd illud in via nullatenus obtineri queat.

Ecce N. N. quicumque moritur, æternitatis viã ingreditur, viã longa, viã eſt difficilis, viã horri- bilis; aliudque in iſta viã Viaticum non reperitur, niſi Corpus & Sanguis Salvatoris noſtri, de quo niſi moribundo præviẽ provideatur, in viã prodeſ- ſe non poterit: ergo recta ratio dicit, ut quiſque moribundus ſibi de illo tempeſtivè provideat.

8. Iterùm juſtum eſt & rationale, ut qui in- greditur viã latronibus ac hoſtibus obſitam, ſe præmuniat armis, quibus ſe defendat & latronibus reſiſtat: atqui in extremis multi ſunt animæ hoſtes,



18 *Theologia Concionatoria.*  
sunt diaboli, sunt peccata, sunt anxietates atque  
terrores multi, ac aliunde non sunt aptiora arma,  
quibus homo se contra tot tantosque hostes defen-  
dat, quam graue divina auxilia, que abundantil-  
lime per susceptionem S. Eucharistiae obtinentur;  
ergo ut ea tunc parentibus ministrantur, proles cu-  
rare debent. Et propter has similesque plures ra-  
tiones etiam iustissimo Ecclesiae præcepto ad hoc  
adstringuntur.

9. Patet 2. tunc etiam quemque obligari confite-  
ri, & sic suscipere Sacramentum Poenitentiae, non  
tantum quia præceptum Dei simul & Ecclesiae ad  
hoc tunc obligat, sed etiam ut dignè Sacramentum  
Eucharistiae suscipiatur. Dicit enim S. Paulus de iis  
qui Eucharistiam suscipere volunt vel debent, *pro-  
bet autem seipsum homo. Et sic de pane illo edat.*  
Illa autem probatio, ut Ecclesia, SS. Patres, & om-  
nes Doctores explicant, consistit in bona Confes-  
sione, ut homo nullius gravioris delicti, quod per  
poenitentiam non diluerit, sibi conscius sit. Ergo  
iterum tenentur proles de illo curam gerere.

10. 3. Patet & postremò quòd, præter prædicta,  
proles curare debeant ut parentes etiam Extremam  
Uctionem suscipiant. Sic habet Ecclesiae praxis &  
communis fidelium sensus, ac satis colligatur ex  
verbis sancti Jacobi Apost. in sua Epistola Catholi-  
ca c. 5. *Infirmatur quis in vobis, inquit, nempe pe-  
ticolose, inducat Presbyteras Ecclesie, & orent super  
eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio  
fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus;  
& si in peccatis sit, remittentur ei.* Cum ergo tot  
sint utilitates, vel ut melius dicam, necessitates  
quodammodo in extremis extrema suscipiendi Sa-  
cramenta, quis dubitat quin proles diligentem cu-  
ram gerere debeant, ut parentes iisdem præmu-  
niantur? præsertim cum eo magis in necessitatibus  
spiritualibus iis succurrere debeant, quam in tem-  
poralibus, quanto corpore pretiosior est anima.

11. Nec dicant proles, ut non raro solent præ-

videre, pater contristabitur, certò sibi moriendum persuadere, si de Sacramentis suscipiendis mentio fiat, non est adhuc tantum periculum, &c. frivola enim & calvæ sunt similes excusationes, quæ vos, ô proles, minimè excusant. Præstat enim ut parentes sic parùm contristentur, & ad christianam mortem christianè se disponant, quàm ut vanâ sanitatis vel longioris vitæ spe aut spei umbrâ elusi Sacramentis priventur, & sic fortè ætèrnùm pereant, prout ordinariè meritò timeri potest ac debet.

12. Sed nec consultum est ut usque ad extremum expectetur: quia præstat integris sensibus hæc Sacramenta suscipere. Cùm enim adinstar causarum naturalium effectum suum producant, quò meliùs parentes se disponant, eò copiosiorè gratiam recipient. Sicut quò lignum vel materia combustibilis meliùs est disposita, ac præparata ad recipiendum ignem, eò citiùs, meliùs & vehementiùs ille introducitur; ita etiam quò meliùs parentes se per actus fidei, spei & charitatis, aliarumque virtutum exercitia disposuerint ad Sacramenta suscipienda, eò copiosiorè gratiam hæc in anima producent, iisque proderunt.

13. Denique peccant etiam proles gravissimè, quæ ex negligentia vel avaritia diù differunt solvere debita patris defuncti, vel pia testamenti legata adimplere. Cùm enim parentes fuerint obligati sine mora vel injusta restituere, vel debita solvere, etsi Sacramentis præmuniti & justificati discesserint, ob neglectam tamen restitutionem, gravibus in Purgatorio subjicientur tormentis, quia eorum culpa est, quòd injusta non restituantur. Videant ergo proles quid faciant, & quàm ingrati sint erga parentes pro tot beneficiis, quæ ab illis receperunt. Videant quàm crudeles sint in eos, qui pia legata differunt, vel, quòd pejus est, etiam supprimunt ex avaritia, atque ita in causa sunt quòd parentes in altera vitæ eorum effectum non experiantur. Hæc pro nunc sufficiant quantum ad

23  
necessitates parentum spirituales, agamus nunc de  
corporalibus, atque ita fit

PARS II.

14. **U**T melius concipiatur, & fundamentaliter  
sciatur quomodo proles parentibus subve-  
nire debeant in necessitate corporali, præviè note-  
tur quod à Theologis duplex necessitas assignetur,  
gravis scilicet atque extrema. Necessitas censetur  
gravis, quando parentes sine gravi vitæ vel famæ  
incommodo nequidem tenuiter vitam sustentare  
valent. Ut si cogerentur mendicare contra statum  
& conditionem suam, vel servire aliis, quando  
id statui vel ætati eorum non convenit. Necessi-  
tas autem extrema censetur illa, quando eorum  
fama vel vita periclitatur, v. g. si parentes victum  
& amictum acquirere nullatenus valent. Si à cre-  
ditoribus propter debita essent incarcerandi, &c.  
Hoc notato.

15. Dico in necessitate tam gravi quàm extre-  
ma, etsi etiam indè aliquod notabile damnum  
sentirent, tenentur proles pro posse parentibus  
succurrere. Ratio est: quia præterquam quòd  
hoc natura & recta ratio dicitur, S. Scriptura id  
plurimis locis à prolibus exigit. Reflectite nunc  
quàm merito:

Si S. Joannes loquens de communi obligatione,  
quam quisque habet ad proximo in necessitate suc-  
currendum, dicat: *Si quis habuerit substantiam  
hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem  
habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo cha-  
ritas Dei manet in eo?* Q. D. nullatenus potest cha-  
ritas Dei in tam immiseri cordi anima hospitari. Si  
autem hæc ita verum sit respectu proximi in neces-  
sitate constituti, quantò magis respectu parentum,  
à quibus post Deum omnia habemus, ut proinde  
dicat Sapiens: *Qui subtrahit aliquid à patre &  
matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps ho-  
micida est.* Ubi non tantum loquitur de iis qui pa-  
rentum bona furantur & fraudulenter subtrahunt,  
sed etiam vel maxime de iis qui eis denegant au-

1. Joan. 3.

Proverb.  
5, 28.

xilium, & subsidium in necessitatibus suis, juxta illud S. Ambrosii, *si non parvisti, occidisti*. Utpote qui causa es quod ex penuria & dolore, quo eos ingratus afficis, vel moriantur, vel saltem citius moriantur, & sic ac propterea tunc dici potes particeps homicidæ.

16. Si autem scite velimus quare Deus tam stricte præceperit honorare parentes, istique succurre, S. Thomas in opusc. 7. varias hujus refert rationes, quas hic audire non pigeat.

1. Inquit, propter similitudinem quam habent cum Deo, eò quod post Deum prolibus dent esse, sicut & inde omnes monet Sapiens, *gemitus matris tuae ne obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Eccli. c. 7<sup>o</sup>

2. Quia parentes plurimum laboris & doloris in prolium educatione passi sunt, quibus numquam dignè satisfacere possumus vel poterimus: atque ita inter alia multa piissima & saluberrima monita, quæ ante mortem suam Tobias dedit filio suo, adhortatus est eum vehementer ad singularem matris ejus superstitis curam atque amorem, hanc reddens rationem: *Memor esse debes, quæ & quantæ pericula passa sit propter te in utero.* Pulcherrimè ad propositum de hac materia discurret S. Ambrosius dicens: *Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam & si paveris matrem, necdum reddidisti cruciatus quos pro te passa est; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera, non reddidisti famem, quam propter te toleravit, ne quid, quod tibi noxium esset, comederet, ne quid, quod lacti noceret, hauriret: illa tibi jejunavit: tibi manducavit: tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi quem noluit cibum sumpsit: tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere pateris? tunc exclamat, & meritò: O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! illi debes quod habes, cui debes quod es.* Ambr in c. 18. Luc.

17. 3. Inquit S. Thomas, ad id obligamur,

quia natura & recta ratio ita apertissimè dicitur, ut proinde Ethnici, qui verum Deum non agnoscebant, solo lumine naturæ id sufficienter cognoverint. Notabilem de hac re nobis historiam refert Plinius, de aliqua matre, quæ ex sententia Judicis condemnata erat, ut in carcere fame enecaretur. Filia autem hujus matris, eam quotidie in carcere visitabat, prius tamen strictissimè examinata an nihil alimenti apud se absconditum haberet; cumque carceris Custos animadverteret, quòd mulier ultra id quod humanum est, viveret, absconditè vidit. quòd filia matri quotidie ubera exhiberet, atque ita illius vitam sustentaret. Quà re Judici denuntiata, hic matri vitam donavit, & tam excellens filiae pietas ubique laudibus est celebrata.

18. Nec tantum mater sic debet honorari ac adjuvari, sed etiam pater; licet enim matres tenentis proles suas diligere soleant, tamen amor paternus plerumque solidior esse solet, qui, cum primarium originis naturalis sit principium, per se loquendo adhuc magis diligendus est quàm mater, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 26. in tantum, ut si contingeret talis casus necessitatis, quod moraliter loquendo rarissimè contingere potest, ut utrique parenti proles succurrere non posset, teneretur potius alere patrem, quàm matrem. De cætero quam grata sit Deo pietas in parentes explicabit

PARS III. 19.

**D**eus, qui fidelis est in promissis suis adimplendis, amplam promisit benedictionem filiis parentes honorantibus apud Sapientem, qui dicit: *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Sed dicetis forsitan, quæ & qualis est illa benedictio, quæ prolibus parentes colentibus proveniet?

Eccli. 6, 3.

Prima ex verbis citatis sufficienter colligitur, nempe quòd filii in parentes devoti benedicantur à Deo, cum parentes illis benedicent, & Deus benedictionem eorum confirmabit in cælis. Hinc erat quòd in veteri lege proles tanti facerent benedictio-

acta paternam, ut patet in Esau, Gen. c. 27. qui cum audisset, quod Jacob frater ejus fraudulenter benedictionem suam praecepisset à patre, irrigit clamore magno, ait facer Textus, & tunc sternatus dixit: *Benedic stiam mihi pater mi.*

Ratio autem cur antiquitus benedictionem parentum proles tanti facerent, hæc est: Longa experientia sciebant, quod benedictio paterna plurimum valeret, & quod Deus soberet eam attendere ac efficacem reddere; ut patet Gen. c. 9. in filiis Noë; & benedictione Jacob. Item in benedictione Tobie, quam filio suo in terram longinquam proficiscenti dabat, dicens: *Bene ambuletis, & si Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comitatur vobiscum.* Et ideo Deus voluit sic benedictiones parentum confirmare in cælis, ait S. Ambrosius lib. de bened. Patriarch. *ut filiorum pietas provehatur.*

Tob. c. 5.

20. Ex quibus collige quædam consultum sit, ut filii etiam matrimonio juncti vesperi, & præsertim dum iter aliquod periculosum suscipiunt, petant benedictionem paternam. Certe ad nostram confusionem facit quod Thomas Stapletonius narrat, nempe quod Thomas Morus, magnus ille Angliæ Cancellarius, qui pro Fidei Catholice defensione Martyr occubuit, adest parentes veneraretur, ut etiam in sublimi illa dignitate constitutus, jamque conjugatus & prope ætate conspicuus, patris benedictionem quotidie genuflexus postularet.

21. Benedictio secunda est, quod similes filii facilius à Deo obtineant remissionem peccatorum, & ab iisdem sibi imposturam caveant, ac quidquid à Deo petierint, obtineant. Hoc inquit atque promittit Sap. *Qui honorat patrem suum, in die orationis sue exaudietur.*

Tertia Benedictio est, quod Deus solet similes proles non tantum in spiritualibus, sed sæpe etiam in temporalibus hæc benedicere, uti ibidem Sap. promittit. *Sicut qui thosaurizat, ita & qui honorat matrem suam.*

Ecclesi. 31

Quarta denique benedictio est, quòd Deus talibus daturus sit longiorem vitam, dicente ipsa veritate, immediate post præceptum hoc, *Et si longarurus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quantum ad hoc restat unum dubium enodandum, nempe quòd non raro videamus filios filiasque optimos, morigeros & obedièntes in juventutis flore cum summo parentum dolore ex hac vita abripi; quomodo ergo, fortè dicet aliquis, divina adimpletur promissio?

22. Resp. quòd Deus quidem sæpè det temporalem hanc in hac vita benedictionem, quam si non det, ait S. Hier. mutat eam in spiritualem, quæ præstantior, hominique multò salubrior est, atque ita abundantissimè suæ promissioni satisfacit. An dubitatis? Dicite mihi N. N. si aliquis vobis promississet vas cerevisiæ, & loco illius daret vas ejusdem quantitatis optimi vini reperibilis, numquid censeretis vobis abundè satisfactum? iterùm si quis argentum promississet, & tantumdem auri daret? Sic se habent bona spiritualia respectu temporalium quomodo argentum cedit auro.

*Psal. 86.*

Sed totum mysterium clariùs patebit exemplo ex S. Scriptura petito. David dicit se ab experientia habere, justos tempore necessitatis semper à Deo adjuvari, undè protestatur: *Junior fui, etenim senex, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Imò ait, Deus facit ipsos abundare, undè *justus totà die miseretur & commodat.* Et quamvis sic sæpè fiat cum justis, sæpè equidem contrarium contingit. Numquid Lazarus planè justus fuit, Deoque gratus? equidem mendicus fuit & pauperrimus. Nonne justus fuit Job? nonne justissimi tot millia Martyrum, & tamen inedià ac fame in carceribus tabescebant? verùm pro pane temporali, Deus eis reddidit panem sempiternum, panem Angelorum, panem cœlestis gloriæ, qui animas recreat, easque solus satiare potest.

Nunc autem ad propositum dico, si videamus

filios morigeros; obediētes, qui toto corde parentes suos diligunt atque honorant, in juventute sua a vita eripi, cogitemus quod ex dispositione divina id fiat, & in majus ipsorum bonum: quia judicia Dei abyssus multa. Totum hoc approbat Sapiens, dum de talibus dicit: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius.*

23. Quod autem juvenes, & non raro meliores ex hac vita abripiantur, ordinariē effectus prædestinationis est, nempe quod Deus prævideat, casu quo diutius viverent; fore ut & in pravis consociis corrumpantur, & voluptati omnique nequitiae fræna relaxent, & sic misere pereant atque damnentur; ideo *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

In quibus & similibus ut parentes se generose resignent in divinæ voluntatis beneplacito; exemplum adfert & tamquam miraculum de prædicat S. Hieronymus de S. Melania Nobili Femina, quæ cum maritum, & binos quos habebat ac tenere diligebat filios eodem tempore coram se mortuos videret, ne vel lachrymulam fudit, *sed ad pedes Christi advoluta*, ait S. Hier. *quasi ipsum teneret, arrisit: expeditus, inquit, tibi servitura sum, Domino, quia tanto onere me liberasti.*

24. Sic conformiter ad prædicta intelligi potest illud Sapientis, *benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ecc'i. 10. Non quod semper ita fiat hæc in terris, sed quod sæpè, imò & semper hoc sensu, quod si filii morigeri & obediētes hinc non recipiant benedictionem temporalem, eò majorem adepturi sint spiritualem: Et è contrà sicut Deus filiis contumacibus & perversis minatur maledictionem, si eam in hac vita non recipiant; uti non semper fit, eò majorem habent expectandam in altera vita.

Ex quo vides, quod experientia non fallat, maxime quoad filios inobediētes & discolos, *impio*



*non dimidiabunt dies suos.* Quod Deus sæpè veris-  
 testatum voluit miraculis, inter quæ memorabile  
 est illud, quod noster S. Bernardinus narra-  
 „ Nostrâ ætate, inquit, in Hispaniæ citerioris op-  
 „ pido, cui nomen Sui, non procul à Valentia, ad-  
 „ lescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò-  
 „ devenerat, ut anno decimo octavo, propter la-  
 „ trocinia & publica facinora, in vincula conje-  
 „ ctus & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum  
 „ prorsus imberbis: pendentem verò jam atque ex-  
 „ nimi subito prorumpit barba, spectante populo,  
 „ comæ capitis planè canescunt, ut ætatem referret  
 „ hominis nonagenarii. Miraculo rei accitus cum  
 „ populo & toto Clero accurrit Episcopus: omnes  
 „ in genua prostrati exspectant, dum ostendat Deus  
 „ quid monstrum hoc sibi velit. Atque ecce Epif-  
 „ copus editiorem capiens tumulum ad omnes  
 „ ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vita  
 „ eorum detrahat, qui de parentum obedientia se  
 „ subtraxerunt: Victurum etiam hunc juvenem  
 „ fuisse ad eam ætatem, quæ jam apparebat in fa-  
 „ cie ejus, nisi ipsos septuaginta annos parentum  
 „ inobedientia detraxisset. „ Ecce confirmatio quòd  
 illud, *impii non dimidiabunt dies suos*, intelligendum  
 præcipue sit, de filiis refractariis quoad honorem &  
 obedientiam parentibus debitam. Sed ut finiam, sit

EPILOG.

25. **Q**Uæ cum ita sint N. N. ad vos me conver-  
 to filii & filix, vos obtestor, quotquot  
 beatificæ Dei visione semel frui, ac cum sanctis in  
 coelo æternum gaudere intenditis, filii, inquam, &  
 filix, honorate parentes vestros, amate eos, ser-  
 vite illis, sublevate curas illorum & molestias,  
 morbos & languores eorum vestrâ sollicitudine ac  
 industriâ curate, ex angustiis & mœroribus ipsos  
 eripite, ac denique adjuvate eos in quibuscumque  
 necessitatibus eorum, in iisdem personam Dei, cu-  
 jus hîc in terris vices gerunt, quæcumque salutaria  
 tum corpori tum animæ ministrando, agnoscite:  
 uno verbo, ut cum gentium Doctore & Apostolo:

postulo Paulo loquat, *honora patrem tuum, & matrem tuam... ut bene tibi fit.* Quid filii parentes honorantes expectandam habeant, non quidem præcisè exprimit Apostolus, sicut nec quid maledictionis maneat filios contumaces, sed in generali dicit, quòd honorantes eos, possint sperare omne bonum, sicut inhonorantes nullum non malum debent timere. *Ut bene fit tibi, bene in corpore, bene in anima, bene in teipso, bene in illis, bene in hoc seculo, bene in altero seculo, bene in terra, bene denique in celo.* Et quamvis Apostolus nihil determinatè dicat de benedictionibus filiis, qui parentes honorant, superventuris; ego equidem inter alias specialiter novem ex SS. Litteris colligo & enumerò.

26. Prima est longior vita, dicente Ecclesiastico, *qui honorat patrem suum, vitam vivat longiorem.* Probam & exemplum illius jam statim audivistis. 2. Est abundantia rerum temporalium, ut cum quiete honestè vitam transigant. *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.* 3. Est fecunditas in filiis, ut videant filios filiorum suorum. *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis.* 4. Est familie perpetua stabilitas indubitanter expectanda; *Benedictio patris firmat domos filiorum.* 5. Est quòd orationes similium prostrum facilius & certius à Deo exaudiantur. *Qui honorat patrem suum, in die orationis sue exaudietur.* 6. Est facilior remissio peccatorum, quæ contra Deum committuntur. *Escaemofyna patris, &c. & frater in sereno glacies solvantur peccata tua.* 7. Benedictio est omnium bonorum spiritualium simul & temporalium, hujus & alterius vitæ, accumulatio. *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.*

Ecce N.N. quanta benedictio maneat proles tam hujus quàm alterius vitæ, quæ honorant & adjuvant parentes suos. Hæc ergo vos permoveant, ut

Ad Ephes.  
c. 6.

Ecclesi. v. 3.  
v. 7.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 11.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 15.  
& 17.

Ibid. v. 10.

quoad parentes non tantum ea faciatis, ad quæ stricto jure divino & naturali estis obligati, sed etiam ut omni obsequio possibili eos præveniat, ut dum sic vos respectu parentum probaveritis veros filios, in altera vita agnosci possitis pro filiis Dei & hæredibus Regni cælestis, quod nobis clementer indulgeat Deus benedictus in sæcula. A M E N.



## CONCIO XLII.

*De obedientia quam debent proles parentibus.*

THEMA. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, &c. *Exodi cap. 20.*

EXORD.

I. **M**irabile certè & ferè inauditum est, quod Valerius Maximus nobilis Historicus narrat de Decio Imperatore. Hic enim ex paterno affectu cum lubenter in vita sua vidisset filium suum in Imperii throno imperantem (qualiter Carolus V. Imperator gloriosæ piæque memoriæ optavit & effecit respectu filii sui Philippi II. Hispaniarum Regis) voluit in filium transferre Imperium, & renuntiare in favorem illius omnibus dominiis; sed pius Princeps numquam eò, seu monitis seu exhortationibus, seu promissis adduci potuit ut consentiret, piissimam hanc & admiratione dignissimam adferens rationem: *Vereor, dicebat, ne si purpuram induam, filium exuam, & Imperator existens obedire dediscam: Quare malo non esse Imperator, sed obseques filius, quam Imperator & filius indevotus. Imperet pater, meum est parere imperanti.* Ille certè fuit verus filius, ille factis ostendit, quanti parentes faceret, quam honoraret. Ille fuit de quo parentes conqueri non poterant, quantumcumque umquã ipsius causâ fecissent vel fuissent perpeffi, sed nec satis laudari potest exemplum illius u. Ethnico, quod non facillè reperias in Christiano.

2. Cùm ergo in præcedentibus concionibus viderimus, quomodo proles parentes suos honorare debeant, & sub gravi peccato obligentur ab omni illo abstinere, quod eis gravem irreverentiam inferre posset; Item quomodo proles in necessitatibus illorum, iisdem subvenire pro viribus debeant, restat nunc inquirere quomodo debeant illis obedire. Hoc enim non minus præceptum Domini; *honora patrem tuum & matrem tuam*, exigit, præsertim cùm Apostolus omnes filios tam seriò moneat, & ex parte Dei præcipiat, *filiis obedite parentibus vestris per omnia: hoc enim placitum est in Domino.* Ad Coloss. 3

Itaque ut quisque quoad hoc punctum conscientiam suam dirigere valeat, & in quo peccaverit vel peccet scire, hodie in eadem materia progrediendo ostendam 1. In quibus filii parentibus debeant obedire. 2. Quando in hac materia peccent mortaliter, quando autem venialiter dumtaxat, consequenter quale peccatum sit, non obedire parentibus. 3. Exhortabimur filios, ut exemplo Christi Jesu parentibus in omnibus obediant. Priùs

· A V E M A R I A .

3. **Q**UOD filii teneantur obedire parentibus, ex præcepto divino, ex plurimis sacrae Scripturae testimoniis atque ex recta ratione tam evidenter patet, ut supponendum mihi magis videatur, quàm rationibus stabiliendum. Sed quamvis parentibus obediendum adèò clarum sit, non est tamen ita clarum quomodo, quando & in quibus. Ut hoc sciatur, pono sequentem regulam generalem.

Proles obligantur parere parentibus in omnibus justis, rectis & honestis, quæ ipsis præcipiuntur, & spectant ad potestatem paternam, ac curam ipsi competentem. Hoc patet passim ex Scripturae SS. quatuor locis, ni fallar, id peremptoriè probabo.

4. In primis dicit Apostolus ad Ephes. c. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino.* Et iterum:

Ad Coloss 3  
Eccli. c. 3. *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. Et Sapiens: Filii sapientia Ecclesia justorum: & Natio illorum obediencia & dilectio: Judicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis. Et iterum eodem cap. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviat his, qui se genuerunt. Otiosus sum, si plura sacrae Scripturae loca & testimonia proferre voluero.*

5. Ratio hujus fundamentalis desumitur ex jure divino & naturali: quia si parentes obligentur proles instruere in iis omnibus, quas spectant ad animae salutem, & in timore Domini educare, in tantum, ut pro filiis parentes à Deo sæpè horribiliter puniantur, ut patet ex 1. Reg. cap. 2. in Heli summo Sacerdote. Deindè si parentes, casu quo filii ratione negligentiae ipsorum æternam fortè pereant ac damnentur, ipsi quoque propter illos æternis addicendi sint cruciatibus, clarissimè sequitur quòd filii parentibus obedire teneantur in iis omnibus, quae curam eorum concernunt. Undè de hac obligatione dubitari non potest: quia in quocumque est obligatio præcipiendi, in altero resultat obligatio ejusdem generis, nempe obediendi: sunt enim correlativa: id est, sicut non potest concipi pater, in quantum pater nisi cum respectu ad filium, sic non potest concipi obligatio præcipiendi in superiore, nisi cù respectu obligationis obediendi in inferiore.

6. Hæc est doctrina S. Pauli, qui postquam præcepit filiis ut obediant parentibus, mox rationem illius subdit, dicens: *hoc enim justum est*, seu justitia naturalis & recta ratio dicit illud justum & rationabile. Et ad Coloss. cap. 3. aliam addit rationem: *Hoc enim placitum est in Domino.* Q. D. non tantum lex naturalis id dicit, sed etiam est voluntas & beneplacitum Domini, qui sic vult, sic præcipit, ita exigit. Idem deindè confirmat, dicens: *Sic facite ut salvi sitis. Quid hoc ut salvi sitis? nisi, quasi diceret, nisi hoc ita faciatis, nullatenus salvi esse potestis.*

Dixerat alibi Sapiens, *initium sapientia timor Domini*, nempe qui cohibeat à malo, & incitet ad bonum. Hic autem docet salutarem illum timorem nemini posse inesse, nisi qui, sicut timore Domini inducitur ad Deo obediendum, sic eodem inducatur ad parentibus suis idem præstandum. *Qui timet Dominum*, ait Sapiens, *honorat parentes, & quasi dominis servit his, qui se genuerunt*. Servi autem, ut constat ex Apostolo, & hoc eodem Tractatu fusiùs videbimus, in omnibus licitis & honestis debent obedire dominis suis, ergo qui timet dominum, obediat parentibus.

7. Dixi notanter, in omnibus iustis, licitis, & honestis. Neque enim in iis, quæ non sunt iusta, licita vel honesta, parentibus obedire debemus, imò nec licet: quia sicut parentes aliquid illicitum vel inhonestum præcipientes in gravi materia, mortaliter peccant, sic & filius in eo patri obediens: præceptum enim patris non potest facere licitum, quod ex natura sua illicitum probatur. Porro omnè illud hæc confectur illicitum, quod adversatur præcepto Dei vel Ecclesie, nisi necessitas vel alia circumstantiæ in particulari aliquo casu ab eo malitiam auferat.

8. Hinc in hæc materia asavenit illud dictum Apostolicum, quod Apostoli Principibus Sacerdotum reponabant, dum illis graviter inhibebant ne amplius prædicarent in nomine Jesu: *Obedire oportet, aiebant, Deo magis quàm hominibus*. Eatenus autem proles possunt & debent parentibus resistere, eosq; odire, nullatenus autem diligere vel obedire, nempe in quantum aliquid illicitum præcipiunt. Nobile exemplum habemus in Hermenegildo filio Regis Visigotorum, aliis parentis sibi observantissimo, qui suadente, volente, Imperante patre Rege, noluit Arianorum Hæreticorum communioni consentire, vel patri pessima quæque minanti acquiescere, sed maluit pro veritate Catholica mori potius, quàm patri obediendo Hæreticis communicare. Undè ut gloriosissimus Martyr à tota Ecclesia

celeberrimum nomen jure meritissimo obtinuit.

9. Non minus celebre, imo magis mirandum est exemplum, quod nobis Celsus adhuc puer reliquit. Hic cum vidisset Julianum Martyrem post dira tormenta, vinculis ferreis oneratum circumduci per civitatem sub voce præconis inclamantis: *Hæc mentur Deorum rebelles & Principum contemptores*, divino lumine illustratus conspexit caput Martyris gemmis & auro coronatū cum multitudine Angelorum circumstantiam; ideo Collegium, in quo studiis litterarum vacabat, magistrum ac discipulos relinquens, ad S. Julianum accurrit, eoque pedibus se prosternit, vulnera Martyris excolatur, eumque obsecrat ut secundæ Nativitatis sibi parens esse dignetur. Erat hic puer filius Marciani Præsidis, qui Julianum tormentis subjecerat. Accurrit ille, venit & mater cum tota familia, crine soluto, nudatis uberibus ut à Juliano eum avellat. Sed cum quis puerum à Juliano complaxu avellere conabatur, statim ejus manus & brachia contrahebantur. Marcianus interea Præses rem totam magicis artibus attribuens, obsecrat equidem Julianum ut puerum dimittat, in quo pro sapientia totam spem collocarat, & matris, totiusque familiæ fletum attendat, seque Imperatori suggesturum promittit, ut possit illæsus dimitti. Respondit S. Julianus, suffragio tuo apud Imperatorem non egeo, nec his exsolvi vinculis desidero. Ecce adest, qui a te natus, modo mecum credendo renatus, ipse tibi & matri respondeat.

10. Puer autem divinitus instructus respondit;  
 „ De spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis  
 „ odorem suavissimum, nec frutex spinosus qui ro-  
 „ sas odorantes genuit, amittit aculeum. Vos ergo  
 „ parentes mei spinæ estis, vestrum est pungere, per-  
 „ gite ut consuevistis: me autem rosæ odorem cre-  
 „ dentibus exhalare permittite. Vobis obediant,  
 „ qui perire parati sunt, me imitentur qui de te-  
 „ nebris ad lucem venire contendunt. Ergo pro  
 Christo

Christo vos parentes abnego, & per mortem temporalem, vitam æternam acquirō; Non possum in vos pius esse, & in me crudelis. Quid moraris? quasi incredulus & crudelis, non quasi Abraham, paternis manibus apprehende gladium & victimā offerre filium. Vanæ sunt vultus vestri & falsæ lacrymæ, ab hac confessione pietatis nemo me valebit disjungere... Mox in tenebrosum carcerem projectus est, quem ingressus, tenebræ vertuntur in lucem, & tandem postea necem pro Christo subiit. Vide Surium Tomo 1. 9. Januarii.

Ex quibus N. N. addiscite parentibus obedire in iis, quæ conformiter ad legem Dei præcipiunt, aliàs iis resistite in facie, quia tunc reprehensibiles sunt, & nulla major reperiri potest pietas, quam in eos tunc minimè pius esse.

11. Dixi 2. superiùs quòd parentibus debeamus obedire in iis, quæ ad curam paternam spectant: Quia sunt aliqua in quibus proles pro suo arbitrio procedere possunt ac in plenaria libertate sunt, nec parentum voluntatem sequi obligantur. Ut in eligendo statu, in studiis honestis, in vocatione Dei, cui proles semper obtemperare debent; quamvis & in his parentum petere consilium, iisque attendere debita sit reverentiæ.

Ratione hujus meritò peti posset, quænam sint illa, quæ ad patriam curam spectant, in quibus proles parentibus obedire sub peccato tenentur? Pro eo sit

12. **P** Rincipaliter tria à D. D. assignari solent, quæ: **PARS III**

ad patriam curam, sollicitudinem & auctoritatem spectant. 1. Omne illud quod est de necessitate salutis, vel ad necessariam præceptorum Dei observantiam dirigit. 2. Omne quod ad bonos mores & honestatem spectat. Ut si parentes prohibeant conversationem cum aliqua persona, vel quia illa est periculosa, vel quòd non bonæ & integræ famæ sit, &c. Item si ex eodem simili modo motivo inhibeatur frequentatio alicujus domus, loci, consortii, &c. 3. Omne quod ad decoram familiæ administrandi.

Tomo. II.

C



strationem attinet, sive in temporalibus, sive in spiritualibus. Quoad temporalia, v. g. ut filii vesperi honesta hora domum revertantur, nocti vagentur, praesertim in tenebris per plateas, de rebus domesticis non disponant sine parentum consensu, eas vendendo, donando, permutando, &c. In spiritualibus autem, v. g. ut filii quotidie Sacrosancto Missae Sacrificio intersint, opera misericordiae faciant, pietatis rudimenta addiscant, aliaque faciant, quae quavis stricte & absolute ad salutem non censentur necessaria, ad eam tamen maxime conducunt.

Tob. c. 1.

Ecclesi. c. 7.

13. Sic de Tobia legitur, quod filium suum ab adolescentia docuerit timere Deum, & ab omni abstinere peccato. Sic Sapiens parentes serio monet: *Tituli tibi sunt, erudi eos, & carva illos à pueritia illorum*, ut arbuta nempe, & novellas plantulas, quae facile curvantur & deducuntur juxta Hortulani beneplacitum. Et ibidem de filiabus dicitur: *Filia tibi sunt, serva corpus earum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas*. Non quod parentes prolihus austeri esse debeant, sed ut cum eis agant debitam servatam gravitatem, ne illae iis debitum perdant honorem & respectum, juxta illud commune, & ab experientia certissimum: *Familiaritas parit contemptum*. His ita in generali notatis, forte petetis quale peccatum sit inobedientia erga parentes.

14. Resp. Inobedientia erga parentes ex genere suo est peccatum mortale. Quod ut clarius innoscat, pono exemplum, v. g. Res gravis spectans ad patriam potestatem graviter à patre prohibeatur; etsi alias illud facere nullum peccatum foret, propter inobedientiam tamen erit peccatum mortale.

Ad Rom.  
c. 9.

Probatum ex S. Scriptura. Apostolus inter opera, quae digna sunt morte, scilicet aeterna, recenset inobedientiam erga parentes: verba illius sunt; *tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt: repletos omni iniquitate, &c.* De quibus autem agat, mox declarat subdens: *Detractores Deo adibiles, contumeliosos, &c. Parentibus non obedi-*

De quibus omnibus infra concludit: *quotian-  
qui talia agunt, digni sunt morte.* Et iterum inter  
gravissima crimina, quæ in fine mundi evenient,  
recenset etiam inobedientiam erga parentes. *In no-  
vissimis diebus, ait, erunt homines seipsos amantes,  
cupidi, elati, blasphemæ, parentibus non obedientes.* 2. ad Tim. 6. 3.

15. Finaliter, quod similis inobedientia summè  
Deo displiceat, satis colligitur ex supplicio quo in  
veteri Legge similis inobedientia à Deo etiam in hac  
vita plechi jubebatur. Lex enim Dei sic ordinat: *Si* Deut. c. 21  
*genuerit homo filium contumacem & protervum, qui  
non audiat patris aut matris imperium, & coerci-  
tus obedire contempserit, apprehendent eum, & du-  
cent ad Seniores civitatis illius, & ad portam Judi-  
cii, dicentque ad eos: Filius isto noster protervus &  
contumax monita nostra audire contemnit, commes-  
sationibus vacat & luxuria atque vitis. Lapidibus  
eum obruet populus Civitatis, & morietur, ut au-  
feratur malum de medio vestri.*

Nostræ P. Marchiant hæc varia benè notanda pro-  
ponit. 1. Quod pœna mortis ibi filio non præscri-  
batur adeò propter comessationes & bonorum  
dilapidationem, quàm propter inobedientiam &  
contumaciam. 2. Legem illam à Deo latam esse in  
materia patrio regimèni & auctoritati subjèctâ. 3.  
Quod intercesserit aliqua contumacia filii, & in-  
malitia obstinatio: debebant enim conqueri pa-  
rentes, *monita nostra audire contemnit.* 4. Legem  
illam non tantùm fuisse cætemonialem, sed par-  
tim divinam, partim naturalem, ut ibidem patet,  
dum Deus subdit: *Ut auferatur malum de medio  
vestri.* Nempe ne propter contumaciam, mali-  
tiam atque proterviam filiorum rebellium totus  
populus maledictioni divinæ subjiçiat.

16. Ex dictis concludo generaliter. Omnis ino-  
bedientia contumax seu rebellio contra expressa  
mandata parentum, in materia ad ipsorum regimen  
spectante, est peccatum mortale, nisi ab eo vel  
materie levitas, vel indifferentia aut negligentia

quædam humane fragilitatis excuset. Patet ex dictis: Unde varia tantum hic sunt notanda. Dicitur 1. *contra expressa mandata parentum*. Quia in generali contra parentum monita agere, non est speciale peccatum contra obedientiam iis debitam. V. G. Pater prohibet, seu potius monet filium ut sibi caveat a tabernis & pravis consortiis, propter plurima peccatorum pericula, quæ ibidè reperiuntur. Filius autem ab illis sibi minimè cavet, quamvis possit, imò & sæpè mortaliter peccet propter pericula peccatorum, quibus se voluntarie exponit, non tamè speciali peccato contra obedientiam parentibus debitam. Ratio est: Quia hoc illi supponitur specialiter non esse graviter prohibitum a patre suo.

17. Dicitur 2. *nisi materia levitas vel indifferentia excuset*. Quia sicut in tali materia numquam Deus hominem graviter obligat, & Ecclesia obligare non potest, sic multo minus possunt parentes. Dicitur 3. *vel negligentia quadam humana fragilitatis*. Quia si filius seductus à prava societate, vel aliunde ex negligentia & humana fragilitate sine contemptu semel transgrediatur mandatum paternum, non debet propterea censeri peccasse speciali peccato inobedientiae, quia in tali casu fragilitatis obedientia parentibus debita graviter læsa dici non potest. Interim ut filii contentur ad illud quod perfectius est, proponam ipsis exemplum Salvatoris nostri Jesu Christi, atque ita sit

PARS III. 18. **D**ico quòd Filius Dei descenderit de Cœlis in terram, ut homines doceret obligationem, quam proles habent respectu parentum. Non creditis, N. N.? Audite ipsummet Salvatorem nostrum: *Descendi de Cœlo*, inquit; Scimus, dulcissime Jesu, & firmissimè credimus. Sed quare descendisti, quò fine enuntia: An ut miraculis populum ad veritatem Evangelicam traheres? An ut Evangelium prædicares? An ut genus humanum ab infernali mancipatu redimeres? Indubiè. Sed Jesu benignissime, ex ore tuo audiamus, quare,

quo sine descendisti, Descendi de Cælo, inquit, non Joan. 6. 6.  
ut facia voluntate mea; sed ejus qui misit me Patris.

19. Optime Sic est N. N. cum enim inter alios quos curiosa hæc ageretur questio, quid Salvator noster ab anno duodecimo egerit usque ad annum trigessimum, eum de toto illo & tanto temporis intervallo, nihil specialiter Evangelistæ commemorant, melius & conformiter ad propositum nostrum sentire videntur, qui volunt illud colligi debere ex Lucæ c. 2. ubi quoad totum hoc tempus, de Jesu nihil aliud dicitur, quam *Et erat subditus illis.* Ex quo ratiônabiliter & rectè colligunt Christum totum illud tempus intermedium impendisse obediendo parentibus.

20. Ut autem filii irreverentes, respectu parentum illo Salvatoris nostri exemplo confundantur, devotè illud expendit mellissimus Doctor S. Bernardus. *Erat subditus illis. Quis? ait, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt; subditus erat Joseph & Mariæ, Rex famulis suis, Creator creaturis. Sed quis erat subditus? si ab Isara petas, respondet: Princeps pacis, admirabilis, magni consilii Angelus, & qui appendit tribus digitis terram. Quis erat subditus? David respondet: cujus est terra & plenitudo ejus; orbis terrarum, & universo qui habitant in eo. Rex gloriæ & Dominus virtutum.* Et tu quid de illo sentis Daniel Propheta? tu vidisti, qualis est? hic est, ait, cui ministrabant millia millium, & decies centena millia assistebant ei. Denique ut verbo absolvam, ille erat subditus, de quo Pater cœlestis testatum reliquit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Bern. hom. 1. Super missus est.

Isai. c. 4. & 6.

Psal. 23.

Daniel. c. 7.

Luc. c. 9. c. 13.

21. S. Vincentius attentius considerans Salvatoris obedientiam & subjectionem, quam Joseph & Mariæ exhibuit, interrogat illum: *O Domine, quare facis hoc?* eumque sic respondentem introducit, *ut quando filii Christianorum audient hoc sermone, quod ego facio parentibus meis, hujusmodi exam-*

Vincent hom. infr. Oñ. Epiph. Conc. 4.

plō & ipſi ſerviant ac miniſtrant parentibus ſuis, qui non aquam, ſed vinum parentibus ſuis infundere erubefcunt. Ibidemque tradit, quod puerulus Jeſus retenderit cum hydra ad puteum, aquam parentibus allaturus. Q. D. hoc facio, ut confundantur filii Chriſtianorum, qui dedignantur, nolo dicere, aquam parentibus apportare, ſed inferviendo vel vinum bibituris infundere. *Itaque*, ait S. Baſilius in Conſtit. Monast. c. 4. *discamus filii ſubjecti eſſe parentibus.*

22. Sed quomodo rectè, laudabiliter & merito-riè ipſis ita erimus ſubjecti? Ecce N. N. hoc totum perſecerimus, ſi parentes nobis fuerint quaſi vox, nos ipſis autem quaſi Echo. Si dicant parentes volo, volo ut illa ſcribas, volo ut diligenter honeſtis ſtudiorum exercitiis ſedulo incumbas, volo ut quotidie Miſſæ Sacrificio devotè aſſiſtas, volo ut Sodalitio D. V. Mariæ nomen inſcribas, &c. Nos tamquam Echo respondeamus volo. Illud respondeat vox noſtra, illud declaret voci cõformis actio. Si verò parentes inclament nolo, nolo ut cum illis diſcolis converſeris ampliùs, nolo ita totis diebus vageris per plateas, nolo ut adeò pecunias, ad bene expendendas tibi conſeſſas dilapides, nolo ut im-poſterùm domum illam ſuſpectam frequentes, nihil aliud ſonet vox noſtra, nihil aliud actio noſtra, niſi nolo, nolo. Ad quod ut efficaciùs inducamur, ſi nobis exemplum Salvatoris noſtri non ſufficiat, ad hoc ſaltem nos permovere deberet, quod Deus parentes tamquam ſuos in terra Vicarios poſuerit, de quibus proinde intelligi potèſt aliud Chriſti, *qui vox ſpernis, me ſpernas.*

Luci, c. 10.

23. Sed & audiamus frivolos excuſationes in peccatis, quas non raro proles præſumere ſolent, ut ſe debite erga parentes obedienciæ ac reverentiæ ſubducant. Parentes, inquam, ſunt importabiles, quidquid faciam, numquam eſt patri bene, mater numquam non murmurat, ſemper aliquid dceſt, querelarum numquam finis, tæderet vel pa-

cientissimum quemque cum similibus vivere &c. Similes erant querele alicujus filie, respicitantis proinde obedire & cohabitare matri suæ, ad quam inter cetera, sequentia olim scribebat S. Hieronymus: *Primum quidem, ait, utriusque talis est, magis sanceo habebis precium; si te tam non deserat. Illa te portavit in utero, alius, & difficiliore infans mores blandâ pietate sustinuit. Latus pannorum sudas, & immundo sæpe foedata est stercore. Assidit a-grotante, & quis pro te salidâ sustinuit, tu quoque passâ, ad hanc perduxit aeternam. Consentit per omnia S. Ambr. superaddens: Tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partis periculum. Et ne de solis matribus loqui videatur, & patres præterite, qui tamen familie caput sunt, subdit: Quid anxius patres loquar pro filiorum profectu; & multiplicatos alienis usibus census, jussuq; semina posterorum ætatis profutura & nonne sulsam pro his obsequium oportet rependi? numquid oportet & reverentiam ac obedientiam reddere? & quis est nostrum qui hoc cogitet, serioque perpendat? quod si fieret, quomodo tantam in filiis videremus irreverentiam, tantam experiremur inobedientiam ac contumaciam? Sed ut firmam, sit*

24. **A**Udivistis nunc N.N. in quibus debeat parentibus obedire, & quale, hoc non facere, sit peccatum. Diximus quomodo in veteri Lege Deus ordinaverit, filios inobedientes & contumaces lapidibus obrui ab omni populo. Dura hæc, dicetis, lex est, & severa puniatio. Iustissima interim & prolium contumacie coercendæ opportunâ. Sed N.N. si his miseris & corruptis temporibus omnes filii inobedientes & refractarii, secundam antiquæ Legis rigorem lapidibus obrui deberent, an putatis sufficientes lapides in hac Civitate reperiendos? licet autem tempore novæ legis Deus in hoc sæculo rebelles filios non tam rigorosè puniat, nec puniri præcipiat, sciant tamen omnes, eò graviora illos in altero sæculo manere tormenta.

EPILOG.

25. Itaque N. N. cum tot titulis parentibus nostris obligemur, moveat nos recta ratio, moveat nos exemplum Salvatoris nostri, moveat nos amor Deo debitus, qui hoc vult & præcipit, ut parentibus obediamus; Undè *in opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum*. Utique *in opere* illis serviendo, & quibuscumque eguerint, libetaliter subministrando. *In sermone* magna cum reverentia & submissione ipsos alloquendo, & *in omni patientia*, reprehensiones eorum atque senectutis molestias æquanimiter tolerando.

26. Certè pudendum est Christianis, quòd amore Dei non tantà reverentiâ & affectu parentes prosequantur, quantà olim in veteri lege prosequantur solâ spe benedictionis paternæ ducti. Non ignoratis, quomodo Isaac mediâ nocte ad patris mandatum mox surrexerit, quomodo lignis dorso impositis patrem nihil moratus subsequutus sit, sine obloquiis, sine querelis, sine murmurationibus quod admirans S. Chrysostom. exclamat: *Utrum admirem & obstupescam justius? forte me spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam? quod nec reluctatus est, nec factum agrè tulit, sed cessit & obtemperavit*. Quid ad hæc filii, qui ad singula parentum monita vel mandata conquerimini & murmuratis? sed quo jure parentes in vos nimis duros conquerimini, si quid sensualitatibus vestris prudenter denegent? Quid Juventuti aliquid indulgendum prædicatis, ac prætenditis parentes vestros immemores & se Juvenes fuisse? quid præcepta eorū ad hoc præceptum Abrahæ respectu Isaac filii sui unigeniti, & tantorū honorū paternorū hæredis? nonne levius est parentes vestros in suis negotiis honestis nec molestis adedò adjuvare, quàm adinstar famuli, vel mancipii proprio dorso ligna portare? Si parentes hoc vobis præciperent, nonne diceretis, sunt famuli & ancillæ, ipsorum hoc est, ipsi faciāt, nos autem similia dedecent? nonne levius, iterum dico, vespere cum parentibus manere domi, & non

de nocte per plateas vagari indecenter, quod proinde parentes iuste prohibent. & prohibere debent, quam mediâ nocte longum & molestum iter, tanquam bajulus conductitius, suscipere? denique nonne facilius est monitiones paternas, eorum iustas patienter audire reprehensiones, quam cervicem stricto gladio exhibere? in his tamen omnibus Isaac sine contradictione patri obedivit, ut in illis obediat, vos recalcitratis. Pudeat nos, si tales simus, & timeamus cervicibus nostris imminentem Dei vindictam, quam si serius aut citius experiri non velimus, dico & finio: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, AMEN.*

## CONCIO XLIII.

*De obedientia parentibus debita quoad electionem Status.*

**THEMA.** Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, &c. *Exodi cap. 20.*

1. **I**nitium sapientia, ait Sapiens Prov. c. i. **timor Domini.** Ubi non loquitur de vana, superba & infana sapientia hujus sæculi, sed de sapientia christiana & salutifera, nempe quâ vitia vitantur, & virtutes exercentur. Initium autem similis sapientiæ est timor Domini: hic enim est quasi frænium, quo natura corrupta retinetur, ne in prava desideria & carnales voluptates prolabatur. Est quasi calcar, quo homo instigatur ad mandata Dei servanda, virtutesque exercendas & christianè vivendum, nempe sicut bonus filius qui timet patrem suum, quem tenerrimè & filialiter diligit, qui ex illo timore & vitat quod patri displicet, & facit quod patri novit gratum.

2. Hoc autem non immeritò mirum videri posset, quod Sapiens ubi ita timorem Domini com-



invenit, mox subjungit: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui.* Quam connexionem habet timor Domini cum obedientia parentibus debita? rationem quare hæc duo conjungat Sapiens, tradit à Lapide, nempe hoc ideò esse, quòd proximè post obedientiam ac timorem, quem Domino Deo debemus, succedat obedientia & timor parentibus debitus, tamquam qui hæc in terris locum & personam Dei sustinent, quique de directione filiorum strictissimam Deo reddere rationem debebunt.

Ratio hæc bona est, sed magis propósito meo inservit, quòd ideò Spiritus S. timorem Domini debite parentibus obedientie præmittat, ut omnes intelligant sic parentibus obediendum, ut tamen semper magis obediamus & timeamus Deum, in tantum, ut casu quo quidquam à parentibus præciperetur divino honori, ejusque timori contrarium, Deo, non parentibus sciremus obediendum.

3. Proinde sciendum quòd timor Domini sit quasi animæ gubernaculum, sic nempe, ut ex timore Dei, ne eum offendamus qui hoc præcipit, & parentibus in honestis ac licitis obediamus, & ex uno eodemque timore Dei, nihil quod Deo displiceat admittamus, vel quòd Deus à nobis exigit, etiam contrariantibus parentibus, omittamus.

Cum ergo in generali nunc viderimus, quomodo parentibus in justis & licitis obediendum sit, merito dubitari posset, an hoc etiam in electione status locum habeat: hinc enim sæpissimè gravissimæ oboriuntur difficultates, filiis sic, parentibus aliter volentibus. Itaque ut tam parentes quàm filii in hac materia obligationem suam scire valeant, ostendam 1. quomodo & in quantum proles teneantur amare parentes. 2. In quibus filii parentibus obedire non obligentur. 3. Ad quid equidem his non obstantibus, proles adstringantur, & sic salutari admonitione finiemus; prius tamen

**A V E M A R I A.**

4. **L**umine nature notum est; neminem eodem tempore; eandem rem sub eadem ratione posse amare & odio habere; ratione cujus hæc meritò movetur questio: quomodo illa fac. Scripturæ loca simul concediari queant; quorum aliqua præcipiunt parentes honorandos, amandos; tisque in omnibus & per omnia obediendam, alia autem contrariam præcipiunt? Sic Apostolus dicit: *Fili obeditis parentibus prout domino: hoc enim placitum est in Domino.* Christus autem videtur contrarium innuere; dicens: *Si quis non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus.* Super quæ verba scribens Greg. Mag. hom. 39. in Evang. *Perambulato lubet*, ait, *quomodo parentes & carnaliter propinquos præcipimur edisse, qui jubemur & inimicis diligere? . . . an simul & adissa possumus & diligere? obedire & non obedire? æquidem; subdit S. Gregorius, Si vim præcepti attendimus, utrumque agere, per discretionem valeamus, sic nempe ut diligamus, honoremus, & obediamus parentibus, in quantum nihil quod à Deo avertat, præcipiunt, vel quod si displiceat, conspiciunt. Eosdem autem odio habeamus ac fugiamus, in quantum eos in via Dei vel perfectionis adversarios patimur. Unde idem S. Greg. ait: *amatus in hac mundo quilibet adversarius: sed in reba Dei contrarius non amatur, etiam propinquus, etiam pater & mater.**

Ad Coloss. 3.

Lucæ 14.

5. Quousque ergo & quamdiu parentes amandi sunt, tisque debetur obedientia? *Honora patrem tuum*, responder S. Hieronymus in Epist. *Sed si te à vero patre non separat. Tempus scilicet carnis copulam, quamdiu ille factum novaverit Creatorem.* Sic docuit Christus verbis simul & exemplis, illudque amor Dei requirit. Verbis quidem supra: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam, id est, vitam carnalem ac temporalem, non potest meus esse discipulus.* Factus verò, quando ei dicebatur Matth. 12. *Esse*

*mater tua & fratres tui foris stant, quarentes te.*  
Respondit Christus: *Qua est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Q. D. Dum Patri cœlesti obeditur, & mandata ejus executioni mādantur, respectus ad parentes carnales, vel propinquos qualescumque haberi nullatenus debet. Ex quo ita concluditur:

6. Si parentes filium vel filiā à vera fide avertere vellent, vel eam amplecti permittere nollent, in eo iis minimè obediendum est; imò eatenus odiendi & fugiendi sunt. Patet ex dictis & natura rei. Undè in audientium ædificationē hīc solum pauca exempla adferre volo, in quibus vis divini amoris mirabiliter elucet ad contemptū usque amoris carnalis.

7. Sanctus Saturus Martyr, cū ei minaretur Hunnericus Rex, nisi hœresim Arianam amplecteretur, fore ut uxorem ejus stabulario suo in matrimonium traderet (erat autem S. Saturus ex nobilissima prosapia); ejusq; uxor illud exhorrescens S. Saturum exhortaretur, ut Regis voluntati condescenderet, & factam exterius dissimularet, ipse quasi alter Job respondit: „tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, ô mulier, si sola esset hujus vitæ amara dulcedo: artificio, ô conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Dirahant filios, separent uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, non potest meus esse discipulus.

8. Aequè, imò magis mirandum est, quod idem Victor Uticensis lib. 1. Wandalicæ persecutionis narrat de muliere, nomine *Victoriâ*, matronâ nobili, quæ cū in conspectu vulgi continuo incendio cremaretur, à marito qui jam fidem suam negaverat, filiis præsentibus, taliter rogabatur: *Quid pateris conjux? Si me despicias, vel horum, quos genuisti, miserere impia filiorum. Quare oblivisceris utero tui, & pro nihilo ducis quos cū gemitu peperisti? Ubi sunt*

*fœdera conjugalis amoris? Ubi societatis vincula?*  
*Respice quales filios ac maritum, &c.* Sed illa constanter omnia contemnens ac eridens, & animam ad Deum elevatam habens, sibilationes veteris serpentis surdâ aure audivit, erisit, contempsit, propter Jesum Christum, maritum, filios, omnia sprevit, ita ut in veritate dicere posset cum Apostolo, *omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam.* Denique demonstravit non tam nomine quàm re, fortitudine, pietate, constantiâ atque divino in Deum amore, se de mundo, carne, diabolo, de seipsâ nobilem reportasse victoriam, seque merito *Victoriam* appellari, quæ etiam post victoriam à Deo promeruit coronam gloriæ numquam finiendam.

9. Ut omne trinum perfectum sit, superaddamus excellentissimum in hoc genere Sanctæ Nataliæ uxoris S. Adriani exemplum, de quo Surius 8. Septembris in vita S. Adriani. Cum illa resciret Adrianum in vincula conjectum, gaudio exultans, accurrit ad carcerem, procidentique ad pedes ejus, vincula exosculabatur, dicens: *Beatus es, Domine mi Adriane, quia invenisti apes, non à parentibus relictas; jam securus pergit ad Christum, recondens in ipsa divitias pro tempore necessitatis, quando nemo liberabit, non pater filium, aut mater filiam, non opote non amici, non servi. Perge intrepide, non revocet te insuetus rerum, aut umbra transcurantium. Non gemitus parentum, non species tormentorum; habes Christum, cujus promissa percipias. Aspice illorum constantiam qui tecum sunt, his solum intende.* Deinde singulorum Martyrum vincula deosculans, dicebat: *Rogo vos, o Servi Christi, confortate Adrianum beatissimum, lucrificato eum Christo, estote ei patres, nascatur per vos æterna vita.* Tunc Adrianus, vadit ad domum tuam; cum videro fieri quæstionem, accersam te ut videas rei finem. Post aliquot dies imminente quæstione, dato custodibus pretio & Fidejussore domum perrexit vocaturus Nataliâ. Agnovit eum quidam, & præcurrens illi nunciat. Suspi-

cans ipsa quod Martyrium refugisset, flebat amare,  
 & elaudens ostium, clamabat; *longe à me, qui menti-*  
*tus es Domino. Quis te coegit suscipere opus Christi,*  
*me perferre? quis te seduxit, quis separavit à Sar-*  
*dis? Adrianus autem; aperi Soror, non est sicut*  
*putas, ego veni quia tormenta instant, ut promit-*  
*tis starem. Iterum illa non credens: En me seducis*  
*transgressor, recede, potius quam tibi socter, me in-*  
*terficiam. Lætatur Martyr de zelo, efficit tandem*  
*credentem verbis suis; ostium etgo apertens, A-*  
*driani provolvitur pedibus gratulans. Currunt si-*  
*mul ad locum tormenti. Dicit ei Adrianus: Quo-*  
*modo; & Soror; ordinasti de substantia mea? at illa:*  
*Noli, precor, tremorari quæ mundi sunt, ne animum*  
*trahant, illa solam respice, quæ tibi in Cælo servan-*  
*tur. Cum jam exhibitus foret coram Tyranno,*  
*ignito charitatis eloquio; iterum illum animabat,*  
*atque dicebat: Vide ut solum ad Deum fiat mens*  
*ura, nec stiperet cor tuum; dum visceris tormenta.*  
*Labor medicus nunc, sed in secula tibi quies.*

Ecce quomodo parentes, uxores, filii, atque pro-  
 pinqui bene & memorie possint oditi, sicut & per-  
 versè ac damnablem amati. Videamus modo con-  
 sequenter, an proles in electione statûs parentibus  
 obedire debeant, & ita sit

PARS II. 10. **D**ico generaliter. Sicut proles nec debent,  
 nec possunt parentibus obedire, si susce-  
 ptionem veræ fidei impedire velint, vel ab ea aver-  
 tere; sic nec obedire tenentur, si ingressum Reli-  
 gionis, vel susceptionem Scatûs Ecclesiastici impe-  
 dire velint; nisi forte ipsi in extrema vel gravi ne-  
 cessitate forent. Ratio patet & ex dictis, & clarissi-  
 mè ex S. Evangelio; ubi Christus dicit: *Qui amat*  
*patrem vel matrem plus quam me, non est me dignus.*  
*Et iterum: Si quis venit ad me, & non odit patrem*  
*suum & matrem; &c. non potest meus esse discipulus.*  
 His tamen Christus non docet parentes non esse  
 honorandos, vel illis non obediendum; sed è contrâ  
 præcipit, ut bene reflectit S. Hieronymus; *honorâ*  
*patrem tuum, sed sè te à vero patre non separat.*

Matth. 10.

Itaque cum proles, dum Religionem ingrediuntur, eo tendant ut perfectius Deo serviant, ut animam suam salvent, ut securiores de animæ salute sempiterna reddantur, si parentes ab ea injuste filios retrahant, eatenus parentes dicendi non sunt, qui salutem prolium diligere & promovere obligantur, sed proditores, potius dicendi sunt, ac inde etiam non audiendi.

¶ 11. Profectò si Christus dixerit, *si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice à te, bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duas pedes habentem mitti in gehennam ignis, numquid proximiores nobis sunt manus & pedes, quam parentes? si ergo præstat eos abscindi, ne impedimento sint nobis in via salutis, quantum magis parentes, si & ipsi idem faciant? unde summa misericordia hæc est, minime esse misericordem, & summus amor, non carnaliter amare: quia, ut S. Petrus olim principibus Sacerdotum respondebat, *oportet Deo magis obedire quam hominibus.**

12. Posset in hac materia sine misericordia videri, & insensibilis S. Hieron. qui similes parentes, proles à religioso statu revocantes homicidijs comparat, qui Christum occidunt in corde filiorum suorum. Verba ejus sunt. *Ecce adversarius in pectore tuo Christum conditur occidere; ex quibus sic infert: licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparsa crine & scissis vestibus, ubera quibus te nutriverat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per antecæsum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola, solum pietatis genus est in hac re esse crudelitate. Quid vultis plura? sed ne solum S. Hieronymum hujus sententiæ esse putetis, addo & testimonium non minus luculentum S. Bernardi, qui certè non minus in parentes, qui filios à statu religioso avocetere conantur, invehitur; sic enim exclamatur: *O dorum patrem! o savam matrem! o parentes crudales & impios! imò non parentes, sed peremptores! qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis.**

Math. 18.

Hier. Epist. ad Nepos.

S. Bernard. Epist. 3.

*Mitra abusto : domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi, & hoc ab iis, qui in incendio positi sunt.*

13. Frivolæ promissæ sunt rationes, & tales convincuntur, quas parentes præterdere solent, nempe quod proles nimis teneræ sint, quod non sciant sufficienter discernere inter statum & statum, quod prius debeant addiscere, ut dicitur, cognoscere mundum suum, flandricè, *hien vveerolt leeren kennen*, vel ut alii semper in ore habent, quod submersi jaceant, antequam aquam cognoscant, flandricè, *sy syn verdroncken eer sy het vwater kennen*, &c. Quas frivolâs rationes solide refutatas vide apud Engelgrave in Cælo empiteo in festo S. Alois.

Ex quibus concludo, quod parentes, dum expedire judicant, proles ad statum religiosum vel matrimoniale quidem hortari possint, sed quod proles non teneantur obedire, imò si minis, importunis inductionibus, austeris agendi modis, proles contra suam libertatem ad aliquem statum suscipiendum violenter urgeant, peccant mortaliter. Declaremus & probemus hæc paucis.

14. In primis, quod proles non teneantur in eo parentibus obedire, ratio est: Quia in eligendo statu, ex natura sua sunt liberæ; ut tradit S. Thomas 2.2. quæst. 104. art. 5. & explanat his verbis: *Quia omnes homines naturâ suâ pares sunt, pusa in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem: Unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire in matrimonio contrahendo vel virginitate servandâ, aut aliquo hujusmodi.* Cum autem similes importunæ inductiones graviter soleant prolium libertati præjudicare, atque exinde gravissima nata sint incommoda, inde Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 18. de Regul. excommunicat omnes, qui directè vel indirectè gravi timore vel fraudibus aliquem vel aliquam induxerint ad ingressum Religionis, vel qui ingredi volentes quoquo modo impederint, & plurima alia ordinavit,

dinavit, quæ conducunt ad manutenendam in prolibus integram & omnimodam libertatem. Certum est autem apud omnes D.D. esse peccatum mortale, contravenire illi quod sub pœna excommunicationis à Conciliis Generalibus inhibetur.

15. Matrimonia quoque quæ coactè contrahuntur, declarantur à Trident. Sess. 24. de Reformatione Matrim. invalida & nulla. Ratio est universalis, quia in electione statûs ex natura sua quisque debet esse liber. Undè S. Ambrosius super illud 1. ad Corinth. 1. de Viduis, cui vult nubat tantum in Domino, sic dicit: illud est, quem sibi aptum putaverit illi nubat: quia invita nuptia solent malos eventus habere, quos scilicet quotidie tantum nimis audimus, videmus, experimur.

16. Videant ergo immiseriçordes illi parentes, quantis criminibus se suosque implicant, dum filios ac filias tamquam victimas infelices statui ingrato & involuntario devovent: quot enim indè desideria illicita, quot maledictiones, quot imprecationes, quot sacrilegia, adulteria, desperationes? Sæpè cheu! faciunt in altera vita damnatos, quos in hac vita fecerunt captivos.

17. Videte ergo, ô parentes, ne metu gravî, minis vel verberibus in electione statûs cum prolibus vestris agatis. Nec ad nuptias cogite, quæ statum eligunt castitatis, nisi Dei iram vindicem velitis experiri, neque ad castitatem importunè urgeatis, qui nubere volunt. Undè enim in Religionibus & Claustris tot casus funesti, scandala & apostasiæ, nisi quòd plures irrepant non à Deo vocati, sed à parentibus intrusi, ut spem hæreditatis amplioris aliis prolibus parent? Denique si connubia eligatis, non ad placita vobis, prolibus autem ingrata compellatis: quia magnâ opus est libertate cum de vinculo insolubili agitur, & ad tot onera ferenda opus est spontaneo amore: quia non tam uxor quàm hostis dicenda est, quæ invita nuptui datur.



18. Mihi contingit in variis locis, sic scribit Jacobus Marchantius, hac de re casus lacrymis dignos audire. Quaedam falsae sunt, se per plures annos à maritis ita fuisse averfas, ut nec se attingi paterentur: exponabant interim eos certo turpitudinis periculo. Quaedam cum parentum voluntati non possent refragari, resolvebant secum: si opus sit huic viro mihi ex solo jungi, cogitatione alio persuar. Cum quamdam urgerem, an non interrogata fuisset à Ministro assistente, num in illum virum consentiret? An non saltem tunc asseruerit, se consentire? Respondit se verbo quidem assensisse, mentem tamen, quantum in se erat, aliò divertendo. Nec defuit quae tandem veneno maritum se infecisse falsa est. Denique quam multae hanc ob causam adulterio matrimonia polluerant? Discite igitur, ô infaulti parentes, non abuti patriâ potestate, liberos morosè premendo, opprimendo, perimendo & vos & ipsos, dum tot periculis salutem eorum exponitis, quae quidem in caput vestrum retorquentur. Ita ille.

( Si hæc publicè coram populo exponantur, cum grano salis fiat. )

Quibus non obstantibus, non licet prolibus in hac materia facere quidquid voluerint, ac cæco impetu procedere invitis sœpè & justissimè contrahentibus parentibus. Undè in hac materia ad quid proles obligentur, declarabit

PARS III.

19. **Q**uamvis proles in electione statûs sic sint libere, tenentur tamen petere consilium & assensum parentum, præsertim ante contractum matrimonii: Undè si nubant sine justa & urgente causa, non petito consilio & assensu parentum, vel illis justè renitentibus, peccant mortaliter. Ratio est: quia ad patriam potestatem spectat proles nuptui tradere, vel de nuptiis providere, adeoque contravenientes faciunt parentibus injuriam. Sic Scriptura utriusque legis docet, & hanc potestatem delegat parentibus. Undè Sapiens di-

ait: *Sicut tibi sunt, saxa corpora illorum, & non  
 eundas facias hilarem ad illas. Trade filiam, &  
 grande opus faceris, uxori sensato da illam.* Juve-  
 rit desuper audire discurrentem à Lapide; *Trade  
 filiam, & grande opus faceris;* quia illud, ait, si-  
 cut ab una parte est difficile; sic ab altera multum  
 est utile. Utile inquam tum tibi, tum ipsi, tum  
 Reipublicæ: Tibi imprimis, quia te ingenti curâ  
 & proceram molestiâ liberat, simulque multis pe-  
 riculis. Filiz autem, quia sic ejus pudicitiz con-  
 sulis, eamque in statu honesto collocas, & Rei-  
 publicæ denique, quia ex matrimonio generantur  
 proles, quæ suo tempore Reipublicæ bonum pro-  
 moveant.

20. De cætero hæc maxime ad legem veterem  
 spectabant, quando coelibatus non erat in usu, irad-  
 verò erat vituperium. Sed in lege nova, ubi Chri-  
 stus coelibatum consulit & matrimonio præfert;  
 ubi Apostolus dicit: *Bonum est illis si sic permanent* 1. ad Cor. 7.  
*focis & ego*, hoc modo ille locus Ecclesiastici est  
 intelligendus: *Trade filiam viro, nisi illa meliori  
 viro, scilicet Christo iungi voluerit.* Tunc addit  
 Sap., & hoc bene parentibus notandum, qui defe-  
 ctu hujus plurimorum sunt causa malorum, & *ho-  
 mini sensato da illam* etiam sine dote; si vir ipse  
 prudens, bonus, filiz conveniens sit, &c. numquid  
 ergo perversè agunt parentes, qui non respiciunt  
 ad personam, sed ad solas pecunias, ubi pecuniæ  
 omnes defectus maxime etiam notabiles palliant,  
 qui filias elocarent, auro offuscante oculos; etsi  
 foret asino deaurato; *mes den vergulden esel?* Pru-  
 dentior certè olim erat Themistocles Philosophus,  
 qui cum interrogaretur, cur filiam suam dedisset  
 viro pauperi, tamen sapienti? respondit: *Malis  
 virum pecuniâ, quam pecuniam viro indigentem.*

21. Itaque ut proles bene eligant, & in electio-  
 ne non decipiantur, Parentum, quoniam officium  
 est adjudicare, & consilium petere & assentum ob-  
 tinere debent: & considerare quod sit iporum

munus & obligatio, de congruis nuptiis prolibus providere. Sic Catullus in Epithalamio, puellæ suadens ut parentum voluntati assentiatur, lepidè dicit :

*Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est,  
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,  
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,  
Qui generi sua jura simul cum dote dederant.*

22. Dixi superius filios peccare mortaliter, qui contranitentibus parentibus matrimonium ineunt, *sine justa & urgente causa*. Quæ si adfit, tunc urbanè licentiam petiisse, & cum respectu rationes suas allegasse sufficit. Hoc autem potest contingere, quâdo parentes sine causa, bona, justa, proficua secundum statum suum prolium matrimonia impedire volunt. Profectò dubium non est, quin graviter peccent parentes, qui sine legitima causa consensum denegant, & vix umquam, qualiscumque juvenis sit vel puella, ut matrimonium contrahatur, consentire volunt, sed millenos ad manum habent titulos coloratos, ut etiam honestas prolium nuptias impediant atque evertant. Cujus rei fundum, si altius indagare velimus, ordinariè reperiemus, quòd fiat vel ex avaritia, ne dotem dare cogantur, vel quia sibi opem prolium adhuc prætendunt necessariam, ac parum interim considerant quòd sic sæpè infinitorum propemodum malorum sint causa, quæ Confessariis meliùs quàm parentibus ordinariè innotescunt.

23. Aliud est, si parentes justè sint invitati, tunc enim proles gravissimè peccant, nec umquam ipsis à Deo speranda est benedictio, quæ tanto, tam sensibili, tam injusto dolore parentes afficiunt, ut propterea non rarò illos vivere tædeat & dolore tabescant. Undè similes ut possent exheredari, à potestate publica justè constitui posset, illique per ingratitudinem suam & proterviã nihil minus mererentur.

24. Si petas quænam justa causa censeri possit ut parentes rationabiliter contradicant? Respondeo

hanc sufficere, quòd matrimonium à prolihus præ-  
tentum non sit salutare sed damnosum. Hâc ratio-  
ne ductus noluit Abraham ut filius ejus Isaac acci-  
peret uxorem de filiabus Chanaan, idemque Isaac  
præcepit filio suo Jacob, & uterque obedierunt,  
atque à patre benedictionem obtinuerunt in cœlis  
confirmatam. Ratio autem quare illi Patriarchæ  
hoc ita præceperint, erat: Quia semen Chanaan  
maledictioni subiacebat, & filix Chanaan ad quæ-  
libet vitia erant admodum pronæ.

Hinc etiam fuit quòd Isaac & Rebecca uxor il-  
lius tam ægrè tulerint, quòd Esaü sine illorum con-  
silio vel assensu uxores de filiabus Chanaan acce-  
pisset, in tantum ut Rebecca marito diceret: *Tades Gen. 27.*  
*me vita mea propter filias Heth, si acceperit Jacob*  
*uxorem de stirpe hujus terra, nolo vivere.*

25. Videant itaque parentes quot peccatis corâ  
Deo sese involvant. 1. Si ob solas pecunias, nobi-  
litem, honores, commoda temporalia, filios vel  
filias ad damnosa urgeant matrimonia. 2. Qui vel  
ex odio vel avaritia, vel ob titulos coloratos salu-  
tares prolium impediunt nuptias. Sed videant &  
proles quomodo se maledictioni divinæ impli-  
cent, si ex solo amore carnali, *calver liefde*, con-  
tra rationabiles parentum voluntates matrimonia  
contrahant, & recordentur causam generalis dilu-  
vii fuisse: *Videntes filii Dei filias hominû quòd essent Gen. 6.*  
*pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas ele-*  
*gerant.* 3. Videât denique proles, quæ salutaria parê-  
tum monita irrident atque contemnunt, & quæ  
respectu parentû non secundùm rectæ rationis di-  
ctamen, sed suam phantasiâ, & corruptam nat-  
uræ inclinationem procedunt. Ut finiamus, sit

26. **V** Idimus nunc N.N. quomodo parentes de- **EPILOG.**  
beamus diligere, in quâ tum nempè divinæ  
voluntati nihil contrariû volunt. Vidimus quomo-  
do in electione statûs simus quidem liberi, sic ta-  
men ut parentum consilium petere, & benè sua-  
dentibus obtemperare debeamus. Nolite ergo N.

N. nolite contristare parentes vestros, & nisi res omninò urgeat, ob respectum ad parentes, ne illi doleant, potius de jure vestro, quantum salvo amore Deo debito fieri potest, remittite. Sic benedictionem paternam merebimini, & benedictio illius in novissimo manebit.

Gen. 28.

Gen. 28.

Diximus suprà quomodo Isaac præceperit filio suo Jacob, ne uxorem de filiabus Chanaan acciperet, sed *vade*, inquit, & *prosciscere in Mesopotamiam*, ut ibi uxorem accipias ex familia tua. Obedivit Jacob, sine mora iter arripuit, nec difficultates nec præsentas objecit excusationes, sed cum benedictione paterna viam aggressus est: dum autem post viginti annorum servitium patris adimpleto mandato rediit, quid factum est? *Ecco fuerunt ei obviam Angeli*, ait Scriptura. Sed quare habuit Angelos obviam? Sic quaerit Rupertus, & respondet: *Jacob, postquam patris præceptum pergit, revertenti obviam fuerant Angeli Dei: ut sciamus, quia post obedientiam laborem, superest Cælestium Spirituum crebra visitatione, etiam in hac vita remunerari.*

27. Si sic cum paterna benedictione omnia nostra aggredieremur, N. N. si ad salutaria monita attenderemus, si in status susceptione rectè consulenti vel præcipienti obediremus, an putatis, quòd hodie tot infausta reperirentur matrimonia? Nonne familiarum in pace, in mutuo amore, in mandatorum Dei observatione forent etiam hinc tanquam Cælum, proles autem tanquam Angeli? numquid pater tanquam Sol, mater foret tanquam Luna, qui proles, famulos, ancillas, totam denique familiam bonis exemplis illuminarent, piis exhortationibus foverent, omni benevolentia prævenirent? Numquid, ut paucis totum dicam, sic status matrimonialis hinc foret præludium felicitatis, & in futuro parentes cum filiis felicitatem reciperent sempiternam? Ubi è contrà videmus, quòd multi conjugati hinc prægustent infernum, & vitæ aliud in futuro habent expectandum.

28. Itaque filii & filiae obedite parentibus vestris, honorate illos, subjacete iisdem, quia inobedientia & erga ipsos iracundia, ait noster S. Bernardinus, est transgressio omnium Legum, maxime Legis naturae, scriptae & gratiae, Canonum & omnium Legum Imperatorum, quia in omnibus his honor parentum praecipitur. Imò filios inobedientes ac contumaces S. Chrysologus non filios hominū, sed filios diaboli censet appellandos. Verba ejus sunt: *Separare filium à devotione paterna, & jam non est filius, sed frater & collega eorum, de quibus dicitur, vos ex patre diabolo estis.*

Bernardini  
Tom. 2. Ser.  
17. in Dom.  
2. Quadrag.

Et quid inde consequens est, nisi ut secundum fixam apud Deum regulam, eadem mensuram qua mensi sunt, remetiantur ipsi? Sic est, ait S. Petrus Damianus, quia *in solo placidè Dei solat evadere iudicio, ut qui parentibus humiliter subditur, ipse quoque pater effectus in propria sobolis obedientia delectetur.* Et è contrà pariformiter discurre. Sic ergo. N. N. amemus, honoremus, & subditi colamus parentes, ut post hujus vitae peregrinationem, æternum cum ipsis gaudere mereamur in caelis. AMEN.

Petr. Dam.  
lib. 8. ep. 3.

## CONCIO XLIV.

*De iis qua debent parentes prolibus.*

THEMA. Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia illorum. *Eccli. cap. 1.*

1. **C**UM jam ad longum viderimus, quid filii debeant parentibus, quomodo eos debeat amare, honorare, obedire, & in necessitatibus eorum ipsis subvenire, ut recto ordine procedamus, materiae connexio suadet ut examinemus quid parentes debeant filiis: verum enim vero si filii jure divino naturali obligentur amare parentes, quis dubitare potest, quin parentes reciprocè obligentur diligere proles suas? amor enim est

EXORDI

communiter dicitur, non nisi amore dignè compensatur.

2. Curiosa hîc moveri potest quæstio, quare scilicet Deus, qui expressam legem tulit, quâ ad amorem parentum proles constringuntur, reciprocâ similiter legem non tulerit, quâ obligantur parentes redamare proles suas? ad quod D. D. cõmuniter rectè respondent illud respectu parentum non fuisse necessarium, juxta commune Proverbium, quo dicitur *amorem descendere, non ascendere*. Cùm enim parentes proles tamquam aliquid sui tanto affectu naturaliter diligere soleant, ut frequentius in eo excedant quàm deficient, superfluum fuisset expressum desuper dare præceptum. Sicut ergo propter eandem rationem necessariũ non fuit particularem legem de amore sui ipsius dare, sic nec de amore parentum erga proles, quod necessarium fuit de amore prolium parentibus debito, utpote in quo proles sæpius deficient, & ad quod non adeo à natura instigantur.

3. Sic in proposito respondet noster S. Bernardinus: *Si quaritur, inquit, quare non est mandatũ de amore filiorum, sicut de honore parentum, dicendum quod natura satis inclinatur ad hoc*. In cujus confirmationem citat auctoritatem S. Chrysostomi, qui illud similitudine radicis arboris explanat, utpote cujus humor ascendit ad truncum, ad ramos, ad folia & fructus, nullatenus autem è converso ab his descendit ad radicem: *Sic naturaliter, ait, amor à parentibus ad filios ascendit, & non revertitur; propterea ad amorem parentum inclinanda debet ratio, excitata per considerationem debiti & præcepti, non autem è contrà*.

His non obstantibus, certum est parentes graviter obligari diligere proles suas, eas instruere, illis providere, uno verbo sollicitam de iis curam gerere, quod sufficienter Sapiens innuit, dum dicit: *Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia illorum*. Ut ergo de hac gravissima parentum

S. Bernardin.  
Tom. 1. Ser.  
in ser. 4. post  
Dom. 3.

obligatione agere incipiamus, ostendam hodie ad quid matres teneantur ante & post partum respectu infantium, & erit Pars prima. Parte 2. ad quid teneantur respectu filiarum, præsertim quæ jam sunt vel incipiunt fieri nubiles. Finiemus conformi exhortatione, priùs tamen

A V E M A R I A.

4. **U**T fundamentaliter sciatur ad quid parentes respectu prolium obligentur, examinari debet radix, ex qua illa obligatio resultat: hæc autem non est alia, nisi quòd natura & recta ratio dicat, unumquemque sicut curam gerit de seipso, sic non absimilem gerere debere de iis, quæ sunt aliquid sui-ipsius. Proles verò sunt aliquid parentum, utpote ex iis procreatæ, ergo debent de iis curam gerere. Hæc autem cura præcipuè in amore & educatione consistit, & quoad utrumque obligantur tam mater quàm pater. Pro nunc examinandum specialiter suscipio, ad quid obligentur matres, in quem finem

Pars I.

5. Dico 1. matres obligantur sub peccato mortali sollicitam curam gerere proles quam utero gestant. Ratio est: quia hoc dicat ipsa natura, & naturalis amor, quem natura parentibus erga proles infudit; sed magis amor spiritualis, ne scilicet suscepta proles sine baptismo moriatur ac in æternum pereat.

Nolo hîc ad longum disputare an parvuli, qui sine baptismo moriuntur, sint puniendi etiam poenâ sensûs, seu igne infernali, an verò tantum poenâ damni, seu privatione cœlestis gloriæ. Quavis enim verâ putem doctrinâ SS. Bonav. Thomæ, aliorumque SS. PP. quòd solâ privatione cœlestis gloriæ puniantur, & hoc propterea, quia justo Dei judicio pro qualitate delicti erit & plagarum modus; parvuli autem nec propriâ voluntate peccarunt, uti innuitur Apoc. c. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Ergo cùm propriis sensibus non pecca-

Apoc. 18.



rint, nec in sensibus videntur torquendi, sed solâ cœlestis gloriæ privatione. Sic illi SS. Patres.

6. His tamen non obstantibus, S. Aug. videtur absolute sentire, quòd etiam igne infernali puniendi sint, etsi mitius, quàm qui propter propria demerita. Quidquid sit de rei veritate, novit Deus: quid decrevit, hoc equidem certum & indubitatum est, quòd maximam & irreparabilem prolibus inferant injuriam, & crudelissimæ sint matres, imò verò potius feræ bestię, quæ aliquid faciunt, vel permittunt, quo abortum pati possent.

Videant ergo matres & maledictionem Dei sibi certò imminentem exhorrescant, quæ ornatús gratiã ita se comprimunt, ut suffocationis foetus periculo se exponant. Videant & puellæ quæ idem interdùm faciunt, ne gravidæ deprehendantur. Videant quæ illo tempore saltant, quæ noxia comedunt vel bibunt, uno verbo, omnes quæ prolis in utero nullam curam gerere videntur; videant, inquam, quia & jure naturæ certum est, & jure ecclesiastico pariter atque civili, omnes coram Deo & mundo homicidii reas esse sancitur, quæ quoquo modo in causa sunt, quòd foetus post animationem moriatur, & dum id probari potest, tamquam homicidas se sciant puniendas.

7. Videant denique similes quid faciant; quia si, qui alium injustè occidit, teneatur in conscientia omne reale damnum, quod per injustam occisionem intulit, compensare: quomodo parentes unquam satisfacere poterunt prolibus, qui in causa sunt quòd proles numquam Dei visione fruatur? numquid illæ vindictam clamabunt in cœlum? numquid de innoxio illo sanguine Deus similibus exprobrare poterit, quod exprobrasse legitur Cain, qui proditoriè occidit fratrem suum Abel, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* ô parentes! ô matres! ô patres! qui sic contristatis; sic uxores gravidas affligitis, adeò eas exagitatis, vel ex nimia tristitia, vel ex excessiva ira abortum

interdum patienter, perpendite, ecce vox sanguinis, sanguinis vestri, sanguinis innoxii clamat ad Deum de terra, sed clamat vindictam, clamat punitionem, clamat maledictionem.

Porro hæc solum dicta sint pro iis, qui vel quæ culpabiles sunt, nolo enim his contristare parentes, qui satis solliciti sunt, & quibus id sine eorum culpa per infortunium contigit.

8. Dico 2. Matres obligantur proprias proles ipsæmet lactare, nisi habeant legitimum impedimentum. Unde quæ sine rationabili causa eas nutricibus committunt, peccant saltem venialiter. Dico *saltem*, quia non desunt, qui volunt sustinere, quod peccent mortaliter, propter gravissima damna quæ sæpè inde & proliis & familiis evenire tragici eventus demonstrant, ut mox videbimus. Unde ut parentes hac in parte obligationem suam melius perpendant, & in ea materia non tam leviter procedant, fusius de eo discurremus.

9. Profectò S. Chrysostomus gravissimè oburgat & invehitur in matres illas, quæ ne deterioris formæ fiant, pulchritudinem amittant, ploratus infantium diu noctuque audire compellantur, alienis nutricibus proles lactandas committunt. De his enim sic loquitur: *Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater, & pietatis insignia abscondit superbia.*

Chrysost. in  
Epsalm. 50

Quomodo æquo animo videri vel tolerari potest, quod præpotentes matronæ aviculas, caniculos, aliaque animalcula nutrant, ipsis de alimento provideant, imò, ( ut semel vidi hisce oculis ) in argenteo disco delicata quæque cibaria ipsis in serico cumbentibus pulvinari subministrant, sinu foveant, imò ( pudet dicere ) osculentur, & in tantum, ut eas magis diligere videantur, quam propriam carnem & sanguinem, proprias proles, quas sæpè alicui rusticæ vel depravatæ puellæ lactandas committunt.

10. Certè minus rationabiles quàm ipsa bruta animalia conviucuntur; ad quod demonstrandum

S. Ambrosius exemplum Coturnicum profert, quæ maximè sollicitæ sunt, ut pullis adhuc teneris per se de alimento provideant. Numquid ergo Sancta Mater Ecclesia, numquid patria, numquid Deus ipse de crudelibus similibus matribus dicere posset, quod olim Proph. Jeremias lamentabatur de filiabus Jerusalem his verbis? *Lamia nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos: filia autem populi mei crudelis quasi strutio in deserto.* Septuaginta legunt, *sed & dracones majorem habent curam de catulis quàm vos.* Quid autem intelligatur per Lamiam, hîc exponit S. Hieron. *Lamia, inquit, humanam faciem habet, sed corpus bestiale; filia populi mei crudelis quasi strutio in deserto; de hoc strutione & in libro Job legitur quòd induretur ad filios suos, quasi non sint.* Vult ergo dicere Propheta, ea fera & irrationabilia animalia non deserunt catulos, sed proprio lacte eos nutriunt; & quod tunc exprobrat filiabus Jerusalem, hoc nostro tempore magis locum habere videtur, *filia autem populi mei crudelis quasi strutio in deserto.*

11. Reverà sicut mirabilis, sic aptissima est hæc comparatio: de strutione enim narrant Naturalistæ quòd ova sua ponat in terra, & quasi non sua negligat, solique fovenda deserat, adeòque exposita, ut hominum ferarumque pedibus conculcentur. Talibus comparat Jeremias filias populi sui; talibus comparare possum matres, quæ alienis nutricibus proles suas educandas atque lactādas elocant, quasi ipsæ eas non peperissent, quasi lamiis & strutipnibus forent crudeliores. O immisericordiā maternam! proindè certus auctor similes matres appellat dimidias matres; verba ejus sunt: *Quale est illud dimidiatum matrum genus! &c. Nam paradoxum est aluisse sanguine in utero quod non videbant, non alere autem postea suo lacte quod vident jam vivere, jam hominem, jam matris officia implorantem.*

12. Itaque ô matres debetis prolibus lactationem, hoc enim onus natura vobis imposuit, idèd ma

Hieron. c. 4.

millas & ubera vobis adaptavit. Calor enim naturalis lac candidum & suave efficit, dum sanguinem vi attractivâ alliciunt per venas ad se mamillæ, & facultate sibi innatâ, candore & dulcedine aliisque proprietatibus lactis, ad alendum congruis, imbuunt. Et hæc certè providentia meritò vos impellere deberet, ô matres, ad proprio lacte nutriendas proles. Nec nobilitas vos excusat: numquid enim in antiqua lege illustres illæ feminæ proles suas ipsæmet lactaverunt? numquid Sara lactavit Isaac, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, & nobilis illa mater Machabæorum filios septem? Ut propterea laude dignum non sit, quin potius vituperabile, dum feminæ nobiles, absque justa causa & necessitate, filios alere dedignantur.

13. Quid jam dicam de inconvenientiis, quæ inde sequuntur? inter plurima hæc pauca accipe.

1. Indè sæpè contingit infantium corpora animosque corrumpi, dum alieno lacte educantur, sicut statim probabo.

2. Quia ex eo quòd filius non lactetur à matre, fit ut mater filium, filiusque matrem minùs diligat: matres enim solent plus amare filios, quos propriis lactaverunt uberibus. Undè advertunt aliqui, in communi plebe intensiorem esse parentum filiorumque amorem, quàm in nobilium familiis: solent enim nobiles per nutrices lactare, & vix in anno proles suas interdum videre; hinc fit ut major non rarò affectus inveniatur erga nutricem quàm erga matrem.

14. 3. Hinc interdum fieri notum est, ut proles quæ sic deforis nutriuntur, cum multa confusione commutentur. Hujus rei veritatem tragœdia comprobat, quæ Lutetiæ Parisiorum innotuit anno 1626. quam ita refert Jacobus Marchantius. Quidam inter primarios Urbis Consiliarios prolem enutriendam & lactandam commiserat conjugii vinitoris cujusdam sui, extra Urbem in agris & vinctis commoranti. Cum de sedulitate & fi-

„ delitate mulieris nihil ambigeretur, tota ei re-  
 „ censer nate puellule cura ita concedita est, ut  
 „ ferè curam ipsius parentes viderentur ad tem-  
 „ pus deponere & resignare. Contigit autem in-  
 „ fantulam nutricis negligentia igni propius ad-  
 „ motam, in facie ustulari & gravem ei deformem-  
 „ que maculam inari. Quid faceret illa que pa-  
 „ renti numquam ausa esset nuntiare? inico consi-  
 „ lio cum conjugè, suam ipsa prolem, nec ætate  
 „ nec facie ab similem, loco alterius supponit: Et  
 „ cum per plures hebdomadas & forte menses,  
 „ altera visa non foret, credunt parentes sine  
 „ scrupulo suam esse. Itaque ætate crescens edu-  
 „ catur in Urbè more nobilium, que filia rustici  
 „ erat; que autem filia Consiliarii, ignobiliter in  
 „ agris versatur, & more rustico enutritur. Tan-  
 „ dem & illa rustica, secundùm nobile genus pu-  
 „ tatitium, alterius Consiliarii filio nobiliter &  
 „ opulenti in matrimonium datur cum dote corre-  
 „ spondenti. Altera penes vitatorem commoratur  
 „ ignobilis. Quid faceret mater, non mater? Ur-  
 „ getur scrupulis conscientie ob fraudem & dam-  
 „ num legitime proli indè ortum. Post multos  
 „ tandem annos, Jubilæo adveniente compuncta  
 „ suafu confessarii fraudem detegit illis quos res  
 „ ipsa concernebat. Agnoscitur puellula legitima,  
 „ per notam quamdam secretam, quam in ortu at-  
 „ tulerat in parte aliqua corporis. Instatur tunc pro  
 „ recuperanda dote extraneæ data, res apud Judi-  
 „ ces decernenda defertur: matrimonium illud  
 „ prioris non sine perturbatione declaratur nullû,  
 „ tamquam in quo error fuerit circa personam.  
 „ Post que Auctor subdit: „ Hoc solum enarro Lu-  
 „ tetie & Gallie notissimum, ut ostendam negle-  
 „ ctam prolium lactationem & curam, damna non  
 „ pauca posse generare.

15. Dixi supra nisi matres legitimum habeant  
 impedimentum; quia illud commune, necessitas  
 non habet legem, ubique locum obrinet, & sic si ma-

res vel lacte careant, vel ob naturæ infirmitatem lactare non valeant, quis potest contra? Quis dicat tunc nutricem fumere vel illicitum vel inconsultum? Certè sicut nec ego, sic nemo.

Volo tamen parentes in nutrice eligenda quàm maximè prudentes, ut illa sit in Deum pia, moribus proba, nullis vitiis vel peccatis saltem externis & gravioribus infecta. Vultis scire quare? Ratio clara, certa, & ideò omnibus benè notanda est: solent enim parvuli cum lacte inclinationem naturamque nutricis suæ sive bonam sive malam ordinariè insugere. Sic apertè testatur Lactantius.

*Nutrices, inquit, mores suos vel bonos vel malos, in pueros quos alunt, cum lacte transmittunt.* Lactantius lib. 5. de provid.

Rationem autem hujus tradunt Medici & Naturalistæ, quia scilicet sicut naturæ suæ qualitatem parentes prolibus infundere solent mediante sanguine, sic nutrices mediante lacte, utique magis cocto, adeòque majoris efficaciz.

16. Quid mirum ergo, si proles postea sint ebriosæ, dum nutrix ebrietati addicta fuit? Quòd sint libidinosæ, si nutrices fuerint impudicæ? uno verbo si iisdem vitiis deplorantur infectæ, quibus nutrices an non fuissent deditæ, debuisset præviè indagari. Accedit, quòd ex eo quòd nutrices proles alant, hæ majorem affectum & amorem erga eas cum lacte insugant, quàm erga proprios parentes. Undè benè S. Clemens Alexandrinus dicit: *Aluisse & lactasse, amoris incitamenta plura habet.*

Ut ergo hæc finiam, ô parentes, & præsertim ô matres, si à liberis vestris velitis amari, observari, si eos vobis similes velitis in natura & moribus, omnibus hæc omnia cum lacte proprio, saltem quantum potestis, instillare debetis. Defectu hujus tragicam certè historiam narrat R. P. Engelgrave in Panteon, Serm. de vita S. Joannis Bapt. §. 3. Cum autem jam præsertim agam de obligatione matrum, videamus simul ad quid illæ respectu filiarum dum grandinisculæ sunt obligentur, & sic

17. **Q**Uamvis matres singularem curam de omnibus prolibus suis habere debeant, specialiter tamen de filiabus suis. Ratio est: quia cum pater propter negotia sua sæpè deforis esse debeat, non potest sic ipsis adesse, adeoque nec invigilare: matres verò cum fere semper adsint, melius illis invigilare possunt & debent, & eò magis, quò majori illæ expositæ sunt periculo. Vultis scire matres, qualem de filiabus curam habere debeatis? Dicam paucis.

Ecclesi. 7.

18. Sed quid dico, dicam paucis? imò verò paucis dicit Spiritus Sanctus per os Sapientis: *Filia tibi sunt*, inquit, *serva corpus earum*, & servabis animas illarum. Benè dictum, optima instructio! Sed hoc in praxim reducere, hoc opus, hic labor est.

Vultis modum scire ô matres, hoc adimplendi, non scio meliorem quàm ut consideretis puellas ut pullos, *kieckskens* & ut vos exhibeatis respectu illarum ut gallinas. Scitis quanta gallinæ sit cura & sollicitudo ut custodiat pullos, ubique illis præsens cum illis vadit, cum illis redit, cum ipsis foris, cum ipsis est domi, uno verbo non pulli sine matre, nec mater sine pullis est.

Isaia 60.

19. Videtur hic ad rem venire quod dicit Proph. Isaïas: *Filii tui de longe venient, & filia tua de latere surgent*. Oleaster legit, *filia tuæ juxta latus nutrietur*. Quibus verbis hic Auctor omnes matres admonet his verbis: *Admonentur hic matres, ne sinant filias suas à suo latere discedere, ne malum aliquod incurrant: vadant filii & de longè veniant; filia tamen ad latus sedeant, & ibi nutriantur*.

Sed maneamus in comparatione gallinæ cum pullis suis; illa sub alis hos fovet, nec à se longius extra conspectum evagari permittit, & pulli quamdiù sic sub tutela gallinæ educantur, pinguescunt & vacant omni periculo.

20. O puellæ dum sub tutela matris vestræ degitis, sub ejus conspectu ambulatis, non nisi cum illa exitis, nec sine ea reditis, nolite timere, non est periculum,

riculum, accipiter vos non rapiet; sed dum evagari incipitis, vos manifesto pereundi periculo sciatis expositas. Sed & sciant matres, & proinde attendant ad admonitionē S. Hier. de hac materia scribentis ad Demetriadem matrem, nobilemq; matronam: *Filia, inquit, numquam sola, numquā sine*

S. Hieron.  
Epist. ad  
Demetriade

*matre procedant de agmine columbarū vel gallinarum, crebro accipiter unam capit, quam statim invadat & laceret, cujus carnibus & cruore saturetur.*

21. O matres, accipiter non unus est, qui insidiatur pullis vestris, dico filiabus. Numquid multi proci sæpè non aliud intendunt quàm puellā decipere? Ergo matres dum solā cum solo relinquitis in cubiculo, fortè ostio fenestrisque clausis, dum periculosas conversationes non impeditis, dū cum illis deambulationes & evagationes permittitis, quid facitis matres? Numquid feli caseū cōmendatis? *Hec is de Cate de kaes bevolen.* Quid facitis? Videtis accipitrem adpropinquantem, & pullos non protegitis? O matres, vobis loquitur S. Chrysoft. habet quod vobis dicat: *Matres, inquit, filiarum vobis curam assumite: Curate sollicitè ut domi jugiter sint, semper retinere quod dicit Sapiens: Qui amat periculum, peribit in eo.* Nolite dicere, vel potiùs vos ipsas decipere, dicentes, filia nostra satis prudens est, novit suum mundum, non timeo ipsi, cordi habet honorem pudoremque suum, mallet mori quàm vel minimum contra honorem suū admittere, &c. Sic est matres, sic est, filia vestrae satis prudentes sunt, sed donec miracula fiant: prudentes sunt satis, dicitis, sed quoties sæpè postea eheu! cum dolore, cum gemitu, cum familiae dedecore, cum filiarum perditione prætenfam illam prudentiam vagientem auditis in cunis!

Chrysoft.  
hom. 3. in  
Matth.

22. Non sic ergo ait S. Chrysoft. sed *curate sollicitè ut domi jugiter sint, nolite curare filiarum murmurationes, conquerentium quòd numquam solæ sint, quòd matres semper sibi adsistant, quòd tempus juventutis suæ non considerent, quòd similibus*



admodum debeant fuisse addictæ, cum filiabus suis adeo diffidant, quod *ghelyck den duyvel is, soo be-trauwut bysyn gaffen*; nolite, inquam, hæc vel similia curare, tantum facitis ea quæ obligationis vestræ sunt, propter tanta pericula docent DD. communiter, quod matres quæ filiabus periculosas permittunt conversationes suspectarumq; personarum consortia, &c. peccent mortaliter, omniūq; peccatorum, quæ inde à filiabus committuntur, participes sint, ac coram Deo in die iudicii, strictissimam desuper sint reddituræ rationem. Ratio eorū est & mea: Quia mater quæ prævidet periculum peccati, quod impedire potest adeoq; & debet, & non impedit, utique peccati rea convincitur, utpote quæ non solum charitatem offendit, sed & contra iustitiam delinquit; quia filiarum peccata, & per consequens eorum evidentiā pericula impedire, ad maternum spectat officium. Scio & negare non possum, quin frustraneæ sint omnes parentum sollicitudines, nisi filię seipsas custodire velint & satagent; si equidem non necessarias impediant excursions, periculosasque auferant conversationes, multa impediunt dum peccandi occasiones & incentiva reserant. De cætero nimis verum est illud commune, *occafio facit furem*. Flan-dricè, *de occasie maeckt oen dief*.

23. Numquid tragica est historia de Dinâ filiâ Patriarchæ Jacob? Scitis indubiè historiam. Dina curiositate ducta illius regionis cupiebat videre mulieres. Egressa est domo paternâ, ivit ad civitatem. Omnia benè, quid in ea mali? Sed quo fructu, quo eventu? Certè puella illa, dico puella, deserta gal-linæ curâ & protectione, dico matre, incidit in ancipitrem: dicit enim S. Script. *quam cum vidisset Sichem filius Hemor, adamavit eam & rapuit*. Illa perdidit pudorem & virginitatem, fratres illius irâ incensi totam Civitatem diruerunt, omnesque occiderunt. Ecce ibi deplorabilis curiositatis filię è domo paterna vagantis eventus! O matres quot

Gen. 34.

puellæ, quæ tutæ in vestra præsentia latuissent, dum incautè ad loca saltatoria & juventutis congregationes iverunt, perdidērunt virginitatis thesaurum irreparabilem! Quantum interdum parentibus causerunt dolorem, familiæ ignominiam longo tempore indelebilem, vindictas,urgia, duella, homicidia, &c. O misera tempora! Quot non inveniuntur Dinæ? Scimus quæ taceti debent, & multi ex vobis sciunt, sed non omnia per Civitatem voce publicantur præconis.

Ergo ô matres, ut hæc finiam, verbis vos alloquor S. Ambr.; hinc *accipiamus materna sedulitas in filios grande documentum*. Sic faciunt gallinæ, quæ naturæ instinctu, simul atque accipitrē vident vel audiunt, pullos sub alis protegunt. Itaq; à bestiis irrationabilibus accipite documentum.

S. Ambr.  
lib. 5. de  
exam. c. 184

24. **Q**Uæ cum ita sint, attendite parentes quid faciatis, attendite ad obligationem vestrâ, sciatis à vobis prolibus invigilandum esse, tamquã qui pro animabus earum rationem justo Judici reddituri estis. Sitis ergo solliciti, & vos præsertim matres sollicitæ sitis dum estis gravidæ, ne vestrâ incuriã vel culpâ proles in uterò moriatur, & æternum pereat, quæ ad cœlestem gloriam à Deo creata est. Sollicitæ sitis ut proprio lacte, in quantum fieri potest, proles vestras enutriatis, ne cum lacte alieno aliena vitia & vitiosos habitus imbibant. Sollicitæ sitis pro filiabus, ne pudorem & simul fortè animam pro semper perdant.

EPILOG.

25. Quod ut efficacius fiat, in exemplum omnibus parentibus Job proponitur ab Hugo Cardinale, qui pro prolibus ad eò sollicitus erat, ut quoties honestæ recreationis gratiã congregatæ fuissent, pro eis Deo sacrificia offerret, *ne fortè peccaverint*, aiebat. Sed quid hodie parentes Christiani atque Catholici faciunt? Quid faciunt N. N. quando non solum filiorum peccata non impediunt, sed potiùs ad vindictam, ad duella, ad arma, ad ludos aliisque peccata extimulant? Et hoc faciendo; quid

**Psalm, 105.** faciunt parentes? Eheu! Eheu! exclamat David, *Immolaverunt filios suos & filias suas demoniis, diis quos ignoraverunt, dum nempe sub specioso nobilitatis & generositatis titulo, filiorum animis iræ, vindictæ, superbix, avaritiæ & vanitatis spiritum, ab incunabulis, ut ita dicam, instillant atq; imprimunt, quia, agit Hugo Cardinalis, offerunt eos diabolo ornando, & pravis studiis imbuendo.*

26. Scio non semper parentū culpa est, imò verò nimis verum est quod ait David, *nisi Dominus custodierit Civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Sed facite saltem quantum potestis, nec potestis in hac materia nimis esse prudentes, sed debetis semper timere: Non quòd debeatis de filiabus vestris malè opinari, vel temerariè judicare, verùm timere debetis pericula, ne filix, quas honestissimas, donec aliud constat, debetis præsumere, fortè in periculis pervertantur. Servate ergo illas, custodite sub alis vestris, *alys een ooghe int' zeyl*, & dum omnia hæc feceritis, proles vestras sub alis divinæ protectionis commendate, ibi eas custodite, & dicite cum David, ego cum pullis meis, *protegar in velamento aliarum tuarum*, ut & vos & proles vestræ ope divinâ protecti, & hîc à peccatorum periculis, & ab infernalis accipitris unguibus tuti, mereamini super vos & super familias vestras in hac vita copiosas à Deo gratias & benedictiones, & in altera cœlestem gloriam. AMEN.

**Psalm, 60.**



## CONCIO XLV.

*Quomodo parentes obligentur proles suas instruere.*

**THEMA.** Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia eorum. *Eccli. cap. 7.*

**EXORD.**

1. **P**ulcherrima est comparatio N. N. quam adfert S. Vincentius Ferrerius, ubi parentes comparat hortulanis, familiam horto,

filios arbuttis. Undè si arbores non benè crescant, si sylvestres fiant, si curvæ & sine ordine ascendant, culpam non in arbores, sed in hortulanos conjicit.

Verba ejus sunt : *Culpa est hortulani, si arbores sint tortuose, quia parva poterant dirigi. Ita & vos parentes, estis hortulani.* Undè si proles in virtute non crescant, si pravas conversationes tenendo, pravaque consortia frequentando, sylvestres fiant, si in juventutis decursu malis & depravatis moribus ita incurventur, ut jam seniores emendari nequeant, *culpa est hortulani*, ait S. Vincentius; *vestra culpa est, ô parentes! & nemini nisi vobis ipsis imputare potestis vel debetis.*

S. Vincens.  
Ferrer. in  
fest. Pent.

2. Nonne hoc est N. N. quod intendit Sapiens, dum tam seriò omnes parentes monet : *Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia eorum.* Quid aliud vult significare illo verbo *curva*, nisi quòd ipsas proles in juventute novellis plantationibus comparet, quæ in principio, in juventutis flore & tenera ætate virgâ correctionis ad libitum parentum, ut recto tramite ascendant, incurvari debent? quæ aquis piæ & religiosæ instructionis debent irrigari, & de bonorum exemplorû fœcunda terra provideri; quæ omnia si non sufficiant, ait Sapiens, *curva illos.* Sed quomodo? certè non aliter quàm hortulanus curvat arbutta. Quis hortulanorum ignorat praxim? si novellæ plantationes curvæ ascendunt, rectum baculum apponere solent, eique alligare, ut sic baculo adstrictæ, non aliter crescere valeant nisi ad normam illius. Sic ô parentes, si verba, si admonitiones, si bona exempla, ut proles vestræ recto tramite ad Deum in virtute crescant, non sufficiant; virgâ discretæ correctionis curvate illas. Hoc est quod intendit Sapiens in verbis citatis, & meritò.

3. Quia ut benè docet Lactantius, *hæc quidem conditione gignimur, ut generati Deo debita obsequia præstemus, hunc solum noverimus, insequamur.* Sed quia post peccatum, ab hoc fine deviat homo;

Idè educatione & parentum magisterio ad rectam viam dirigi debet : & hoc quidem à teneris annis, quia qualiter educatus fuerit, sic ferè perseverare solet. Est enim hæc tenera ætas sicut charta candida, quæ primos characteres suscipit non facilè delendos: est velut tabula, quæ primos colores ita imbibit, ut omni tempore reservet, nec facilè expungantur.

Itaque cùm in præcedente Concione ostenderimus, ad quid, præsertim matres, quoad proles suas obligentur, hodie docebimus Parte primâ quomodo parentes proles instruere teneantur. Parte 2. declarabimus quàm graviter Deum offendant, & sibi prolibusque noceant, qui in hoc puncto obligationi suæ defunt. Finiemus conformi exhortatione, sed priùs

### A V E M A R I A.

#### PARS I.

4. **S**ANCTUS Paulus Apost. Prædicator ille veritatis, vas electionis, viva illa tuba sancti Evangelii, post tot labores, sudores, itinera, pericula, persecutiones & tormenta, quæ ad disseminandam doctrinam S. Evangelii sustinuit, & ita Jesu Christo filios spirituales procreando, quos ipse per Baptismi Sacramentum pareret quasi, in nulla majore gaudio affectus est spirituali, quàm cùm hos filios in Jesu Christo sibi charissimos in virtute videret proficere, & doctrinam sacram, quam eis tradiderat ab iisdem verbo & exemplo cerneret propalari. Undè de similibus superfusus gaudio dicere solebat : *Vos estis gloria nostra & gaudium.* Et ad Philipp. c. 4. *Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic stete in Domino.* Hæc verissimè dicebat, in his jure meritissimo gloriabatur S. Paulus, quos per prædicationem Domino Deo suo genuerat.

Ad Thoss. 2.

5. Si hoc Paulus quoad filios suos spirituales, ammirum videri debet, quòd Sapiens parentibus, quæ sic in timore Domini proles suas educare satagunt,

tale etiam gaudium promittat? audite ipsum: *Quis docet filiū suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorū in illo gloriabitur.* Quia scilicet boni mores proliūq; virtutes æstimantur parentum, & merito in illis parens gloriari potest, si doctrinā & moribus rectè institutæ, omnibus admirationi sint.

6. De cætero sic proles suas instruere, nedum laudabile est, sed etiam parentibus obligatorium, uti ex sac. Litteris passim & clarissimè colligitur. Sic Moyses postquam filiis Israël præcepta Dei, & omnes voluntates ejus promulgaverat, ut ea in perpetuum observarentur, subdidit: *Docete filios vestros ut illa meditentur, dum sederis in domo tua.* Utq; ostendat quòd parentes ad hoc obligentur, & quàm strictè Deus id observari velit, adjunxit præceptū pro filiis huic correspondens, *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi.* Sic & Proph. David hujus præcepti divini mentionem faciens, dicit: *quia mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis,* scilicet de manu ad manum. Hinc tam seriò omnibus parentibus inculcat Sap. nec tantum monet, sed & præcipit: *Filii tibi sunt, erudi illos, seu instruite illos in iis quæ ad salutē illorum spectant.*

7. Quòd autem parentes ad hæc graviter obligentur, præterquàm quòd ex S. Scriptura evidens sit, idem dicitur ratio naturalis. Omnis enim, qui suscipit aliquem statum vel officium, eo ipso omnibus obligationibus simili statui annexis se liberè subjicit: qui autem matrimonium inicit & proles procreat, officium patris suscipit, ergo obligatur ad omnia ea, quæ officium paternum exigit. Nunc autem obligatio patris & quidem præcipua est instruere proles, ergo &c. Verum-enim-verò, si jure naturali prolibus suis de ad sustentationē vitæ necessariis providere obligentur, quantò magis ad idem constringuntur quoad necessaria ad salutem animæ: cum necessitas animæ eò magis urgeat quàm corporis; quò anima est nobilior, & corpore pretiosior.

8. Ex his infero 1<sup>o</sup>. Quòd parentes obligentur instruere proles in omnibus iis quæ ad salutē sunt scitu necessaria. 2<sup>o</sup>. Ea quæ spectant ad Religionem Catholicam. 3<sup>o</sup>, Artem vel modum quo secundum statum suum honestè vivere, & familiam suam sustentare aliquando valeant.

Hæc omnia sicut & suprà dicta confirmantur ex *ad Tim, 5.* iis quæ docet Apostolus: *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Auditis hæc parentes? Ecce si prolium vestrarum curam non habeatis, si eas debitè instruere negligatis, fidem negastis; non tantum humanam, quam in contractu matrimoniali invicem spondidistis, quæque non solum de fidelitate matrimoniali quoad conversationem carnalem, sed etiam de fide quam de educando christianè prolem invicem implicitè jurastis, intelligenda venit; quod si non adimpleatis, fidem eam negastis.

9. Sed & alio sensu dici potest quòd fidem negastis, quia nempe non vivitis conformiter ad fidem vestram, quæ curam prolium vobis præcipit, ex quo & Apost. infert: *& est infideli deterior.* Vultis scire quomodo & quare? Infideles ex solo naturæ instinctu non solum de prolibus, sed & de reliquis domesticis, exactissimam curam gerunt; si vos itaque in ad salutem scitu necessariis proles vestras non instruatis, numquid infidelibus vos deteriores comprobatis? utique, ait S. Chrysostr. *quando quod infidelis facit, tu facere negligis; nonne fidem abnegasti? non igitur in sola confessione, sed multò magis in effectu operis fides ostenditur.*

*Chrysostr.  
hom. 14. in  
illum loc.*

10. Scio quòd Apostolus, ne mulieres doceant, prohibuerit: sed intelligendum hoc est de doctrina in publico, in Ecclesia, &c. Sed docere proles suas ea quæ quilibet Christianus sive necessaria necessitate medii sive necessitate præcepti scire debet, sicut patres sic & matres obligantur. Quæ autem & qualia hæc sint, fusè explicavimus Tomo 1.

Tract. 2. Conc. 8. incipiendo à fol. 108. Quæ si matres ipsæmet docere non possint, hoc saltem possunt & debent, diligenter nempe invigilare, ut proles Catechismos frequentent, ubi necessaria addiscant.

Interim vos eas docete & instruite per piam & religiosam educationem. Hoc à vobis amor maternus, debita prolium cura, lex divina simul & naturalis exigit. Hoc vobis incumbit, ut salvetis animas vestras. Hoc intendit Apost. dum dicit: *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* Sed quomodo mulier salvabitur per filiorum generationem? generatio plura includit; non multum est simpliciter generasse, hoc naturæ est; hoc fatuæ possunt: sed generatio etiã religiosam includit educationem, ut hîc notat à Lapide, undè generando filios per bonam educationem salvabitur, si tamen *permanserit in fide, &c.* Scilicet si ipsa veram custodiendo fidem, Dei dilectionem & proximi, ac cum sobrietate se tenens in sanctificatione, eadem prolibus ab infantia cum lacte indiderit, ipsa salvabitur, proliumque suarum salutem procurabit.

II. Illustre de hoc in S. Monica S. Augustini matre habemus exemplum, quæ & salvata est, & per sollicitam curam, piamque quantum in se erat educationem, ipsum quoque salvavit Augustinũ. Sed quomodo hoc? Augustinus testis est quòd per continuas admonitiones, per piam conversationem, per sanctæ vitæ exēpla; quæ omnia dum videret non proficere, minus sufficere; lacrymas fudit ad Deũ Patrẽ, ut ipse efficaci gratiæ influxu cor obduratũ emolliret filiumque emendaret, quod ipsa piis exhortationibus efficere non poterat. Sed ipsum Augustinũ audiamus: *mater mea, præcepta vitæ, qua in animo plantaverat verbo, rigabat lacrymis, aiebat exemplis.* Cùm autem is ætatem adolescentiæ in lubrico carnis & hæresis contagio conte-

1. ad Tim. 1.

Aug. l. 8. 1  
Conf. c. 11. ]



reret, nullam non sollicitudinem mater adhibebat, lacrymis apud Deum & homines instans, ut eum erueret è luto carnis & erroris. Cùmque illa quodã die S. Ambrosium consuleret, obsecraretque ut filius per ipsius monita & doctrinam ad viam veritatis reduceretur: respondisse dicitur, necdum tempus esse, eò quòd indocilis adhuc esset, & novitate hæresis inflatus. Cùmque illa magis deprecando & ubertim flendo instaret, respondit ille: *Vide, fieri non potest, ut filius tantarum lacrymarum pereat.* O piam! ô sanctam! ô veram matrem!

Chrysof.  
hom. 9.

12. Jure merito ergo ad vos me converto parentes, & cum S. Chrysofomo dico: *Audite ista parentes, ac prorsus aspiciate hujusmodi educatione magnorum premiorum causam fore.* Ipsa proindè Monica tamquam bis Augustini mater, utpote quem peperit mundo, & lacrymis suis peperit & Deo, ab universa celebratur Ecclesia, utque ad similem curam maternamque sollicitudinem omnes efficacius inducam, iterùm loquor cum S. Chrysof. *Neque enim parvi meriti est, indultos à Deo liberos ad ipsius exercere militiam, eique ab ipsis infantia pannis dedicare: nam si hujus educationis fundamenta jecerint, maximis afficiendi sunt premiis, quemadmodum si neglexerint, gravissimis cruciatibus.*

Surius 9.  
Martii.

12. Ad ædificationem omnium his adjungamus præclarissimam exhortationem, quam mater habuit ad Melitonem filium & Martyrem. Hunc cùm tyrannica astutia adhuc viventem reperisset (Sodalibus mortuis, postquam bacillis eorum crura confRACTA essent) noluit ad rogum ejus corpus efferre, si fortè tandem resiliet à Christi confessione. At mater in humeros eum assumens, defert ad rogum Martyribus præparatum, illique in itinere hæc verba insonabat: „ô me beatam, fili, si perse-  
„ veres pro Christo mortem obire! ô felicem uterum meum, qui te gestavit! felicia ubera quæ  
„ te lactarunt! esto fili animo infracto, licet hanc  
„ lucem perdas, brevi æternâ fruicturus es. Quan-

do ad prælium properabas pro Imperatore ter-  
 ræ , prosequer te cum lacrymis , cernens peri-  
 culum quod subibas, exiguum nactus præmiū. “  
 At modo cum gaudio te sequor , sciens post bre-  
 ve certamen, vitam tibi fore & gloriam immor-  
 talem. Angelus ille , qui coronam in stagno ge-  
 lido obtulit , expectat ut illius tibi perennem  
 possessionem donet. Adhuc modicum te pati o-  
 portet , ut matrem lætifices , Angelumque tute-  
 larem : aqua & ignis iter sunt , ad refrigerium  
 æternum & Angelorum consortium. Aquæ fri-  
 gus passus es animo invicto, ego te ad ignem &  
 rogam paratum defero , ut quem mihi Deus cō-  
 mendavit, repræsentem ei cum gaudio. Lugeant  
 matres de filiorum salute incertæ , ego secura  
 iterum te pario æternitati , cœloque , ut ibi me  
 expectes. “ Hæc illâ commemorante , spiritum  
 reddidit Meliton inter amplexus maternos.

Si nunc scire velitis in quibus proles instruere  
 debeatis , vel ut ab aliis instruantur curam habere,  
 explicabit

14. **P**Ræmitto quomodo matribus consultissi- PARS II.  
 mum sit , ut quamprimùm conceperunt ,  
 fœtum suum frequenter Deo & Angelo Custodi  
 commendent ; dico & Angelo Custodi , quia sicut  
 hic custodit matrem , ita & prolem , dum adhuc  
 pars matris est , donec à nativitate specialis An-  
 gelus ei deputetur. Hic enim est , qui impedit ne  
 diabolus noceat , ne extinctionem procuret ante-  
 quam ad Baptismi gratiam pertingat. Interdum  
 enim ob peccata parentum Deus permittit ut per  
 maleficia , vel alia media à diabolo suscitata , in-  
 terveniente hominum malitiâ proles in utero ene-  
 centur. Semper diabolus vitæ prolium spirituali  
 insidiatur , & ita Angelica custodia atque prote-  
 ctio ipsis multum necessaria est.

Præmitto 2<sup>o</sup> parentibus advigilandum ut sem-  
 per in statu gratiæ existant , tum ne propter paren-  
 tum peccata proli aliquid sinistri contingat , tum

ut juxta illis inhærentem gratiam, Deus in prole affectiones, dispositionesque bonas operetur, qui non solum corpus mirabiliter format, sed & animam infundens dotibus diversis jam in radice adornat; idque meritis parentum, dum sese per gratiæ statum, & bonorum operum exercitium, ut Deus initialem benedictionem in prole operetur, ad id se debite disponunt. His præmissis

15. Quamprimum proles eloqui incipiunt, prima vox cui assuescant, nomen JESUS & MARIA cum affectu & reverentia pronuntiare addiscant, deindè Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Ulteriùs instruuntur in rudimentis fidei & pietatis, ut saltem confusâ quâdam ratione concipiant, quid Deus, quid Christus, quomodo amandus, quomodo timendus, quomodo omnes actiones nostræ licitæ sint ei consecrandæ.

16. Ætate crescente crescat & instructio, ut tempestivè mandata Dei de memoria addiscant, ut cognoscere valeant quid sit peccatum, quomodo Dei offensivum, & in quantum illud debeat abhorri. Præterea juxta ætatis capacitatem proponatur eis punctio malorum, præmium bonorum, inferni tormentum, & Regnum Cælorum.

Incredibile est quantum similes instructiones in tenellis illis plantulis fructum producant; dum sic & ad salutem necessaria addiscunt, & quæ pietatis christianæ sunt, cum lacte imbibunt.

Utinam parentes illa & similia seriò & continuò inculcent, v. g. quid sit Missæ Sacrificium, quomodo & quanta cum reverentia ac modestia illi sit assistendum, quid ibi adoretur, quid contineatur. Imò consultissimum sit ut pueri statim ubi capaces sunt, illi cum humilitate & veneratione ministrare addiscant: puerilis enim innocentia hîc ministrans, Angelorumque ministerium imitans quàm maximè Deo placet.

20. Juverit ad propositum audire quod hac de re refert Antonius Senensis in *Chronicis Prædica-*

torum. Circa annum 1240. pietate claruit F. Ferdinandus in Portugallia, qui in Conventu Sanctæ Rhenensis Ordinis Prædicatorum Sacristam agens, puerulos aliquot Religionis habitum gestantes, peracto Missæ Mysterio litteris informabat & moribus. Hos docuerat Missis inservire, & postea ex materna domo jentacula ferentes, soliti erant ad Capellam quamdam divertere, & ibi jentaculum sumere. Erat verò in Altari Virginis Imago, & in sinu ejus Puer Jesus, qui parvulorum simplicitate delectatus, è sinu Matris descendens, cum illis jentaculum sumebat. Postquam id aliquot vicibus fecit, parvuli queruli rem ad Magistrum deferunt, narrantes quòd ille parvulus ad illorum jentaculum semper descenderet, & nihil in Symbolum apportaret. Prudens ac religiosus Pater, re istâ ab ore innocentium perceptâ, eos instruxit, ut si ille iterum more solito ad eos descenderet, eum sic alloquerentur, *En Domine tu semper nobiscum comedis, & nihil Symboli conferre consuevisti ad jentaculum: invita ergo nos & Magistrum nostrum semel in domo Patris tui.* Illi autem sic instructi faciunt, dum parvulus Jesus more solito ad eos descendit. Qui eorum petitioni annuens, diem certum designavit quo id præstaret, & erat dies Ascensionis Domini jam instans. Id mox illi referunt Magistro, qui se preparans ut cœlesti interesset Convivio, illâ die maturè se ad celebrandum disposuit, parvulis iisdem illi ministrantibus, & Sacrificio peracto omnes tres ibi simul vivere desierunt, & omnes tres eodem fuere reconditi sepulchro. Quæ historia, sicut à fide dignis Auctoribus refertur, sic ibidem in ea Patria sine contradictione creditur.

21. Ecce quid parentes per suam instructionem efficere valeant, vel ut ita instruantur, quomodo possint procurare, si prolium salutem & in virtute profectum zelent.

Denique instruantur quomodo præsertim matè & vesperi Deum orare, eique gratias agere de-

beant; sicut & de oratione faciendâ ad Angelum suum Custodem, ad Sanctos Tutelares, ad Virginem immaculatè conceptam, & sic excitetur affectus prolium, ut in his pietatis exercitiis oblectentur. Habeant imagunculas & Altariolum in quo imagines Christi & Virginis appendantur, coram quibus genuflexi desideria sua ad cœlum emittant. Imò & salutare sit sabbato & festis B. M. Virginis cereolum ibidem accendere, ut sic reverentiæ & pietati majori viam sternant: plurimum enim juvat à teneris annis singularem erga Deiparam devotionem imbibere, & gaudet Virgo ex ore infantium, & lactantium perfici laudem suam.

22. Uno verbo ut absolvam, ab infantia ad omnium virtutum exercitia inducantur, præsertim ad misericordiæ opera, in quem finem non abs re erit, si per manus prolium parentes eleemosynas erogent: sic enim cum Job dicere poterunt: *Ab infantia mecum crevit miseria.*

Quæ regulæ nunc præscriptæ si observarentur, bone Deus, quanta Dei benedictio in similes familias redundaret, quomodo parentes in filiis, filii propter parentes omni benedictionum genere circumvallarentur! Sed ut finiamus, sit

## EPILOG.

23. **V**idimus modò quomodo & quàm graviter parentes proles instruere obligentur, vel saltem curare ut in iis, quæ ad animæ salutem, fidem christianam, bonosque mores spectant, per alios instruantur. Methodum assignavimus, quâ illud feliciter & efficaciter perfici valeat. Quomodo ergo melius finiam, quàm verbis S. Cypriani, qui inter cætera sic parentes instruit: *Esto liberis tuis pater talis, qualis Tobias exiit: da utilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille mandavit dicens: Et nunc fili mi, mando tibi, servi Deo in veritate, & fac coram illo quod illi placet. Et filiis tuis manda, ut faciant justitias & eleemosynas, & sint memores Dei, & benedicant nomini ejus omni tempore. Sic practica-*

S. Cyprianus  
hom. de opere  
& eleemosy-  
na.

vit Blanca, nobilissima Matrona, mater S. Ludov. Galliae Regis, quem à pueritia docuit non ambitiosa sequi consilia, non erigi superbiâ, non equos calcariibus subigere, aut armis alienum sanguinem appetere, sed tamquam futuræ sanctitatis fundamentum, timorè Domini in ejus corde construxit, ita ut frequenter illi diceret: Fili, mallem te aspicere mortuum, quàm committentem aliquod peccatum mortale, quo Dei offensam, odiumq; incurreres.

24. Quibus salutaribus monitis maternis in tantum profecit, ut meritò omnibus Principibus ut pietatis & virtutis speculum exhibeatur: licèt enim Rex foret, cum austeritate tamen singulis feriis sextis jejunabat, singulis hebdomadis corpus Christi sumebat, vel saltem confessione peccata expiabat. Lavabat pauperum pedes, infirmantibus cibum ministrabat, laudibus divinis mediâ nocte surgens vacabat. Et undè hæc omnia, nisi à matris pia cum lacte institutione?

25. Finaliter addamus & matrem S. Edmundi, quæ cum hunc Adolescentulum studiorum gratiâ Parisios mitteret, timens ejus teneræ ætati, ut puritatem & castitatem pietatemque, quam cum lacte suxerat, conservaret, sanctissimis verbis instruebat. Lascivam societatem tamquam pestem vitare monebat. Ut Sacramentū Pœnitentiæ ac Eucharistiæ purè & diligenter frequenteret, cum instigabat. Cum verò indusia, & alia ei mitteret linteamina, cilicium, quo carnis petulantiam coërceret, interserebat. Quantos verò matris monitis in virtute progressus fecerit, vitæ ejus sanctitas sufficienter declarat: ita enim in timore Dei fuit stabilitus, ut ordinariè illud S. Anselmi in ore gereret. *Si ex una parte peccatum viderem, ex altera infernum cum pœnis suis, lubentius inferni pœnis me immergerem, quàm vel unum peccatum in Deum admitterem.*

Sic facite patres, sic facite matres, & eritis benedicti in prolibus, proles in vobis, eritis benedicti in hoc sæculo, eritis benedicti in altero sæculo, quod mihi & vobis tribuat qui sine fine vivit & regnat.

## CONCIO XLVI.

*Quomodo parentes curam prolium gerere  
eosque corrumpere debeant.*

THEMA. Filii tibi sunt, erudi illos & curva  
illos à pueritia illorum. *Eccli. cap. 7.*

EXORD.

*Aristoteles  
in Ethica  
l. 2. c. 1.*

1. **A**ristoteles Philosoph. quamvis Ethnicus, non ethnicam tamen, sed maximè Christiano, & juri naturæ conformem tradidit Doctrinam, dum inter cæteras morales instructiones sic ait: *Non parum refert illo vel illo modo à teneris assuescere, sed quàm plurimum, imò verò totum consistit.* Illud practicè & lepidâ experienciâ Lycurgus Rex Lacedæmoniorū omnibus demonstravit: hic enim binos ejusdè partûs catulos educavit, unumq; culinæ ollis, alterum verò venationi assuevit; cùmque omnem populum congregasset, utriq; ollam cum cibus apposuit, eodemque tempore leporem emisit; & ecce mox iste ollam lambit, hic autem cibo neglecto leporem insectatur. Tunc Rex ad populū conversus, videtis, inquit, ô Cives, quàm dissimiles sint iisdem tamen parentibus eodè tempore progeniti. Et undè hoc, nisi ex sola educatione?

2. Sic profectò fit cum hominibus præsertim juvenibus; qualis educatio, talis ordinariè inclinatio, talis vita, talis toto vitæ decursu conversatio.

Numquid patet in equis? nisi à juventute edo-  
mentur, fiunt feroces & jugi impatientes. Comparationem hanc Sapiens subministrat, dicens: *Equus indomitus evadit durus.* Sed quid indè? immediatè subdit: *& filius remissus evadet praceps.* Nobilis equus solâ virgæ umbrâ regitur, cùm tamen ignavus nec calcaribus concitari possit: sic generosa & benè culta indoles, vel unico parentis verbo ad quælibet excitatur; perversū verò ingeniū, contra stimulū  
recalci-

recalcitrans , frænum jugumque excutere nititur.

3. Explorandi itaque diligenter prolium mores & inclinationes , ut parentes eos dirigere vel possint corrigere : quia ut rectè iterùm Sapiens , *ex studiis puer cognoscitur , si recta sunt opera ejus* , id est , indè concipi potest ad quam viam puer declinaturus sit , scilicet ex illis ad quæ in sua pueritia inclinatus reperitur. Quid ergo faciendum ? prudenter utique frænum timoris illis injiciendum est , ut à præcipitio dimoveantur , idque tempestivè conformiter ad illud commune ,

*Principiis obsta , serò medicina paratur ,*

*Dùm mala per longas invaluere moras.*

Prudentiâ tamen hîc opus est ; quod fiet si doctrina Sapiientis observetur : *Filii tibi sunt , erudi illos.* Benè , optimè. Sufficit instructio si proficit : sed quia sæpiùs proles reperiuntur rebelles , & tenera illa ætas magis correctione paternâ quàm ratione piisq; admonitionibus non rarò regitur , indè mox subdit : *Et curva illos à pueritia illorum.* Curva , inquam , & ad bonum virgâ correctionis compelle. Illud paternus amor exigit , filiorumq; bonum postulat , *curva* , ne in proles fias crudelis , dum in eas nimis vis esse misericors.

Cùm ergo in præcedente Concione de necessaria prolium instructione egerimus , nunc & de eorundem correctione agendum est , 1. proindè parte ostendemus , proles non indiscretè diligendas , Partè 2. demonstrabimus , quomodo proles delinquentes corrigi debeant , priùs !

#### A V E M A R I A .

4. **N**on est dubium quin parentes mortaliter peccent , quorum culpâ proles vel scitu ad salutem necessaria ignorant , vel defectu admonitionis & correctionis mandata Dei non observant : hoc enim nimis clarè ex Lege divina & ex jure naturali patet. Quid ergo dicendum de illis parentibus , qui modicam admodum vel nullam quoad



spiritualia curam gerunt, sed toti incumbunt, ut bona iis temporalia congregent atque relinquant, ut officium vel beneficium pingue procurent, ut ad favorabiles nuptias eas promoveant? quid de illis, in quibus præter exempla vanitatis, malitiæ atque carnalis amoris proles nihil vident? quid denique de his, quod pejus est, qui patri S. Augustini sunt similes, de quo ipse scribit: *non enim satagebat, ut crescerem Deo, aut quàm castus essem, dummodò essem disertus, & in hoc sæculo floerem ad honorem hominum.* Et iterùm lib. 2. Confess. c. 10. *Relaxabantur mihi ad ludendum habena ultra temperamentum severitatis; inde prodiit quasi ex adipe iniquitas mea.*

5. Quid ergo de similibus dicendum? paucis respondet S. Bernardus, *dum filios cupiunt onerare bonis terrenis, cælestibus exheredant.* Ep. 2. Quid ergo dicendum? nihil, nisi quòd in statu damnationis versentur, si non seriò se emendent, ac pro viribus reparare conentur, quod suâ negligentia depravarunt, horribile eos manet Dei iudicium. Nec hanc materiam nimis me exaggerare iudicabit, si S. Chrystomo credere placeat, qui negligentiam proles instruendi, causam esse contendit, quòd pauci admodum, etiam ex Christianis salventur: sic enim olim populum suum alloquebatur: *quot esse putatis in Civitate nostra qui salvi sunt? infestum est quidem hoc quod dicturus sum, dicam tamen: non possum in tot millibus centum invenire qui salventur, quin & de his dubito.* Tunc adfert rationem, quare tam paucos salvandos existimet: *quanta enim in juvenibus quaso malitia, quantus in senibus torpori filii curam gerit nemo, nemo zelum habet, exemplaria deleta sunt, propterea neque juvenes evadunt laudabiles.* Si ergo vos, o parentes, in causa fitis quòd tot damnentur, quomodo in iudicio Dei comparere non formidatis?

6. Scio, nec de eo disputo, sufficientem plerùmque curam geritis, ut proles ea addiscant, qui

Chryst.  
hom. 49. ad  
Popul.

bus postea se honestè, familiamque sustentare valeant; nec cura illa vituperabilis est, dum non excedit, nec pro animæ salute instructio necessaria negligitur: quod si fiat, Scribis & Pharisæis vos similes contendo, sed & probo: profectò Scribæ & Pharisæi solliciti erant quàm maximè, ut de omnibus bonis suis decimas solverent, sed ea quæ magis præcipiebantur, adeòque magis obligabant, omittebant; scilicet ut Christus eis exprobrat, *judicium & misericordiam & fidem.* Sic vos, ô parentes, de temporalibus atque terrenis prolibus providere satis solliciti estis, imò eo adeò non rarè occupati, ut quæ ad propriæ proliumque animæ salutem spectant, oblivisci penitus videamini? undè & vobis dico, quod & olim Christus in simili casu Scribis & Pharisæis, *hac oportuit facere, & illa non omittere.*

7. Nolite, vos obtestor, oblivisci illius quod Salvator docet, omnibusque tam seridè inculcat, dicens: *Quid prodest homini, si mundam universam lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* quid & vobis proderit, si pro temporalibus vobis prolibusque procurandis adeò solliciti sitis, & interim animæ vestræ obliviscamini? quid proderit prolibus pingue relinquere matrimonium, si aliundè in causa sitis, quòd fiant extorres à regno Cælorum? quid proderunt denique vobis prolibusque omnia illa, quæ sicut vos, sic & proles, velitis nolitis, in morte deserere debetis, si tunc virtutibus pauperes & spiritualibus bonis meritisque inveniamini spoliati? ô perversam parentum sollicitudinem! qui, ut ait S. Bernardus, *dum filios cupiunt onerare bonis terrenis, cælestibus exheredant.*

8. Pelicanus dicitur pectus suum dilacerare, & ut pullos nutriat, cruore conspergere: sic vos ut oves filiis acquiratis, totos vos ipsos dilaceratis, & animo corporeque faucii contabescitis. Hinc dicebat Crates Thebanus: *Si liceret, in altissimam Urbis partem conscenderem, & exclamarem: quòd*

ruiſis, ô ſtulti homines? quid agitis, qui totum ſtudium in opibus corrogandis ponitis, filiorum verò veſtrorum quibus illas relinquatis erudiendorum curã non ſuſcipitis. Quid facitis? copioſam ipsis materiam, quã ſe in omnem luxum effundentes, & ſecundùm corpus non rarò hïc, & ſecundùm animam æternùm pereant, ſubminiſtratis atque relinquitis. In ſimiles parentes pro gravitate materiæ, vehementer invehitur S. Bernardus, vocans eos parentes crudeles, imò non parentes, ſed peremptores: corpus, inquit, naturam amant, ut ad ſuperfluitatem ipsis de bonis terrenis provideant, animam verò contemnunt, quaſi verò eo ipſo proles & efficerent & relinquerent beatas, quo divitiis facerent abundãtes. Deſiderãt enim, ſic pergit, valere illos ſeculo iſto, & non curant quid paſſuri ſint in alio.

S. Bernard.  
Ep. 30.

Eccle. 2.

9. Hanc etiam vanitatem notans Sapiens, dicit: *Deſtutus ſum omnem induſtriam meam, quã ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem, quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis quibus deſudavi, & ſollicitus fui, & eſt quidquam tam vanum?* Taxat hïc nimiam parentum ſollicitudinem, binis rationibus vanitatem illius oſtendens. Primam ſumit ex mortis neceſſitate, per quam, velint nolint, in manibus hæredum debent relinquere, nec ſecum quidquam poſſunt efferre, alteram quòd neſciant, qualem hæredem habituri ſint.

Licet habeat aliquis filios, illis tamen fortè ab aliis oppreſſis, hæreditas ad alios perventura eſt. Deindè neſcit qualis futurus ſit filius, & an benè uſurus; ſolent enim animum opes immutare, ſolent ad vitia transferre. Et licet vivente patre, ſpem bonam dederit, fortè tamen poſteà occasione datã præceptis in vitia & delicias ſe præcipitabit & tanto labore quæſita bona temporalia brevi diſperdet.

10. Nec minùs vanus eſt, imò magis perverſus eſt labor & parentum importunitas, ut filios ad honores & dignitates promoveant, ſic ut pericu-

hum maledictionis parum curent, si modò filii promoveantur. Quàm multi officia emunt, permittunt, & per mille fraudes acquirunt, parum considerantes, an filii ad ea obeunda capaces sint nec ne, an similis promotio funestū exitū non sit habitura, an empti honorū status salutē eorū congruant, &c. solet enim ordinariè evenire, ut quæ in grosso emuntur, minutatim deindè divendantur, & quid indè, nisi quòd totus quasi mundus de furtis, fraudibus & justitiæ violatione conqueratur? ô tempora! ô mores! ad templum honoris, nisi per templum virtutis non patebat olim aditus, hodie per nummū tamquā summū Numen omnis honor venalis exponitur, & à parentibus filiis procuratur.

II. Utinam eadem viâ hodie ad officia & beneficia Ecclesiastica filii non promoverentur! sed quomodo sæpè fit in praxi? dicam cum S. Chrysof. infestum est dicere, sed dicam equidem: parentes quâcumque viâ filiis provident de beneficiis, & quid indè? quid indè N. N.? nisi quòd inde gravissima scandala in Ecclesia Dei exoriantur. Ecce enim ex prava Ecclesiasticorum vita, proveniente utique ex dissolutorum juvenum immatura promotione, qui à parentibus, ubi tamen nihil minus quàm Dei gloriam, animæque salutem quærunt, quandoque inscîi, quandoque inviti quasi, ad pingua beneficia promoventur, & sic à Deo minimè vocati, dum ad pinnaculum Templi evahuntur, ad animæ præcipitium ducuntur. Quid facitis parentes, quid facitis? procuratis filiis, ut prætenditis, cingulum honoris, & ego dico quòd non rarò iis perditionis aureum funem præparetis. Ecce ad Sacerdotium, & in Sacerdotio ad eminentes filios promovetis dignitates, sed an præviè examinastis, an ad hoc à Deo vocati sint? imò verò sine tantæ rei examine, sine desiderio, sine devotione filios vestros ad statum sublimem quidem, sed eis minimè salutarem intruditis. Et quâ ratione, quo fine? non alio certè, quàm ut commodius & lautius vivant.

Gen. 34.

12. Vultis jam scire cæci parentes, quibus assimilandus estis? pace vestrâ dixerim, similes vos contendo Civibus Sichem, qui non illubenter admiserunt Hebræorum circumcisionem. Eo nempe sine; ut eorum bonis fruerentur; sic enim dicebant: *Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes, substantia eorum & pecora & quæ possident nostra erunt.* Sic vos non illubenter permittitis, imò verò procuratis, ut filii ad dignitatem Ecclesiasticam promoveantur, ut pinguibus beneficiorum proventibus gaudentes, non modò familiæ non noceant, quin potiùs eam promoveant.

13. Sed an similes Ecclesiastici ingrediuntur per ostium? dicamus eos potiùs per caminum ingredi, qui indè solent caliginosè fumigare, dum unus ignem concupiscentiæ fumat, alter turbidâ ambitionis flammâ exæstuat, tertius per ignem caliginosæ avaritiæ animum obscurat; & sic reditus Ecclesiastici fiunt ipsis quod ligna igni, nempe quibus eorum aviditas, & vitiosa cupiditas magis magisque succendatur.

Tob. 4.

14. Hæc omnia sciebat & sapiùs ruminabat Tobias, qui proindè ut filiù suum unigenitum in lege divina ac in exercendis misericordiæ operibus omniqu; virtutum genere instrueret, magis sollicitus erat, quàm ut ipsi bona temporalia accumularet: undè ad confusionè Christianorù, sic docebat illù: *noli timere fili mi, pauperem quidem vitâ gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.*

14. Sic & S. Ludovicus Rex Galliæ filio suo Philippo amorem & Dei timorem præscribebat, inter cætera sic eum monens: 1<sup>o</sup>. *Fili mi ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum: nemo enim potest salvus esse, nisi Deum amet.* 2<sup>o</sup>. *Cave ne umquam admittas peccatum mortiferum, sed omnia potiùs ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam.* 3<sup>o</sup>. *Cum adversa accidunt, feras equo anti-*

mo, & cogita te commeruisse, atq; ita lucrum indè tibi accedet. 4<sup>o</sup>. Cùm rebus prosperis fruor, humiliter agas gratias Deo, ne indè animo elatus, efficiaris deterior, undè te oportuit fieri meliorem. Has & plurimas alias instructiones S. Ludovicus Rex sub mortem dedit Philippo filio suo primogenito, tamquam testamentum legans ejus cordi firmiter imprimendum, omnibusque Principibus meritò imitandum.

16. Et vos parentes quomodo instruitis proles? quid filios docetis, quid inculcatis? frequentius sæpè politiam humanam, imò diabolicam magis, ( id est fingere, decipere, dissimulare & pro omnium actionum scopo habere proprium interesse ) quàm christianæ perfectionis regulas vel documenta. Solliciti estis, ut procuretis temporalia atque terrena, & ad illum finem omnes ingenii nervos impenditis, bona verò cœlestia & sempiterna planè negligitis. Quid facitis cæci parentes? ecce tali dilemmate vos premit S. Chrysof. vel filii vestri, inquit, quos post vos relinquitis, erunt probi, vel improbi: *si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt: si autem probi, nihil ex paupertate ladentur. Vis filium relinquero divitem? bonum illum ac benignum esse doce.*

17. Diffiditis testimonio S. Chrysofomi? audite & S. Cyprianum qui adhuc magis vos urget, dum sic vos alloquitur: *Prevaricator & proditor ergo pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis illis religiosâ & verâ pietate prospicias.* Quid indè? sic immediatè subdit: *qui studeas terreno magis quàm cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis, scilicet quòd filiis tuis de necessariis ad salutem ac ut virtutibus ditescant non provideas, & quòd terrenum magis patrimonium, quàm Deum animæque salutem diligere ipsos doceas.* Hæc scitis parentes, hæc auditis sæpius, hæc prædicantur, docentur, in-

S. Cyprianus  
Serm. de opere  
& calcimas.

culcantur in dies, sed surdis canitur. Ecce quomodo proles indiscretè diligi nec possint nec debeant: quod non solum fit per excessivam pro bonis temporalibus curam & sollicitudinem, sed etiam quam maximè dum in vitiis suis & pravis inclinationibus foventur, id est, dum delinquentes non corripiuntur, cujus correptionis paternæ necessitatem docebit

PARS II.

18. **Q**uòd Dominus Deus sit supremus Pater noster, non est Christianus qui ignoret, nisi qui nescit suum *Pater noster*: Pater utique est noster, quia per creationem omnes ab eo progeniti sumus, ac per providentiam illius gubernamur atque enutrimur; si ergo parentes scire velint quomodo cum prolibus suis agere debeant, quomodo instruere, quomodo delinquentes castigare, videant quomodo Deus agat cum hominibus tamquàm cum filiis suis: quod ne ignoremus, plurima tam veteris quam novi Testamenti testimonia declarant. Sapiens ait: *Quem diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Septuaginta sic explicant: *quem diligit Dominus arguit: flagellat autem omnem filium quem suscipit.* Et in re non discrepant. Quare dicit Sap. quòd Deus corripiat illū quē singulariter diligit, nisi ut ostendat quòd correptio, flagellatio, cruces & adversa quæ Deus immittit, ex verè paterno procedāt amore, non ut hominibus noceant, sed ut ipsis ad salutē proficiant.

Proverb. 3.

Et quasi pater in filio complacet sibi. Hoc est sicut patri placet, si filius per castigationem emendetur, sic & Deo gratissimum est, si per flagella quæ immittit, homines peccata sua deserant, & ad Deū qui solus ipsos juvare potest, convertantur.

19. Quod autem Septuaginta hīc legunt *flagellat autem omnem filium quem suscipit*, benè notandū est. Q. D. Deus neminem agnoscit pro suo filio; nisi quem flagellat; si enim flagellet omnem filiū quem suscipit seu pro suo agnoscit, sequitur, quòd nemo sit filius Dei, nisi quem hīc flagellat.

Illud similitudine explanat S. Augustinus : *duos filios , inquit , habet homo ; alterum castigat , alterum dimittit : facit unus malè , & non corripitur à patre ; alter mox ut se moverit , flagellatur.* Si ita hodie fieret , numquid homines insipientes dicerent , quòd pater hunc odiat , quòd crudeliter excipiat , &c. ille verò quòd sit albæ gallinæ filius ac à patre summè diligatur ? dicant sic insipientes , non sic autem August. ; pergit enim : *undè ille dimittitur & ille caditur ? nisi quia huic caso hereditas servatur , ille autem dimissus exhæredatus est ; videt enim se non habere spem , & dimittit eum , ut faciat quod vult.* Ecce dum Deus hominem tamquam filium suum flagellat , est ut eum emendet , eique hæreditatem cœlestem conferat , ergo totum ex solo procedit amore.

August. in  
Psalm. 73

20. Concipitis , parentes , quare proles vestras corrigere & delinquentes castigare debeatis ? utique non ob aliud , nisi quia jure naturæ eas diligere estis obligati : signum autem dilectionis est delinquentium correptio & flagellatio : quia *quem diligit Dominus* , verus pater , *corripit & castigat.* Sicut enim Medicus urens & secans non irascitur ægro sed ægritudini , quo sensu sic de Deo loquitur Augustinus ; *intellige , ô homo , medicum esse Deum , tribulationem esse medicamentum ad salutem.* Sic loquor vobis , parentes , debetis considerare vos prolium vestrarum medicos esse , quarum morbi sunt mores perversi & pravæ inclinationes , virga correctionis medicina est. Itaque si corrigitis , effectus amoris est ; odire vitia , amare proles , necdum licitum , sed & obligatorium est : sed verè illas non diligitis , nisi earum vitia odiatis , atque earum vitia efficaciter non oditis , nisi emendare studeatis , non emendabitis autem nisi per correctiones & flagella , ergo à primo ad ultimum , proles delinquentes corrigere , & obstinatos flagellis cogere sub reatu peccati mortalis estis obligati.

August. in  
Psalm. 21.

21. Ulteriorem probam desideratis ? videte an



hic solus discursus non sufficiat : omnis parent & ratione officii , & ratione amoris prolibus debiti , omne grave malum quod iis imminet , quantum commodè potest , amovere obligatur. Hoc evidens est. Atqui nisi corripiat & corrigit , in familiæ dedecus , populi scandalum , & animarum perniciem atque damnationem proles evadent pessimæ , ergo parens corripere , & ( dum necessarium est ) flagellare tenetur. Quod autem filius vel filia , qui voluntati suæ in juventute relinquitur , evadet pessimus ,

*Proverb 22. collige ex illo Sapiientis : Adolescens juxta viam suam , etiã cum senserit , non recedet ab ea.* Hoc est , ait à Lapide in hunc locum , pueri juxta viam suam , id est juxta agendi & vivendi modum quem in pueritia imbibunt & cui assuescunt , eundem toto vitæ decursu tenebunt , nec ab eo , etiam cum senserint , facillè recedent ; idque sive modus fuerit bonus sive malus. Si ergo modus vivendi malus sit , à vobis , ô parentes , corrigi debet.

22. Utinam parentes ad proles suas instruendas ac à viis perverfis correctionibus avertendas tam solliciti forent & diligentes , quàm est diabolus , ut eas in adolescentia pervertat ! experientiã novit callidus ille hostis proverbium illud esse verissimũ , & hinc in adolescentia maximè prolibus insidiatur , idque ob quatuor rationes , ut rectè notat quidam Auctor , 1 °. *quia scit à Deo pios Adolescentes maximè amari & expeti , idè hunc florem atatis gaudet Deo eripere.* 2. *Quia sic viam sternit ad sequentis vita peccata.* 3. *Quia adolescentes facillè falli , difficillè se expedire ex diaboli vinculis possunt.* 4. *Quia qui peccant , impotenter peccant.* Optimè. Undè S. Augustinus sic Juvenes alloquitur : *O juvenes , flos atatis , periculum mentis !*

*S. August.  
Serm. 246.  
de temp.*

23. Quæ cum ita sint , conemini , ô parentes , à juventute prolibus vestris inculcare hæc quatuor , quæ S. Aug. eodem loco allegat. *Quatuor , inquit , sunt adolescentibus in omnem vitam profutura. 1. Deum pluri omnibus assimare , animamq; omnibus*

post Deum, rebus pretiosorem esse scire. 2. Beatam Virginem ex toto corde ut filii Dei matrem amare, eique quotidie se commendare, & aliquid ad ejus honorem facere. 3. Numquam peccatum mortale in conscientia sustinere, sed singulis diebus de peccatis dolere, & ea quamprimum confiteri. 4. Quod morituri sint brevi cogitare, quòdque post mortem aut in aeternum in inferno sint arsurus, aut in aeternum Deo & Angelis in caelo feliciter fruituri. Ecce quomodo proles & salubriter possitis instruere, & dum hoc non proficit, quomodo vi amoris illis debiti easdè teneamini castigare. Ut finiamus, sit

24. **Q**Uæ cum ita sint, finio; sed ut cum Augustino loquar, non dimitto vos sine exemplo, quod verbis ejusdem profero: *Cyrillus Hipponensis, inquit, filium unicum habebat, quem superfluè diligebat, & supra Deum: idèdque; superfluo amore inebriatus illum corrigere negligebat, dans ei potestatem faciendi omnia que placita essent ei.* Quid indè? semel vino æstuans quid fecerit cum propria matre, pudet dicere, imò exhorresco, si vel cogitem; patrè occidit, sorores graviter vulneravit. Quis horum omnium causa? filius certè non excusatur, ipsius est impietas; sed interim quis in causa nisi parens, qui in juventute ipsum non correxit? quàm justè ergo S. Aug. in similes parentes ibidem invehitur? verbis illius finio: *O dolosa libertas! sic exclamat, o grandia filiorum perditio! o paternus amor pestiferus! ecce filios se dicunt diligere, quos jugulare procurant, dicunt se eos amare, quibus jam suspendia parant.*

Tempus hinc non permittit, ut historias adferam & tragedias plurimas, quas passim Auctores, præsertim A Lapide, A Mauden, Engelgrave, aliiq; commemorant, quibus patenter demonstrant quòd nociva parentum indulgentia semper fuerit filiorum perditio, qui sæpè in familiæ sempiternum dedecus à justitia publica justè condemnati, & manu carnificis in foro suspensi, miserè perierunt. Quare sicut incepti, sic finio, attendite, o parentes: *Filii*

EPILOG.

S. August.  
Serm. 3. ad  
fratres in  
eremo.

tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia illorum, ut cum prolibus à Deo hinc benedictionem consequamini temporalem, & in altera vita gloriam sempiternam. A M E N.

## CONCIO XLVII.

*De discretione parentibus necessaria in filiis castigandis.*

THEMA. Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia illorum. *Eccli. cap. 7.*

EXORD.

1. **N**on sine ratione S. P. N. Franciscus prudentiam dixit esse aurigam virtutum. Scitis quare? currus profectò periclitatur & necessariò cum omnibus, qui eo vehuntur, perire debet, nisi aurigam habeat qui currum gubernet, equos refrænet, & quando sisti debeat, quando equis habenæ laxandæ sint cognoscat, qui in media via currum contineat, ne vel in fluvium prorûpat, aut cum manifesto periculò in præceps ruat. Sic itaque S. P. N. Franciscus prudentiam virtutum aurigam dicit, quia virtus consistit in medio, & nisi medium teneatur, virtus degenerat in vitium.

Ad Coloss. 3.

2. Sic v. g. Apostolus dicit, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Mortificatio ergo corporis, ad quam omnes exhortatur, virtus est: sed si desit prudentia, vel homo ita se mortificabit, corpusque castigabit, ut illud ad serviendum Deo reddatur incapax, vel si corpori nimum indulgeat, fiet spiritui rebelle, & sic quod tenendo medium virtus est, ad unam vel alteram extremitatem deflectendo, degenerat in vitium.

Sed quid ad externa currimus? illud sufficienter patet in materia quam habemus præ manibus. Vidimus in præcedente Concione, quomodo parentes jure divino naturali filios delinquentes corri-

gerè debeant & castigare, & hoc facere virtus est; sed si desit auriga, si desit prudentia, si immoderate, sine ratione, sine discretionè castigatio adhibeatur, palmare fit vitium: nec minora sæpè mala ad indiscreta prolium castigatione evenire nata sunt, quàm à nimia indulgentia vel conniventia.

3. Propter eam postquam Sapiens dixit, *Filii tibi sunt, erudi illos*; statim subjungit, & *curva illos*. Notate verbum *curva* sive inflecte: si hortulanus curva arbuta ita inflectere vellet, ut non rectificaret sed frangeret, an benè faceret, an officium experti hortulani adimpleret? nullatenus. Sic & vos, ô parentes, si loco curvandi proles, id est moderate castigandi, eas potius per indiscretam castigationem frangatis, & ad desperationem vel castigationis contemptum adigatis, profectò non hortulani sed vastatores estis, non patres sed vitrici, & sic inexperti aurigæ, qui familiæ vestræ currum cum prolibus ad interitum præcipitatis. Proles etenim quasi equi tractandæ sunt, qui si nimis severe verberentur, jugum excutiunt atque ferociunt; si nimis delicate & remissè tractentur, lasciviant: si vero prudenter & lascivientes calcaribus verberibusque coërceantur, & generosè incedentibus de avena omnibusque necessariis provideatur, conservantur. Eodem planè modo & argumento de prolium directione discurrendum est. Hodie itaque primò quidem ostendemus, quàm crudeles in proles pariter & seipfos sint, qui illas delinquentes corrigere negligunt, & est pars 1. Parte 2. declarabimus, quantâ discretionè in hac materia parentibus opus sit, atque in eo deficientes, quomodo & quando peccent. Parte denique 3. quomodo efficacissimus proles emendandi modus sit eas, quid faciendum exemplis docere probabimus. Prius tamen

A V E M A R I A.

4. **M**ulti parentes ab obligatione proles delinquentes corrigendi se eximere conantur PARS I.

sub hoc specioso excusationis pallio, nempe quòd ipsis impossibile sit pignora sua, quæ ut pupillam oculi diligunt vel se diligere prætendunt, verberare. Quasi verò amor in nociva indulgentia ac conniventia, & non magis in discreta correctione & castigatione consisteret: imò verò ego contendo illos proles suas magis odire non posse, quàm sic insipienter connivendo. Testis mihi est Sapiens, *qui dicit: qui parcit virga, odit filium.* Et quare odit filium, nisi quia per indiscretum amorem & excessivam indulgentiam causa est, quòd ille ad omnem nequitiam laxet habenas? quæ cum omnia discretâ castigatione parens, & jam commissa emendare, & ne committantur in futuro impedire posset, illam omittens rectè filium suum odire dicitur, consequenter ad illud quod Sapiens subdit: *qui autem diligit illum, instanter erudit.* Alii legunt *castigat.* Si ergo castigare signum dilectionis sit, profectò non castigare signum est odii, & sic *qui parcit virga, odit filium.*

5. Et quamvis, dum illis hîc ad omnem licentiam laxantur fræna, se à parentibus summè diligi, & ex teneritudine affectûs eorum sibi omnia licere autument, tamen veniet aliquando tempus, quo parentibus maledicent, dum damna tam secundùm corpus, quàm secundùm animam defectu correctionis sentient. Ad rem venit, quod de similibus dicit Sapiens, *de patre impio queuntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Filii itaque de parentibus conqueruntur, non tantùm, quòd pravè agendo iis præiverunt, & ad similes majoresque iniquitates viam straverunt, sed vel maximè, quòd in juventute se non correxerint, nec ab iniquitate per debitas correctiones revocaverint; quia *propter illos.* Q. D. dum parentes filios non audent corrigere, ne eos contristent per insipientem amorè, in causa sunt, quòd postea propter suas impietates omnibus honestis sint probro, & in altero sæculo opprobrii futuri sint tam Angelis Deû

Prov. 13.

Ecol. 41.

quàm ipsis dæmonibus.

6. Si propterea in hoc sæculo aliquando filii maledicant parentibus, utique multò magis in futuro; quando videlicet ad inferni pœnas numquã finiendas propter impietates suas se iustè damnatos videbunt, quas si parentes in juventute correxissent, ipsi illas vel emendassent, vel in adulta ætate numquam commisissent.

O parentes! ô filii! hæc cogitate, hæc vos moveant, hæc, ut caveatis, timete! ah! si infernus semel aperiretur, quot ibi filios maledicentes parentibus, parentes filiis audiremus! videor mihi audire voces horribiles. Ecce parentes clamant, maledicti vos filii, quorum infano excæcati amore terrenas opes injustè cumulavimus, quibus, ne eos contristaremus, dementer pepercimus; sed ut propter eos æternùm damnaremur, verè pepercimus! maledicti filii & filia, quibus ut pingue relinqueremus patrimonium, ut ad honorificum promoveremus officium, ut magnifico elocaremus matrimonio, illa dumtaxat curantes, propriæ animæ salutem & necessariam familiæ curam negleximus! filii è contrà clamabunt, maledicta mater, quæ ne à patre corrigerer, & emendarer, me protexit. Maledictus pater, qui me neglexit, propriæque voluntati ac voluptati reliquit, & sic ad æternam me educavit damnationem! maledictus uterus, qui nos portavit, maledicta ubera quæ suximus, maledicti parentes qui nos genuerunt! Undè si benè ex S. Gregorio M. dicat Dionysius, *unusquisque presidens tot mortibus, tot aternis damnationibus dignus est, quot damnationis exempla subditis præbuit*; eodem jure mihi dicere licet; tot mortibus, tot æternis damnationibus parentes digni sunt, quot prolibus defectu correptionis & correptionis damnationis causa exstiterunt.

7. Meritò itaque tam nocivam cæcitatem & parentum supinam negligentiam vel malitiam deplorat simulque declarat Jeremias Propheta, dicens:

Jerem. c. 7.

*filiis colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem.* Mirus est hic loquendi modus & tamquam in similitudine dictus & interpretandus videtur. Si enim filii colligant ligna, patres ignem accendant, matres adipem conspergāt, quid dicitis? quis illius incendii maximè causa est? dubitari non potest, quin omnes tres in causa sint & culpabiles; sed ad propositum audite explicationem. *Filii colligunt ligna*, id est, filii indulgent suis voluptatibus, & multas noxias sibi familiaritates, occasionesque periculosas, & ad peccata inducentes colligunt, sed *Patres succendunt ignem*, quando nempe suā conniventia vel filios non corrigunt, vel (quod pejus est) eos etiam tamquam generosos laudant, qui, ut prætendunt, sic incipiunt addiscere, seu cognoscere mundum suum, ac, ut nonnulli inverecondè non formidant dicere, similia posse permitti volunt, eo scilicet prætextu, quòd communia sint juventutis vitia, quòd in eo non tanta difficultas appareat, quòd juventuti aliquid indulgendum sit. *Mulieres* verò seu matres *conspergunt adipem*, quo ignis concupiscentiæ magis accendatur, illis scilicet clanculo pecunias subministrando, eorumque impietates coram patre excusando ac defendendo. Itaque quando hæc tria concurrunt, quid mirum quòd ignis accendatur maximus, quo filii cum parentibus, & hinc infelices sunt, dum hi etiam in illis cum illis puniuntur, & in altero sæculo in æternum cum iisdem damnantur?

8. Nolite ergo vos decipere, ô parentes, nolite dicere: vitia sunt juvenutis, juventuti aliquid indulgendum est; verum est, vitia sunt juventutis, sed prohi dolor! nimis tantum communia! vitia sunt juventutis, sed à parentibus emendanda, & etiam vel verberibus corrigenda: aliàs ipsis omnia imputabuntur filiorum peccata, quæ potuerunt, adeoq; emendare debuerunt; & pro iis omnibus in districto Dei judicio rationem reddere debent.

Sic

Sic docet doctissimus Origenes, dicens: *omnia qua deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierunt neque corripuerunt eos: hi enim filiorum animas igni inextinguibili in interitum tradunt, & seipsum in furorem Judicii demergunt; hujus evidens exemplum in Heli ostenditur.* Origenes lib. 6. in Job.

9. Cùm autem Origenes exemplum Heli adferat, & nos adferemus. Heli erat summus Sacerdos, & habebat duos filios, qui se turpiter luxuriâ & sacrilegiis foedabant; sciebat pater, nec efficaciter, uti debebat, emendabat. Nunc attendite, obtestor vos, quàm ægrè Deus illud tulerit: mittit ad Heli Prophetam, qui primò ex parte Dei Heli exprobrat omnia beneficia, quæ Deus ipsi & domui patris ejus fecerat; deindè Deus protestatur, si hoc non fecisset, quòd in sacerdotali dignitate domus ejus mansisset in æternum: denique postquam multa mala ipsi & domui ejus prædixit eventura, simul jurat nullis sacrificiis tantum crimen expiandum, *sed suscitabo, inquit, adversum Heli omnia, qua locutus sum; incipiam & complebo, & quicumque audierit, tinnient amba aures ejus.* I. Reg. 27

10. Sed quare hoc? quale est illud tam enorme crimen, propter quod Heli tantam Dei vindictam promeruit? *propter iniquitatem.* Sed quæ vel qualis fuit illa iniquitas? pergit Deus: *ed quod non averit filios suos indignè agere, & non corripuerit eos.* Sed numquid Heli sufficienter eos admonuit? Scriptura sacra testatur quòd eis dixerit, *quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? nolite filii mei, non enim est bona fama, quam ego audio.* In quo ergo Heli deliquit? audiamus S. Chrysostomum, qui mysterium explicat, dicens: *Heli propter filios periit: ipse quippe cùm acrius coercere debuisset, verbis tantum lenibus monuit. Quocirca cum illis molestus esse severâ incitatione recusat, & illos & seipsum unâ perdidit.* Ibid. v. 12

Uterque enim filius Ophni & Phinees sceleratissimi subitanè morte unâ die perierunt, illud au-



tem pater eorum cum audiisset, & Israël ab hostibus cæsum, Arcamque Dei captam intellexisset, è cella retrorsum fractis cervicibus corruit.

Gregori 3.  
part. Past.  
c. 6.

11. Itaque attendite ad hoc parentes, ait S. Greg. M. quia falsâ pietate superatus, ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Ex quo videtis, quòd eos monere non sufficiat, sed insuper necessarium sit, dum monitiones non profunt, eos castigare. Videtis in gravibus excessibus non sufficere filiis dicere cum Heli; nolite filii mei: non est enim bona fama quam ego audio. Nonne plurimi hodie parentes sic cum filiis agunt? dulcibus utuntur verbis, ne eos contristent, filii ab iis vapulant, sed ut dicitur, caudâ vulpinâ, sy gheesselen hun met een vosssteert, ubi virga acris castigationis necessaria est, ac sic cum filiis, uti olim Heli, pereunt.

Videte ergo parentes, quomodo perierit Heli, & timete vobis: videte quare pesierit, & nolite dicere, admoneo ipsos: quia & Heli admonuit, nec propterea à peccato immunis fuit, prout benè notat S. Chrysof. neque idèd, inquit, quòd malos haberet filios, puniebatur; sed quia ultra debitum increpationi pepercerat, ut cum Dei leges violarentur, severius in illis ultus non est.

12. Attendant etiam hîc filii, quàm iniquè agant dum paternam disciplinam respuunt, ad quam parentes divino mandato tenentur: quia tunc vel maximè se incorrigibiles probant, dum corrigi renuunt: sicut enim initium sanitatis est sensus morbi, ita & emendationis initium, agnoscere culpâ. Qui ergo moneri vel corripì recusant, se peccatorum suorum gravitatem ignorare probant. Audiat S. Aug. Quicumque corripì non vis, ait, ex eo sanè corripendus es, quia non vis corripì: non vis enim tua tibi vitia demonstrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum queras. Audiat & S. Chrysof. Qui arguitur, inquit, non

Aug. lib. de  
corrupt. &  
grat. c. 5.

agere ferat, quod enim fit, medicina est, non odium & inimicitia, sic Medici urunt & non reprehenduntur, vel in jus vocantur, etiamsi sapè aberrant à fine; sed & qui dolent dum uruntur, beneficio se affici existimant: sic qui suscipit reprehensionem, pro medico habeat corripientem, non pro inimico. Sic ille in hō. 44. ad Cor. Filii itaque cogitent parentes solum facere, ad quod jure divino naturali-obligantur, & proinde si recalcitent, attendant ad illud Apostoli: *Quod si extra disciplinam sunt, jam non sunt filii*; Ad Hebr. 123 quid itaque sunt? *Adulteri*, inquit. Advertant & parentes quod curare non debeant etsi proles turbentur; quia infirmus delirat & renuit medicinam: sic nec Medicus curat, attendens non quid æger velit, sed quomodo sanitatem recuperet.

His tamen favere non volo parentibus, qui in prolium castigatione discretionis metas excedunt; quod ne fiat, sit

13. **P**ROPOSITO inservit parabola, quam Salvator **PARS II.**  
 olim Judæis proposuit de homine quodam qui in via incidit in latrones, à quibus gravissimè vulneratus, totaliter spoliatus, & semivivus relictus est; quem præteriens videns Samaritanus, misericordiâ motus, *alligavit vulnera ejus*, ait **Lus. 107**  
 Salvator, *insundens oleum & vinum*. Sed quare simul infudit oleum & vinum, & quare non vel solum oleum vel solum vinum? Respondet S. Greg. **M.** *ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Quatenus per vinum mudentur putrida, per oleum foveantur sananda; miscenda ergo est lenitas cum severitate.*

Ad vos itaque parentes spectat hæc parabola, & parabolæ explicatio. Si filii vestri vulnerati sint, si inciderint in latrones, id est, in prava & perversa consortia, ubi usque ad mortem vulnerati jacent; tot enim mortiferis anima fauciatur vulneribus, quot peccata committit mortalia: Si vulnera illa putrescant, quod fit dum peccandi occasio ejusdem incentivum fit, ac in pessimam convertitur con-

suetudinem; si filios sanare velitis, Samaritanum illum imitari debetis, id est illorum vulneribus vinum oleumque infundere, vinum inquam correctionis, quod licet ad modicum mordeat filiosque contristet, mundabit tamen vulnera ista, & ut citius à Deo supremo Medico efficaci gratiæ illius medicinâ sanentur, eadem disponet. Debet & infundi oleum, id est, punitioni suavitas intermiscenda est, ut nempe filii videant quod paterna castigatio non ex odio, sed ex solo salutis illorum amore procedat; ne scilicet nimium contristentur, & quasi desperabundi in omnis nequitiae & malitiæ voraginem se præcipitent.

14. Summâ itaque hîc prudentiâ parentibus opus est, summâ discretione; quod fiet, si proles, nec nimiâ indulgentiâ in vitiis suis foveantur, nec excessivâ severitate pusillanimes fiant vel desperabundi. Sic ergo adhibenda est severitas, ut semper mansuetudo intermiscetur, atque ita mansuetudo, ut paterna severitas, ne ad quidlibet audendum iis fræna laxentur, impediât. In hunc finem benè notentur sequentia S. Chrysostomi verba: *Peccatum filiorum est non obedire parentibus: peccatum verò parentum filios ad iracundiam provocare, aut certè jam adolescentibus & maturioris ætatis eam imperare qua gravia sunt.* Deindè pro parentibus subdit: *non quasi servis, sed quasi filiis præesse se noverint.* Docet itaque nimis severam prolium correctionem vel castigationem parentibus esse peccaminosam, sed quale peccatum sit, non dicitur. Ut hoc determinatè sciatur,

15. Dico 1<sup>o</sup>. Parentes qui proles graviter vulnerant, ob quaecumque delictum commissum, peccant mortaliter. Ratio est: quia similis in punitione paterna excessus semper est gravis, adeoque prolibus injuriosus, præsertim cum numquam liceat ob quaecumque delictum (excipio moderamen inculpatæ tutelæ) privato alium graviter vulnerare, sed hoc spectat ad potestatem publicam,

S. Chrysost.  
l. 3. comment.  
in ep.  
ad Ephes.

Profectò si Judicibus reos graviùs punire non liceat, quàm delicti gravitas exigat, prout in lege scriptum est, *pro mensura peccati erit & plagarum modus*; quantò minùs illud licet parentibus, qui ad prolium castigationem semper mansuetè & quasi coactè, dum scilicet monitiones non proficiunt, procedere debent? iterùm si Apostolus tam seriò parentes moneat, *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*; quantò minùs licet illos, non tamquam filios, sed tamquam vilia mancipia verberibus excipere? undè non rarò fit, ut proles parentes contemnant, in malo obdurescant, eos odiant, desperabundi aufugiant, & ex desperatione interdùm ea faciant, quæ postea & ipsimet & ipsi parentes totâ vitâ deplorant. Et undè hæc vel similia contingunt, nisi ex nimia parentum severitate vel indiscretionem?

16. Dico 2<sup>o</sup>. Parentes graviter peccant, quoties tam durè filios increpant, vel verbis exprobratoriis & maledictionibus impetunt, ut modum in corripiendo multùm excedant, & filios nimium contristent. Ratio est: quia hoc est graviter excedere patriam potestatem, & multorum malorum efficacem causam ponere. Undè iterùm parentes monet Apostolus: *Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* *Ad Ephes. 6*

Si petatis, quomodo cum prolibus vobis procedendum sit, christianè respondet moralis Philosophus: *puer inter utrumque regendus est; modò freno utaris, modò stimulis.* Scilicet sicut eques facit: si enim equus nolit spontè procedere, premit calcariis: sic ò parentes, si piæ admonitionis frænū non sufficiat, adhibenda sunt calcaria; non quibus proles lædantur, sed ut in via virtutis & bonorum morum his stimulis procedant.

Itaque si pater prudenter procedere prolesque rectè regere desideret, sequentes studeat observare regulas, imò, in tenera ætate, pœna numquam sit

delicto æqualis : quia puerilis ætas sæpè ex inconsiderantia peccat , & minùs nonnumquam parentes virgis efficient , quàm severâ increpatione , & ostensione sibi illa & similia plurimùm displicere. Undè ordinariè patris timorem prolibus inesse sufficit , nec inconsultum est , sæpè priùs minari , antequam punitio de facto subsequatur.

*Aug. lib. 2.  
de civ. 6. 2.*

17. De cætero , ab omni verbo contumelioso , & à cognominibus , præsertim quæ vitia corporis vel naturæ significant , parentes sollicitè abstineât. Item procul ab ore eorum sint omnes execrationes & maledictiones , quas Deus interdùm in vindictâ tam parentum quàm prolium effectum habere permittit. Notum est exemplum ex S. Augustino , de matre , quæ Cæsareæ per iracundiam decem filijs maledixit. Maternam verò imprecationem efficax Dei vindicta statim subsecuta est. Nam omnes corporis tremore correpti fuere , & præ verecundia patriam relinquentes , vagi per orbem exemplo suo omnibus ostenderunt , quàm perniciosus sit maternæ execrationis effectus. Mater verò filiorum miseriam & opprobrium conspiciens , etiam desperationis funesto laqueo luctuosam vitam conclusit. Post illius mortē , cùm illi diversa quærerent remedia , quidã eorū liberati sunt : & duo quidem in præsentia S. Augustini , ad reliquias S. Stephani in Ecclesia Hipponensi. Videatur Aug. loco citato.

Reflectant ergo parentes , qui ad hæc & similia non attendentes , ob rem nullius momenti , statim prolibus imprecantur : *pestis se corripiat : diabolus se auferat* , &c.

*Cyroll. A-  
lex. lib 9.  
contra Ju-  
lian.*

18. Hæc sicut summoperè cavenda sunt , sic quàm maximè invigilandum , ne aliqua correctio vel castigatio ex passione , sed cum prudentia & sedato animo procedat ; quod fiet , si Deum , cujus in terra pro tanto vices gerunt , imitari satagant. Proindè , ut refert S. Cyrillus Alexand. veteres indicare volentes quomodo Deus cum hominibus tamquã filijs suis agat , pingebant virgam , & super virgam

oculum videntem. Per virgā correctionē paternam intelligebant, per oculū autem videntem discretionem & prudentiā; scilicet ut virga non cæderet, nisi quem, ubi, quando oculus videret expedire.

Ecce symbolum, parentes, in regendis prolibus vobis proponendum. In familia vestra sit quidem virga correctionis, sed non adhibeatur, nisi ab oculo prudentiæ dirigatur. Quid autem dicat prudentia: nihil utique ad prudenter filios puniendos magis necessarium est, quàm sedatus animus: nunquam ergo in flagranti delicto, quando iracundia & indignatio insurgit, & passio prædominatur, parentes filios puniant, sed si punitio necessaria sit, ad tempus pater prudenter differat ac dissimulet, ac postea sedato animo, omnibus maturè perpensis, in quantum necessarium & filio utile iudicat, mansuetè castiget. Deindè amarosâ monitione, ut à similibus imposterum sibi caveat, prolem instruat, timorem Dei inculcet, æterna proponat supplicia, cum vino misceat & oleum; ut sic nec delictum transeat impunitum, nec filius, dum punitionem ex solo suæ salutis amore procedere videt, justè conqueri valeat.

19. Undè ô parentes pro honore Dei proliumque salute zelosi quidem esse debetis, easque pro qualitate delicti punire, ne nimium conniventes, illas in malitia foveatis; sed simul videte ne id indiscretè faciendo easdem ad desperationem adigatis. Nolite ergo de numero eorum esse de quibus loquitur & proindè monet Sapiens: *noli esse sicut* Eccli. 4.  
*leo in domo tua, evertens domesticos tuos.* Leo dum in sylva rugit, omne animal timet & tremit, omnes bestię fugiunt, quicumque sibi obvium devorat. Noli ergo pater esse sicut leo in domo tua, iracundiâ rugiens & quasi insaniens, clamans, vociferans, blasphemans, &c. & hoc sæpè ferè propter nihil, ita ut statim omnes aufugiant & latebras quærant: sed esto pater verbis & factis, esto nomine & re, rege filios, rege in mansuetudine & ti-

mōre Domini uniyersam familiam, quod ut efficacius fiat, ô parentes, satagite ut proles totamq; familiam magis exemplis quàm verbis, bonis instructuatis operibus quàm exhortationibus; quod quomodo fieri debeat, declarabit

## PARS III.

20. I vultis, ô parentes, cum fructu, cum cordis lætitia, cum Dei benedictione familiam vestram regere, reflectite ad illud commune: *verba movent, exempla trahunt.* Ideò S. Hieronymus in epistola, quam scripsit ad nobilem illam Matronam nomine Lætiam, inter alia sic loquitur: *mementote vos parentes magis exemplis docere filios quàm voce.* Quod practicantibus vix correctionis virgam censet necessariam; undè pergit: *nihil in te vel in patre suo videat, quod si fecerit, peccet.*

Hieron. epist.  
ad Lætiam.

Cyprian. lib.  
de dupl.  
martyrio.

Quia, ut conformiter loquitur S. Cyprianus, *habent & opera suam linguam, habent suam facundiam iaconte linguâ.* Sed quomodo? attendite. Si pater in frequentandis Ecclesiis diligens sit, in suscipiendis Sacramentis frequens, in operibus misericordiæ exercendis exemplaris, quid illa omnia clamant, nisi pudeat vos degeneres filios, qui tabernas magis quàm Ecclesias frequentatis? pudeat vos, qui in familiæ vestræ dedecus talia consortia, talia aditis loca? quid clamant, nisi pudeat vos in voluptatibus vestris, in lusibus, in vanitatibus, imò & in meretriciis amoribus tantum pecuniæ dilapidare, ubi tam honestum, tam pium, tam religiosum habetis parentem?

21. Sic si mater vera sit materfamilias, semper domi, semper suis negotiis, prolibus, familiæ intenta, si sit devota, sancta, in verbis ac operibus sedata & ædificativa, quid illa omnia clamant, nisi pudeat te filiam vanitatibus deditam, superbam, immodestam, vaniloquam, inutiles magis per plateas discursus, quàm domum, cameram vel Ecclesiam diligentem? pudeat te inverecundâ visitationes procorumque consortia ultrâ quærentem, sæpè non sine periculo bonam perdendi famâ,

honorem, reputationem, pudorem, virginitatis thesaurum irreparabilem, uno verbo corpus & animam! quid mater in vestitu modoque agendi tam modesta aliud clamat, quam pudeat vos Veneris Nymphas, meretricis Babylonicæ pedissequas cum fericis illis omnibus vanitatibus, argenteis atque deauratis indumentis, & ultra statum vestrū cum populi scandalo & nominis vestri opprobrio ornamentis sic incedere per plateas Civitatis! Quid multis? *habent & opera suam linguam, habent suam facundiam tacente linguā.*

22. Sic Dominus & Salvator noster J. C. homines non tantum verbis & prædicationibus, sed vel maxime exemplis docuit: de quo proinde scriptum est, *cepit Jesus facere & docere*, prius nempe factis docens, utpote magis efficacibus, quod verbis prædicabat: proinde qui in eo Christum imitantur & hic & in futuro majus præmium habent expectandum, ipso testante: *qui fecerit & docuerit, hic* Matth. 5. *magnus vocabitur in regno aëlorum.* Quod non tantum verbi Dei prædicatores, sed vel maxime parentes respectu prolium tangit, uti S. Petrus Damianus tradit, dicens: *juxta conversationem parentum, sapè proveniunt merita filiorum; ut & honestis parentibus proles honesta respondeat, & vicissim inhonestis, malis ac perversis parentibus mali & perversi filii: quare? utique quia efficacius est vita quam lingua testimonium*, ait S. Cyprianus.

23. Quantum autem non tantum a faciendo coram filiis malo, sed etiam ab omni quod vel speciem mali habeat, parentes sibi cavere debeant, illustre exemplum habemus ex Script. sac. in Eleazaro jam sene & viro sanctissimo, qui per plurima tormenta occidi maluit, quam simulare se carnes porcinas comedisse, quod olim Judæis lege erat prohibitum. Quare? ratio meretur reflecti: cum enim quidam iniquam misericordiam moti, carnes ipsi licitas offerrent, ut porcinas se comedisse simularet, & sic Regis Antiochi crudelitatem evaderet,



2. Mach. 6.

respondit ille : *Non enim etati nostra dignum est fingere, ut multi adolescentes arbitantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, ipsi quoque ad transgrediendam Dei legem indè permoveantur; sed libentius pro lege Dei moriatur; inquit, & adolescentibus forte exemplum relinquam.* Ipse verus erat pater, qui non verbis dumtaxat, sed & factis filiis cæterisque demonstravit, quomodo vivere deberent.

24. Sæpè parentes, quòd rebelles habeant filios, immorigeros, qui nihil valent, *Deughenieten* qui in omnem nequitiam pessum ruunt, undique conqueruntur. Condoleo vobis parentes; & certè cõpatior, post tot labores, post tot sudores, post tot anxietates, quas pro filiis sustinuisitis, vos in iis affigi, in quibus consolari, à quibus honorari & adjuvari debebatis; sed, pace vestrà dixerim, quòd tales sint, non rarò vestra culpa est, vobis ipsis imputare debetis, & per consequens justã conquerendã ansam non habetis. Vestra culpa est, dum à teneris annis illos aliter non instruxistis, dum delinquentes monere, contumaces castigare, & præsertim bonis exemplis præire neglexistis: verum-enim-verò admonitiones & correctiones rarò fortè forent necessariæ, si quomodo proles vivere debeãt, exemplis demonstraretis. Undè benè S. Hieron. suprã, honorabilem illam matronã de filia educanda instruens, sic monet: *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur.* Hæc si respectu prolium, parentes curent atque observent, plura non requiro, sufficit, & ego finio. Undè sit

EPILOG.

25. **V**idimus modò quomodo jure divino & naturali obligentur proles suas non tantùm instruere, sed etiam dum hoc non proficit, pro qualitate delicti & sexus castigare. Vidimus quomodo hæc castigatio debeat esse paterna non tyrannica. Vidimus quomodo efficacissimus proles in-

struendi bene modus sit, in omnibus bono præire exemplo. Utinam ergo, ex corde dico & repeto, quia bonum Reipublicæ & Christianitatis inde dependet, utinam sic parentes cum prolibus agant, & ita familiam gubernent, ut inde gloria Dei augeatur, proximi ædificentur, ipsis prolibusque salus æterna proveniat: quod indubie fiet, si in eorum familia omnia illa inveniantur, quæ in Arca veteris Testamenti fuisse legimus. Et quæ?

26. In Arca Testamenti tria asservabantur, Tabulæ Legis, Virga Aaron, & Manna. Sit ergo, ô parentes, in familia vestra legis divinæ & naturalis perfecta observatio, & ut hæc perseveret sufficiens instructio conservetur. Sit etiam ad rebelles & contumaces coercendos virga correctio- nis, sed & huic Manna dulcedinis jungatur, ut proles & à malo deterreantur formidine pœnæ, & ad bonum incitentur ac alliciantur paterni amoris ac affectûs dulcedine.

Sic familia vestra erit schola virtutis, erit domus Angelica, erit sancti Spiritûs habitatio. Utinam parentes, utinam sic verbo & exemplo proles vestras instruat, ut in fine & lecto mortis non tam pingue possitis relinquere testimonium, quam Testamentum Christi Jesu, quod ipse filiis suis, dico Apostolis & Discipulis, reliquit dicens: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Sic tamquam boni filii Patrem Cœlestem vos vocantem audire merebimini, *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, proles vestras à me vobis commissas & vestræ curæ concreditas, fideliter instruendo, & in lege mea diligenter educando, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Quod nobis largiatur Deus benedictus in sæcula sæculorum. A M E N.

## CONCIO XLVIII.

*De reciproca conjugum obligatione, præsertim uxoris ad maritum.*

**THEMA.** Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. *Ad Ephes. cap. 5.*

**EXORD.**

*Ecli. 25.*

1. **S**apiens inter plurima salutis documenta tam generalia quàm unicuique statui singulariter congrua hoc nobis pulcherrimum & particulariter notandum reliquit: *in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes.* Quântum bonum sit concordia, & mutuus fratrum proximorumq; amor, sicut ubique clamat Scriptura S. sic non est qui ignoret. De eo suprâ egimus tom. 1. hîc solùm agendum restat de viro & muliere, seu de marito & uxore sibi benè consentientibus, quod sibi quàm maximè placere, quod coram Deo & hominibus gratū ac laudabile esse testatur Sap.: ubi enim mutuus amor est, ibi Deus est, ibi concordia est, sed è contrâ ubi hæc deficiunt, ibi discordia, ibi odium, in tali familia diabolus præsidet, & ut omnia pessùm eant necesse est.

2. Vult itaque Sapiens, ut vir & mulier sibi benè consentiant, utpotè qui tamquam duo equi eundem familiæ currum protrahere debent; si enim uno trahente, vel alter trahere renuat, vel in contrariâ partem trahat, aut currus cum omnibus quæ in eo sunt perire debet, aut saltem numquam progredi valet. Non aliter in familia respectu mariti & uxoris res se habet, si maritus familiæ currum trahat, si sua negotia sollicitè curet, si prolibus provideat, illas moneat, instruat, ac christianè nutriat, uxor verò otiosa permaneat, vel marito adlaborare, eumque adjuvare detrectet, quomo-

do familiæ currus progredi poterit? volo dicere quomodo similis familia florebit, vel in via salutis promovebitur? numquid ex discordia potiùs jurgia, scandala, & aversiones orientur, & tota familia manifesto miserè pereundi exponetur periculo? quis dubitat? cùm ergo concordia tantùm bonum sit, bonum tam necessarium, & illud in familia esse vel perseverare non possit, nisi vir & mulier utrimque æqualiter pro sua parte & pro viribus familiæ currum protrahat, ejus bonum promoveat, suæ obligationi satisfaciat, ac aliundè huic satisfacere nequeat, nisi quæ suæ obligationis sunt, sciat, inde, ad quid teneantur conjuges, hodie incipiam explicare, & primò quidem de uxoris obligatione agam, nempè 1. Parte, quomodo maritum amare teneatur, & in quo amor ille consistat. 2. Parte, quomodo ei obedire teneatur, & quando ac qualiter contra hanc suam obligationem peccet. Finiemus conformi exhortatione, priùs dicendo

A V E M A R I A.

3. **D**ominus Deus quando ab initio Matrimonium instituit, amoris legem simul ei ad- PARS I.  
 junxit: sic enim Adam spiritu Dei afflatus dixit, loquens de uxore sua: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Erat enim Eva de costa Adam divinâ virtute efformata; pergit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ecce ibi sunt conjugii tabulæ, ibi pactum antenuptiale, ut ita alterutrum seu se invicem diligant, ac reciprocus ille amor tantus sit, ut in duobus tantùm una voluntas, unus sensus, unum velle & nolle videatur reperiri; sic se invicem diligant, ut quasi in uno corpore sint duæ animæ.

4. Sic Hugo Victorinus scribens super citata verba, *erunt duo in carne una*, illud explicat, dicens: *Tanta erit dilectio inter virum & mulierem, quod utriusque spiritus in una eademque carne libenter*

Hugo Victorinus in cap. 2. Genes.

*habitarent, & quia in re non possunt facere hanc unitatem, quod possunt, faciant unionem dilectionis. Imò tantam requirit unionem, ut velit quòd utriusque spiritus nullam habeat differentiam, inter carnem à se vivificatam, & carnem à se dilectam. Ut autem hic amor seu dilectio benè ordinata sit, inter maritum & uxorem distinctio facienda est, ut invicem quisque det, quod ipsi competit. Cùm autem ea maximè hodie examinanda sint quæ uxores concernunt, peti posset in quo præcipuè amor uxoris marito debitus consistat. Pro quo*

5. Dico 1. Amor quem uxor marito debet, consistit in benignitate ad illum & debita reverentia. De utraque agit S. Paulus Apost. dum Titum discipulum monet, ut anus instruat, quatenus illæ adolescentulas doceant, dum matrimonio jungentur, *ut viros suos ament*, amore scilicet non tam carnali quàm spirituali, amore casto, amore sancto, amore salutari, uti nobile exemplum præbuit sancta Monica, mater S. Augustini, de qua ipse sequentia refert: *Educata pudicè ac sobriè, potiùsque à te subdita parentibus, quàm à parentibus tibi & Domine*, Deum enim alloquitur, *ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro, utique molestissimo, nomine Patricio, servivit velut & Domino, sategit eum lucrari tibi, loquens ei moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro suo.*

6. Ex illo amore procedebant lacrymæ illæ & preces continuæ pro mariti salute & conversione, sic ut non tam uxor, quàm spiritualis illius mater dici valeat ac debeat, utpote quem convertit ad fidem, eique causa salutis exstitit.

Ecce ille verus, ille spiritualis, ille verè christianus & conjugalis amor fuit, quem præcipit, & omnibus inculcat Apostolus. Ex quo etiam amore sequitur reverentia, quam uxor marito, tamquam capiti & superiori suo debet. Undè idem Apostolus ait: *Uxor autem timeat virum suum.*

Ad Tit. 2.

Aug. lib. 9.  
Conf. c. 9.

S. Hieronymus explicat hoc modo : *Reverentur virum suum , sicut Ecclesia reveretur & colit Christum.* Quàm maximè autem timemus offendere illum , quem quàm maximè diligimus ; ergo si uxores verè amant viros suos , certè timebunt eos , & ex timorè , ne eos offendant , quâcumque datâ occasione eis reverentiam exhibebunt.

7. Dico 2. Amor uxoris marito debitus in debita consistit subjectione quoad illum. Hanc sicut præcipit , sic ad eam similitudine omnes inducere conatur idem Apostolus suprâ : *Mulieres , inquit , viris suis subjectæ sint , sicut Domino.* Non dicit , mulieres virorum mancipia sint , vel tamquam mancipia illis subjectæ , sed *sicut Domino* : quid hoc sicut Domino ? id est viris subjectæ sint sicut Ecclesia Christo , quæ in omnibus beneplacitum illius & voluntatem adimplet ; concordat ratio , quam Apostolus subdit : *quoniam vir caput est mulieris , sicut Christus caput est Ecclesia ;* ex quo consequenter infert : *sicut Ecclesia subjecta est Christo , ita & mulieres viris suis in omnibus.*

8. Ecce, uxores, doctrina Apostolica, cui attendere debetis, ex qua obligationem vestram, cui voluntariè vos subjecistis, dum matrimoniū contraxistis, colligere potestis. Attendite ad ea quæ olim Paulinus ad Celantiam nobilem matronam scripsit : *servetur, inquit, imprimis viro authoritas sua : totaq; à te discat domus quantum illi honoris debeat. Tu illum Dominum obsequio tuo, tu magnum illum humanitate demonstra, tantò ipsa honoratior futura, quantò illum ampliùs honoraveris. Caput enim, ut ait Apost. mulieris est vir, nec aliundè magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate.* In cujus deindè confirmationem refert authoritatè S. Petri Apostoli, qui de uxoribus loquens dicit : *subdita sint viris, ut & hi qui non credunt verbo, per mulieris conversationè sine verbo lucrifiant.* Quibus verbis innuit, quòd hoc practicando, si uxor maritum haberet infidelè, (addo ego si fidelem exterius

1. Petri 2.

& nominetenus quidem haberet, perditis tamen moribus ac multis vitiis & peccatis deditum) quod suo amore, mansuetudine, pietate & reverentia efficere posset, ut ille ad Deum converteretur, & sic vel veram fidem suscipere, vel flagitiosam vitam emendaret, qualiter felici successu cum marito suo Patricio egit beata Monica Augustini mater.

S. Chryso-  
stom. 6. in  
Joann.

9. Quomodo autem & qua ratione hoc fieri possit ac soleat, declarat S. Chrysof. dicens: *nihil potentius muliere bona ad instruendum virum quodcumque voluerit: neque tam leviter amicos, neque magistros neque principes patietur, ut conjugem admonentem ac consulentem. Habet enim voluptatem aliquam admonitio uxoris, cum plurimum amet, cui consulit. Multos possum viros asperos & immites per uxorem mites redditos & mansuetos proferre.*

Possent & ego innumeras propemodum historias proferre, quibus hujus rei veritas comprobatur, quibus pro nunc ne hic longior sim, lubens supersedeo: equidem notatu dignum est, quod Theodolinda Longobardorum Regina, cui S. Gregorius dialogum de moribus dedicavit, Autharim priorem maritum, & Agilulphum posteriorem suo suasu ad meliorem frugem reduxit, sicut & Clothildis Clodovæum Francorum Regem, aliarque plurimæ idem perfecerunt.

10. Ex suprascripta obligatione, quam uxores respectu virorum habent, debent de iis, dum se occasio offert, honorifice loqui, defectus, si qui sint, excusando & charitatis pallio eos operiendo. Vis scire quare? utique quia uxores maritos amare, timere, honorare debent, qualiter Ecclesia Christum & Christus Ecclesiam, *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie.* Christus autem in Cantico multa dicit in laudem Ecclesie sponsæ suæ, & quamvis eam sciret delictorum venialium pulvere aspersam, nihilominus totam pulchram vocat, quasi charitate defectus illius operiens, eosque oblivione voluntaria sepeliens.

11. Hoc-

11. Hoccinè facitis imprudentes uxores, quæ per domos diſcurritis, de marito conquerimini, quòd turbulentus ſit, familiæ moleſtus, ſuſpicioſus, zelotypus, ebriofus, prodigus, vel vitioſæ alterius complexionis, coram omnibus exaggeratis? hoccinè prudentiæ, hoccinè amoris conjugalis eſt? ſed eſto etiam ita res ſe habeat, quid juvat illos hoc ſcire, qui nec remedium nec conſilium adhibiturū ſunt? numquid illis frequenter ſimilia dicuntur, qui etſi cum compaſſione audire videantur, poſtea tamen cum paſſione impropere, aut cum irriſione indè fabulas neſtunt? & ſic quid aliud facitis quàm vos ipſas diffamare? *die ſy neuſe queſt, die ſchendē ſyn aenſicht.*

12. Itaque mutua amoris obligatio à conjugibus poſtulat, ut alter alterius curam habeat ſpecialeſ tam in adverſis quàm proſperis, dico iterum, illuſtre exemplum habent in Chriſto & Eccleſia. Chriſtus pro Eccleſia liberanda ſeipſum manibus iniquorum tradidit crucifigendum: Eccleſia pro Sponſi ſui honore tuendo, tot mortes & martyria ſanguinolenta non detrectavit. Cùm ergo in matrimonio vix contingat, quin aliquando aliqua turbida interveniant, tunc maximè amoris conjugalis virtus, ſi in charitate fundata ſit, ſeſe exercere debet: quia charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non cogitat malū, &c. & lex Chriſti præſcribit, quod maximè quoad conjuges locum habet, ut alter alterius onera portet.

Si petatis, uxores, quid in adverſis & diſcordiis vobis agendum ſit? amor impatientiæ frænum imponere debet, & non exiſtimare ſe immeritò pati vel offendi. Si fortè compartis lingua in clamores & convicia ſolvitur, non debet clamor, ſed amor opponi clamori: quia *reſponſio mollis frangit iram. Prov. 9. 13* *durus ſermo ſuſcitatur furorem.*

13. Quæ ſi benè obſerventur, feliciter curſus matrimonii ſed & faciliter ac dulciter protrahetur: audite deſuper S. Chryſoſt. ; *quoniam ſi vir & uxor*



3. Chrysoſt. concordēs fuerint, & liberi benè educantur, & dome-  
 hom 20. ad ſici probè inſtituuntur, & vicini ex eo pariter & a-  
 Ephes. mīci, & cognati, quaſi boni odoris fragrantia utun-  
 tur. Si verò contrarium fuerit, omnia ſubverſa ſunt  
 & confuſa, & quemadmodum militibus inter ſe be-  
 nè pacatis, omnia proſperè procedunt, & viciffim  
 turbatis illis, omnia ſurſum ac deorſum voluuntur,  
 ita planè fit cum conjugibus, ſi inter ſe diſſentiant,  
 & hoc eſt, inquit S. Chryſoſt. quod intendit Sapiens  
 Eccli. c. 25. dum dicit: *Mulier ſi primatum habeat, contraria*  
*eſt viro ſuo*, hoc eſt ſi velit præeſſe, ſi ad libitum  
 velit familiam regere, uno verbo ſi velit eſſe do-  
 mina, *de broeck draeghen, contraria eſt viro ſuo*,  
 ſemper & in omnibus voluntati mariti ſui contra-  
 dicit, & tota familia perturbata erit.

14. Attendite ergo uxores, maritis veſtris debe-  
 tis eſſe ſubjectæ, ad hoc voluntariè conſenſiſtis,  
 hoc tabulis nuptialibus includitur, quia dum nup-  
 ſiſtis, libertatem vendidiſtis. Vultis ſcire quare,  
 quo jure? ecce Rabbanus contra naturam & Dei  
 ordinationem eſſe oſtendit, ſi mulier viro velit præ-  
 dominari: *quia*, inquit, *infirmior ſexus, fortiori ſe-*  
 Gen. c. 3. *xui ſubjici debet, non præponi. Undè initio mulieri*  
*peccanti & virum ſeducenti, Dominus dixit: Mul-*  
*tuplicabo arumnas tuas & conceptus tuos, in dolore*  
*paries filios tuos, & ſub viri poteſtate eris, & ipſa*  
 1 ad Tim. *dominabitur tui.* Indè etiam Apoſtolus dicit quòd  
 c. 2. non permittat mulierem *dominari in virum*, & ra-  
 tionem aſſignat: *Adam enim primus formatus eſt,*  
*deinde Eva.* Adam formatus eſt tamquam Domi-  
 nus, Eva tamquam adjutorium ejus.

15. Hoc forte Deus indicare voluit in mirabili  
 illa mutatione nominis *Abraha & Sara.* Audiamus  
 Gen. c. 13. Scripturam: *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sara*  
*uxorem tuam non vocabis Sara, ſed Saram.* Ad quid  
 veſt quare hoc? ſi Deus nihil fruſtrà poſuerit in  
 Script. Sacra, profectò nec aliquid fruſtrà egit vel  
 mandavit; quare ergo noluit ut uxor Abrahæ am-  
 pliùs vocaretur *Sara*? ecce rationem ad propoſi-

tum meum: *Sarai*, ut dicit Oleaster ex hebræo, interpretatur, *Dominæ meæ, Princeps meæ*. Noluit ergo Deus, ut Abraham vocaret uxorem suam, suam Dominam seu Principem, sed *Saram*, quod interpretatur *Dominæ* seu *Princeps*. Quasi Deus diceret, Abraham volo quidem & permitto ut uxor tua sis Domina eorum quæ sunt in domo tua, sed non Domina tua, quia hoc est contra naturæ ordinem quem institui, nempe ut vir prædominetur mulieri.

Sic etiam Deus præcepit eodem capite, *nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constituis te*. Ecce nomini *Sarai* uxoris unam dempsit syllabam, nomini *Abram* unam addidit, ut ostenderet virum mulieris totiusque familiæ caput esse.

16. Quæ si nõ sufficiat ut innata mulieribus superbia confundatur, evincat saltem exemplum D. V. & Matris Dei Mariæ, quæ in omnibus viro suo S. Josepho subjecta fuit, ut norat & miratur S. Augustinus super illa verba Lucæ 2. *Fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes querebamus te*. Perdiderant enim Jesum in Jerusalem. Audite jam Augustinum de Sanctissima V. M. loquentem: *meruerat, inquit, parere Filium Altissimi, & erat humillima: nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, ego & pater tuus: sed pater tuus, inquit, & ego. Non attendit sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem.*

August.  
Tom. 10.  
Serm. 67.  
de divers.  
c. 11a

Sic & vos, uxores, non debetis ad generis nobilitatem attendere vel mariti fortè familiæ vilitatem, non dotem quam intulistis, sed ordinem conjugalem cui vos voluntariè subiecitistis. Uno verbo maritis vestris debetis esse subjectæ & obediens in omnibus justis & licitis. Quænam autem in hac materia talia sint, & per consequens quando & quomodo hîc uxores peccent, jam explicandum est, & pro eo sit

17. **D**ico 1mò. Uxor peccat mortaliter quæ ad dautum suum & proprium captum in fami-

PARS II

Ad Ephes.  
6. 6.

lia omnia gubernare vult, ac marito se inobedientem exhibet in iis quæ ad bonos mores spectant, & ad familiæ regimen sunt necessaria. Ratio evidenter eruitur ex his verbis Apostoli: *Mulieres viris suis subdita sint sicut Domino, quoniam ecce ibi ratio quare, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia.* Itaque sicut gravissimè peccaret Ecclesia, si Christo Capiti suo obedire detrectaret, sic etiam, si mulieres viris debeant esse subjectæ & obediens prout Christo Ecclesia, & illæ graviter peccant si non obediant.

18. Dixi autem notanter in honestis & licitis & quæ spectant ad regimen familiæ: ratione cujus restat inquirendum quænam talia sint. Pauca paucis adferamus quæ sufficiant pro omnibus. Dico itaque quòd talia sint, v. g. præcipere ut vana ornamenta & quæ supra statum suum sunt relinquunt, ut conversationes inutiles, & quæ curam, quam pro familia habere debent impediunt, abrumpant, & omnia alia similia ejusdem naturæ, in quibus non obedire, dum est gravis materia, peccatum mortale est.

19. Dum hæc & similia attentius considerantur, & difficultates, quibus mariti propter uxores non rarò expositi sunt, funditus perpenduntur, non ampliùs mirandum est quòd Paulus dixerit bonum esse à nuptiis abstinere, nempè *propter instantem necessitatem*, id est, propter multas angustias quas uxori patiuntur & per quas sæpè incidunt in laqueos diaboli. Undè super prædicta verba sic scribit S. Hieron. " nos ignari rerum putabamus nuptias saltem  
 ,, carnis habere lætitiã, cum tamen carnis habeant  
 ,, tribulationem; si autem nubentibus etiam in car-  
 ,, ne tribulatio est, in quo solo videbantur habere  
 ,, delicias, quid erit reliquū propter quod nubunt ?

Hieron. l. 1.  
 contra Jovinian.

10. Quàm malè sumerent mulieres, quàm conquererentur de me uxores, si ea ego dicerem, quæ tamen verissimè dixit idem S. Hieron. loco citato,  
 ,, multa sunt, inquit, quæ Matronarum usibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sump-

tus, armillæ, supellex varia, &c. " & nisi ea omnia ad abundantiam subministrantur eis, nunquam sunt quietæ, volunt se à maritis non amari, & videntur cum uxore Sampsonis eis impropere: *odisti me, Judic. 6. 19. & non diligis, idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere, & iterum: quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum, & non vis dicere, in quo sit maxima fortitudo tua?* imò & exprobrant illis, quòd non habeant honorè cordi, quòd sint sine animis, & ne rem ultra veritatem exaggerare videar, profero verba S. Hieron. *deinde per totas noctes garrula conquestiones: illa ornatio procedit in publicum: hac honoratio ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicio, &c.*

21. Sed quid indè? sicut Adamum Eva decepit & in perniciem traxit, sic matrem adhuc hodiè imitantur filiz, de quo sic Aug. " Noluit Adam uxor- " *S. Aug. in Genesim.* rem contristare, non quidem carnis concupiscen- " tiâ aut pulchritudine victus (non enim ante pec- " catum eam passus fuit) sed amicabilem benevolen- " tiâ, quâ sæpè offenditur Deus, ne offendatur ami- " cus, " & sic mandatum Dei prævaricatus est ac cibum vetitum comedit. Sic & Salomon uxorum cæco excæcatus amore etiâ usque ad cultum Idolorum prolapsus est. Sic denique Sampson illecebris Dalilæ cõsentiens, ab rasis capillis spiritu Dei destitutus est.

Sed ut ad rem redeam, quid indè? nisi quòd tantum nimis sæpè nimis verum sit illud commune: *uxor naufragium viri*, qui sic in laqueos diaboli incidit: Maritus enim ut à similibus difficultatibus, exprobrationibus, & contumeliis se expediat, quid non facit? bone Deus! quoties injustis mediis, ut petita uxoribus subministrantur, conquiruntur!

22. Odiosa hæc sunt, scio, & propterea exempla omitto, quæ aliàs ad manum sunt. Sed hoc peto, quis horum omnium maximè origo & causa? non excuso maritos, sicut nec Adam quòd transgrediens mandatum Dei voci uxoris suæ obediverit, excusatur, sed quis principaliter in causa? quis duplici pec-

cato scandali & iniustitiæ reus constituitur? Profecto sunt uxores, quæ ad similia maritos suos instigant. Hoc videtur intendere, saltem deplorans alludit Proph. Isaias, dum in persona Dei dicit: *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatae sunt eis.* Per exactores non incongruè intelliguntur potentes hujus sæculi, divites, principales populi, & illi, inquit, populum spoliaverunt: sed quomodo, nisi iniquis suis exactionibus, & fucatis titulis, quibus pecunias extorserunt? sed horum omnium quæ causa? *Mulieres dominatae sunt eis,* id est continuis querelis, precibus & lachrymis, ut in mundo excelleret ac luxuriarentur, illis adeò molestæ fuerunt, ut ad similes vel fraudes, vel injustas extorsiones maritos adegerint. Numquid idem est, quod intendit Esdras, dum dicit: *Multis dementes facti sunt propter uxores & servi. Et multi perierunt & jugulati sunt, & peccaverunt, in furia, fraudes, rapinas, homicidia delapsi sunt, ut earum voto satisfacerent.*

23. Propter hæc & similia benè dixit Apostolus: bonum esse abstinere à nuptiis: quid verò dicam de zelotypia quæ sæpiùs in uxoribus regnat, imò & gravissimè prædominatur ac plurimarum tragædiarum est & antiquitus origo fuit? iterùm ad S. Hieronymum appello; describit enim vivaciter uxorem zelotypiâ laborantem: ubique, inquit, & undique mala suspicatur, & per panicum timorem, etiam ubi non est timor, miserrimè exagitur. Undè & ipsa maritum exagitat: sed quomodo? *cur aspiciebas vicinam? quid cum ancilla loquebaris?* ecce quomodo se torqueat ac affligat, sed non minùs maritum, cui, sic pergit S. Hieronymus, *attendenda semper est ejus facies, & pulchritudo laudanda, ne si alteram aspexerit, se aestimet displicere.* Imò eò usque res progreditur, ut in persona similium maritorum, dicat idem Hieronymus: *non amicum habere possumus, non sodalem, alterius amorem suum odium suspicatur.* Quænam autem miserix, quot rixæ, quantæ averfiones ex his oriantur, tragi-

Isaia cap. 3.  
& 5.

Lib. 3. Esdr.  
v. 6. 4.

æ historiarum passim apud Authores comprobant. Sed pergamus ad obligationes uxorum.

24. Dico 2. Uxores gravissimè peccant, quæ rixis, inurbanitatibus, suâ proterviâ, &c. viros ad gravem iram, jurationes, execrationes vel blasphemias, notabilem per potationes pecuniarum dilapidationem excitant atque compellunt. Ratio patet ex dictis: quia sic omnium illorum malorum ipsius causa imputanda est. Sic gravissimè peccârunt uxores Job & Tobiarum, quæ maritos ad blasphemias provocabant. Quid ergo dicendum de his, quæ simul atque vel minimum accidit quod eis displiceat, vilissima quæque exprobrant. Nec hoc speculativum tantum dicas; contrarium enim praxis & experientia convincit, præsertim inter illos qui de communi plebe sunt. Ecce, inquiunt, quis hîc velit prædominari, cogita quis fueris, cogita ante matrimonium te vix lacerum habuisse indumentum, *scaers ten Broeck aent gaet*; cogita qui & quales tui fuerint Parentes, novimus eos, cognoscimus familiam & scandala illius; & similes millenas ineptias exprobrant. De similibus dubitandum non est, quin gravissimè peccent, & omnium malorum quæ indè proveniunt, coram Deo reæ sint.

25. Dico 3. Uxor tenetur sub peccato mortali marito justè & instanter petenti reddere debitum, nisi & ipsa justam negandi rationem habeat: sic enim præcipit Apostolus, & ad hoc matrimonium contrahendo se invicem obligârunt. Cum autem hæc materia confessionali magis quàm Cathedralæ propria sit, hîc solùm notare volo quod S. Hieronymus reprehenderit Celantiam, quæ sine permissione mariti voverat castitatem, dicens illam malè fecisse, & votum simile in conscientia non obligare, utpotè cum præjudicio tertii & privatione juris illius emissum, de quo egimus Tom. I. Tract. 5. Conc. 30.

Dico 4. Uxor tenetur sequi maritum, quando ob rationabilem causam ad alias regiones mi-

grat, & imperat ut illa comitetur. Ratio est: quia uxor in licitis & honestis ad regimen familiæ spectantibus, uti in casu supponitur, imperanti viro obedire obligatur. Hæc quoad uxores sufficient. Ut finiamus sit

## EPILOG.

26. **V** Idimus nunc N.N. ad quæ uxores respectu virorum suorum obligentur, vidimus quomodo & quando graviter peccent, itaque vos omnes quæ statum matrimonialem suscepistis exhortor, ut sitis veræ Matres-familias, salvate animas vestras in eo statu, quamvis difficili, Deo tamen grato, dum piè suscipitur & secundum Legem illius vita instituitur, in quo non tantum Deo placere, sed & ad Sanctitatem pertingere potestis. Tot exempla tam in veteri, quam novâ lege habentur Matronarum, quæ in hoc statu sanctè vixerunt & in Canonem relatæ sunt; ut videatis quid possitis, si non pigeat facere quod illæ fecerunt.

1. Pet. 3.

27. Ut ergo finiam, exhortor vos omnes verbis S. Petri Apostoli, *sitis subjecta*, inquit, *propriis viris, sicut Sara obediebat Abraha*. Sicut & verbis

Isaia 6. 31.

Isaia Proph. *attendite ad Saram qua peperit vos*. Ecce tam Apostolus Petrus quam Isaïas proponit vobis exemplum Saræ imitandum, undè & ego vobis propono: quia pulcherrima amoris & subjectionis Saræ ad Abraham exempla in Scriptura sacra invenietis. Ipsa virum suum nominabat *Dominum*, aliò proficiscentem & peregrinantem lubenti ac parato animo sequebatur, eo jubente, qualecumque erat, in omnibus promptissimè obediebat; tanto ipsum prosequatur amore, ut mortem potius eligeret quam ipsi non obedire. Deindè ut illum mortis periculo eriperet, etiam cum extremæ injuriæ tollerandæ periculo, dum in Ægypto peregrinabantur, se sororem illius dicebat. Uno verbo in omnibus se veram conjugem demonstrabat. Ergo *sitis subjecta propriis viris, sicut Sara obediebat Abraha*.

28. O si tales essetis uxores, numquid meritò sperari posset, fore ut & mariti obligationi suæ non

deessent? si tales essetis, quanta pax, quanta felicitas, quantum gaudium foret in familia? quàm foveretur mutuus inter vos amor, & ex amore debitus honor? nonnè talis familia esset & vocari deberet Angelica, cui Angeli præsiderent, quam defenderent, à qua omne infortunium dimoverent? nonnè tales conjuges, ut dicitur, haberent Cœlum hîc & in futuro? nonnè tales uxores lucrifacerent viros suos? numquid denique à Deo, in prolibus simul & sempiternis benedicerentur? ergo ad hoc conemini uxores, ut cum familia salvetis animas vestras. A M E N.



## CONCIO XLIX.

*De obligatione mariti ad uxorem.*

**T H E M A.** Viri diligite uxores vestras, quemadmodum & Christus dilexit Ecclesiam.

*Ad Ephes. c. 5.*

1. **Q**UAM sanctè à Domino Deo institutum fuerit matrimonium, scilicet tamquam status salutaris, & , ut quis Deo placeat ac salutem suam operetur idoneus, passim Scripturæ Sacræ innuunt. Hoc patet in Patriarchis & Prophetis, qui matrimonio juncti Deo placuerunt, & ab ejus familiaritate propterea minimè extorres fuerunt. Sed statui matrimoniali Jesus Christus Salvator noster maximum honorem superaddidit, dum contractum illum, aliàs naturalem dumtaxat & civilem, ad dignitatem Sacramenti elevavit, in quo conjugatis, & ad se mutuò diligendum, & ad matrimonii onera faciliùs toleranda particularis gratia daretur; undè etiam ab Apostolo vocatur *sacramentum hoc magnum*. Et quare magnum? nisi quia Salvator conjunctionis Christi & Ecclesiæ illud signum esse voluit?

EXORD.

2. Hæc omnia dum consideramus, nonnè meritò exclamare possemus, bone Deus quid est hoc?



quomodo res tam sancta, tam sanctè instituta immutata est? numquid meritò deplorare possemus *Thren. c. 4.* cum Jeremia Propheta, *quomodo mutatus est color optimus?* matrimonium quod olim aureo charitatis colore fulgebat, in discordiæ, malitiæ & voluptatis carnalis miserrimum ac abominabilem colorem commutatum est. Sed quomodo mutatus est color ejus optimus? reverà non aliter quàm infernalis serpentis astutiâ, qui sicut olim decepit Evam proto-matrem nostram, sic & decepit homines, in tantum ut illud quod ordinatum erat ad medicinam, ipsis in venenum verterit.

3. Et undè hæc omnia originem ducunt? nisi ex eo, quòd matrimonia, non cum timore Domini, sed ex desideriis carnalibus & respectibus humanis, utpote honoris, divitiarum, pulchritudinis, nullatenus autem amore boni, quod ex hoc Sacramento provenit, sæpè sæpiùs suscipiantur; & sic dum matrimonia non ut proles procreentur & in timore Domini educantur, non ut peccata carnalia vitentur, & fragilitati carnis nostræ occurratur, non ut in conjugio Deus meliùs serviat, ineuntur: indè etiam, cum nec bonâ intentione suscipiant, nec ad tantum Sacramentum suscipiendum se debitè præparent (Deus det non sæpè in peccato mortali ad illud accedant!) indè inquam fit, quòd gratias hujus Sacramenti non adeò sentiant, & quòd amor ille carnalis, uti ordinariè fieri solet, faciliè flaccescat, imò vertatur in odium.

Hoc autem ne fiat, ut conjuges invicem in Deo & propter Deum, præsertim viri uxores suas veraciter diligant, illud præcipit Apostolus dicens: *Viri diligite uxores vestras.* Ad quod non minùs tenentur viri respectu uxorum, quàm uxores respectu virorum. Cum ergo præcedente Concione ostenderit quomodo uxores viros diligere debeant, hodie consequenter demonstrabimus Parte 1. quomodo viri obligentur diligere uxores. Parte 2. in quo amor ille consistat. Parte 3. quomodo &

quàm graviter sæpè viri in hac materia Deum of-  
fendant. Priùs tamen

A V E M A R I A.

4. **V**idemus quotidie, & per experientiam ex- PARS I.  
plorarissimum est, quòd omnia animalia,  
quantumvis ferocia, licèt solo naturæ instinctu, sine  
ratione, sine intellectu, sine iudicio omnia sua per-  
agant, unicè tamen diligant compartem suam, eã-  
que foveant, defendant, & omnibus dilectionis of-  
ficiis præveniant: mirum ergo videri posset quòd  
homo rationis capax & iudicio, quo inter bonum  
& malum discernat, instructus, illud non faciat,  
quod bruta animalia ex solo naturæ instinctu nũ-  
quam omittunt. Numquid ergo homo naturam  
non habet? numquid ad uxorem diligendam ex  
natura sua inclinatur? quis dubitat? undè ergo illa  
contingunt in homine, quæ non videmus in anima-  
libus? si iudicium meum quæritis N. N. Respon-  
deo cum Eva: *Serpens decepit nos.* Vel ut Christus  
in parabola de patrefamiliis, qui seminaverat bo-  
num semen in agro suo, cui superfeminata fue-  
runt zizania, *inimicus homo hoc fecit.* Natura no-  
stra ex naturali instinctu ad mutuam amorem con-  
jugatos adigit, sed quoniam natura humana per  
peccatum originale depravata est, obscurata in  
intellectu, perversa in voluntate, ab adolescentia  
sua inclinata ad omne malum, plurimisque præ-  
dominantibus subjecta passionibus, indè homo  
faciliùs quàm bruta animalia ab eo quod naturæ  
inditum est, declinat.

5. Dominus Deus ergo ut corruptam & deprava-  
tam hominis emendaret naturam, homo factus  
ad Sacramenti dignitatem matrimonium elevavit,  
ut suã gratiã curaret in homine, quod in eo per  
peccatum erat depravatum: & ideò, ut viri verè  
& cordialiter uxores suas diligerent, per se & suos  
Apostolos nos edocuit. Audiamus semel tubam  
Evangelicam: *Viri, ait, diligite uxores vestras, Ad Ephes. 5.*

quemadmodum & Christus dilexit Ecclesiam. Pauca verba, sed plena mysteriis! pauca verba, sed quæ paucis totum explicant, quod viri uxoribus suis debent. Audite viri & attendite, Paulus vobis præcipit, ut sic diligatis uxores vestras, quemadmodum Christus Ecclesiam suam.

6. Sed quid hoc sic & quemadmodum? debetis itaque scire, quomodo Christus dilexerit Ecclesiam suam, ut sciatis quomodo debetis diligere uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam. Quomodo Christus dilexit Ecclesiam suam? numquid ab æterno eam sibi desponsavit? numquid propter illam homo factus cum ea spirituale quasi contraxit matrimonium? numquid propter eam laboravit, sudavit, prædicavit, fatigatus est, tot tormenta sustulit, in omnibus membris velut cruciari & morte turpissimâ crucis occidi voluit? numquid hæc omnia propter sponsam suam? quis sic diligit, vel unquam dilexit uxorem suam? tamen Christus vult, & voluntatem ejus declarat Apostolus, ut diligatis uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam suam.

7. Sed audiamus desuper S. Chryostomum: *Vis*, inquit, *ut uxor tibi obediat quemadmodum Ecclesia Christo?* hoc peti non debet, notorium est quod mariti id velint, & de defectu illius, quod uxores inobedientes ac contumaces habeant, sæpiùs conqueruntur & miseriam suam exaggerant, ac ut eis compatiatur, volunt: sed videamus an benè. *Vis ergo ut uxor tibi obediat, quemadmodum Ecclesia Christo?* hæc est ipsius obligatio; sed vult S. Chryost. ut & tu obligationi tuæ satisfacias, undè dicit: *Provide ipse quoque illi, quemadmodum Christus Ecclesia;* quod quomodocumque feceris, numquam in honestis & rationabilibus nimium facere poteris: sic innuit idem S. Chryost. subdens: *Et si animam pro ipsa dare oporteat ac millies trucidari, & quamcumque rem ferre & pati ne detrectes.* Dices, hæc multa & magna sunt, fateor: sed quis hoc fa-

S. Chryst.  
hom. 20. ad  
Ephes.

ceret pro uxore sua? quis vel centesimam partem faceret? & tamen fieri deberet, si diligeretis uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam suam; imò nec tunc adhuc tantum fecissetis quantum Christus pro ea, ut dicit S. Chrysoſt. *nam etiamſi illa paſſus fueris, nihil umquam tamen tale feceris quale Chriſtus.* Ecce ibi qualis & quantus debeat eſſe amor maritorū erga uxores ſuas; videamus modò in quibus effectivè amor ille conſiſtat, & ſit

8. **C**um itaque viri diligere debeant uxores ſicut Chriſtus Eccleſiam, ex eo ſolo volo colligere omnem & totam obligationem quam reſpectu illarum habent. Attendite. Chriſtus ex amore ad Eccleſiam ſuam, præfertim tria ei contulit: imò ſuſtentavit non tantum verbi Dei pabulo, quo arſiſſima ſpiritualiter vivit ſicut corpus cibo corporali, ſed etiam pane cœleſti, pretioſo ſcilicet corpore ſuo & ſanguine. 2<sup>o</sup>. Inſtruxit Eccleſiam & docuit ea quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, tum per ſe in ſuis prædicationibus, tum per Apoſtolos ſuos per doctrinam Evangelicam & verbi Dei annuntiationem. 3<sup>o</sup>. Protexit Eccleſiam ſuam non armis, ſed paſſionis, ſuæ mortis & pretioſi ſanguinis virtute ac efficaciâ; & ideò nominat ſe bonum Paſtorem, qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Ad hæc tria mariti reſpectu uxorum ſuo modo obligantur. Explico.

PARS II.

9. 1<sup>o</sup>. Tenentur eas ſuſtentare, & victum & amictum neceſſarium, ſtatuique & conditioni illarum congruum procurare. Ratio eſt: quia vir caput eſt mulieris; capitis autem eſt cæteris membris de ſibi neceſſariis per induſtriam providere. Dixi autem notanter, victum & amictum ſtatui ac conditioni illarum congruū: quia ſatiſfacere non debent, imò nec licet ſuperbiæ & vanitati illarū; nec importunæ earundem querelæ curandæ ſunt, de quibus in præcedenti concione egimus. Sufficit ergo ut de neceſſariis & honeſtis mariti ipsis provideat, quia ſecundum monitum Apoſtolicum: *Mulieres*

1. ad Tim. 2. *in habitu ornato, cum veretundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, auro, margaritis, vel vestibus pretiosis, &c. superbiant.*

10. Peccant ergo graviter mariti, qui pecunias in superfluis, non necessariis, in computationibus ac lusu alearum vel chartarum dilapidant, ubi domi uxores cum prolibus in gravi necessitate relinquunt. O quot talia reperiuntur matrimonia! quam sæpè audimus, & iustis uxorum desuper querelis ac lacrymis compatimur! quot reperiuntur matrimonia, ubi maritus *Isaac*, uxor autem *Rebecca*? non quòd *Isaac* & *Rebecca* ita inter se vixerint, absit hoc à me vel cogitare, quin imò sanctissimum & pacatissimum fuit illorum matrimonium; utinam sic omnia forent! sed ad significationem seu interpretationem illorum nominum alludo: *Isaac* enim *risus* interpretatur, *Rebecca* autem *patientia* seu *saginata*. Quot igitur reperiuntur matrimonia, ubi maritus, *risus*, qui dies noctesque impendit otitando, potitando, ludendo chartis vel aleis, luxuriando, & ita pecunias dilapidando, ubi uxor *patientia* domi ferè cum prolibus fame enecata, vacuo stomacho à marito ebrio vel semipoto medià nocte reduce, mille satiatur injuriis, impetitur maledictis, & super hæc interdum verberibus egregiè excipitur? ô viri quid facitis? nonne onera matrimonii aliundè satis sunt gravia, ut onus oneri, afflictionem afflictis superaddatis?

Deindè peccant mariti, qui de necessariis & honestis vestimentis uxoribus non provident, ut secundum conditionem suam & statum inter honestas honestè comparere valeant.

Item graviter peccant, qui tempore morbi iis non assistunt, vel saltem ut illud per alios fiat non procurant. Idem est de iis, qui vel ex avaritia vel ex alio motivo non bono minimè curant, ut de congruis medicinis ac remediis iis tempestivè provideatur, ita ut interdum, vel ratione defectus prædictorum, vel ex mœrore moriantur, vel saltem citius moriantur.

12. Peccant denique gravissimè , qui uxores tamquam ancillas vel mancipia tractant. Ratio est, quia uxores viris ordinatæ sunt non quasi ancillæ vel mancipia , sed ut *adjutorium simile sibi*. Illud patenter ex sacra Scriptura eruitur : legatur Genes. cap. 2. ibi legitur : *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Venit hîc Hugo Victorinus & inquit cur Deus non ex pede vel genu os sumpserit, sed de costa; & respondet : *Deum hoc fecisse, ne mulier ancilla haberetur, concuſcicaretur pedibus, si inde esset facta.* Sed ædificata est de costa, quæ juxta cor Adam erat, ut eam cordialiter tamquam cor suum diligeret. *Tulit unâ de costis ejus, & replevit carnem pro ea,* ait Script. sacra : si ulterius quæras quare Deus carnem & non alteram costam posuerit in locum prioris, respondet Lippomanus, *id eo Deum fecisse consilio, ut doceat, virum debere esse mollem & benignum fragili mulieri.*

13. Sed ad vos, ô mariti, me converto, sic agitis cum uxoribus ? sic naturæ ordinem à Deo institutum conservatis ? audiamus sanctum Ambrosium : *Meliori conditione, inquit, hodie mancipia quam conjugia comparantur : in illis meritum emitur servitutis, in istis pretium additur servitutis.* Dos scilicet uxoris quam ad matrimonium defert. Ferendum aliquatenus videretur si mancipiû verberibus à domino suo exciperetur, quia mancipiû est & dominus emit illud; sed quòd uxor verberetur à marito quem ditavit, quid indignius ? itaque audite quid de similibus censeat S. Chrysostomus : *uxorem verberare, inquit, extrema contumelia, non ei qua verberatur, sed ei qui verberat.* *Ejusmodi virum ( si vir est appellandus & non bestia ) instar Parricida & Matricida ego dixerim, nam si propter eam patrem & matrem jussi sumus dimittere, satius est ei, qui petulanter insultat, terra dehiscat, quam de cætero in foro appareat.* Hæc ille.

14. Sed quid jam dicam de viris, in quibus lo-

cum fomitemque occupavit zelotypia ? de zelotypia uxorū egimus concione præcedente, zelotypia autem virorum eò perniciosior est, quò illi potentiores sunt, ut uxores affligant. Quid enim ? vir zelotypus uxorem domo quasi carcere concludit, instar mancipii eam tractat, nullam indulget libertatem, verbis & verberibus interdum enecat, nihil ei fidit, singula explorat dicta, facta, egressus, nutus, semper angustias corde gerit. Pestilens hoc est vitium, semen diabolicum, & radix infinitorum propemodum in matrimonio malorum ac infortuniorum.

15. Reflectant ergo mariti ad monitum Ecclesiastici : *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendas super te malitiam doctrina nequam*; quæ sententia sic explanari potest. Ne zelotypiâ prosequaris uxorem, quæ in sinu tuo recumbit, ostendens te malè de illa suspicari, quia scilicet alium virum amet præter te vel magis quàm te, aut alius rivalis tuus amet eam & insequatur : ne fortè dilectionem avertat à te, & eam affligendo ipsi occasionem subministres illud peragendi, de quo priùs fortè numquam vel somniasset, & sic saltem de injuria sibi facta se vindicare conetur. Non desunt profectò exempla earum, quæ priùs castæ, sed à viris zelotypis injustè divexatæ, & instar mancipiorum coarctatæ, tandem in vindictam matrimonia contaminarunt, & libertate usæ sunt : prudenter proindè & conformiter ad materiam, hanc maximam viris præscribit S. Hieronymus : *Necessitas & coarctatio violenta, non est castitatis secunda custodia. Insidus enim custos castitatis est necessitas : & illa vere pudica est, cui licuit peccare, si voluit.*

16. Quàm vera sit hæc S. Hieronymi prudens instructio, illi meliùs sciunt, qui magis debent tacere. Sciant proindè mariti, quòd uxor quæ casta est, amore detineatur pudicitia, frænoque timoris & amoris Dei, timoris & amoris mariti, ne utatur libertate, vel non rarò oblata occasione. Patet in  
Sufanna.

S. Hieron.  
lib. 1. in  
Jovian.

Sufanna. Quæ autem lasciva est, frustra moris concluditur; vis & metus tollit amorem, multamque ingerit turbulenta cogitationem: deinde in alienum transfert mentem; & via quantumvis illicita suggerit media evadendi potestatem & se asserendi in damnosam libertatem. Et unde hoc? utique quia ingeniosior plerumque est timor quam amor, servitus quam libertas; sed ubi ingenii vis non suppetit, extrema quæque per extremam etiam aggrediuntur impietatem: quia sicut non est caput nequius super caput colubri, sic & non est ira super iram mulieris.

*Ecclesi. 25.*

Quæ cum ita sint, & tot tantaque mala producere soleat zelotypia, quis dubitat, quin mariti graviter peccent, qui infundatè passioni illi indulgent? Quis nesciat ob maritorum tyrannidem eò interdum deductas mulieres, ut etiam se maleficiis traderent & Sathanæ potestati? Ponderent hoc zelotypi & insupportabiles mariti, audiantque Chrysostomum dicentem: qui zelotypiâ laborant, & bonum pacis amittunt, turbas & fluctus sibi mutuo excogitant, nullam voluptatem habere possunt; interno bello omnia confundente, multamque eîs amaritudinem invehente.

*S. Chrysost. hom. 28. in Genes.*

17. Ex quibus addiscant ergo mariti, se quoad uxores per zelotypiam nihil lucrari, perdere autem multum: vultis ergo efficax contra zelotypiam remedium? ecce illud Lactantius subministrat, dicens: exemplo continentia docenda est uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim ut exigas, quod ipse prestare non possis. Et ad idem facit quod monet S. Augustinus: si ducturi estis uxores, inquit, servate vos uxoribus vestris: quales vultis eas invenire, tales & ipsa inveniant vos. Quis est qui non castam velit ducere? intactam quaris, intactus esto; puram, purus esto. Nonne enim illa potest, & tu non potes? Solet enim uxor marito quasi dicere, ut idem tradit S. Aug. cur ergo te colam ut maritum, cum tu me non colas ut uxorem? denique Alphonsus Arragonum

*Lactantius lib. de vera Relig.*

*S. August. de verbis Dom.*



Rex ad vitam in conjugio tranquille transigendam, & zelotypiam evitandam, hoc solebat dare remedium: *sit uxor caca, maritus autem surdus fiat.* Uxor enim oculata si maritum videat cum aliis feminis, etiã negotiorum causã agere, sit zelotypa, indẽ querimoniz & rixæ: si verò marito molesta est uxoris garrulitas, illa molestiã carebit, si fiat surdus.

Sed ad ulteriores maritorum obligationes procedamus, & ita sit

Part III.

18. **C**Um itaque, ut jam vidimus, uxores non sine ancillæ vel mancipia, sed adiutorium viri, compars illius, post eum familiæ domina, indẽ patet, quòd nec tamquam ancillæ à viris tractari possint, quæ pro tanto & ipsæ jus suum habent in familiæ gubernatione, semper tamen cum dependentia ab illo in justis & rationabilibus.

Ex quibus deduco, quòd mariti graviter peccent qui uxorum devotiones & pia exercitia sine legitima causa constanter impediunt, qualia sunt confiteri, diebus saltem solemnioribus communicare, moderatas eleëmofynas secundum statum & communem sui similibus agendi modum pauperibus distribuere; &c. Nec in his tenetur uxor viro obedire, quia, ut jam diximus, non est mancipium, sed confors vitæ & thori. Mirũ quidem videri posset, quòd sæpè inter maritum & uxorem tanta sit morum discrepantia: quòd uxor sit pia, devota, adiecta pauperibus; maritus autem impius, immisericors & molestus: quòd uxor sæpè confiteri & communicare soleat; maritus verò vix semel in anno: ubi tamen cum vir caput sit mulieris, illi in similibus præire & ad eadem excitare deberet, cum tamen totum contrarium faciat, hinc ita maritos alloquitur S. August. *cum tu caput uxoris sis, præcedit te ad Deum, & sic vis domum tuam capite deorsum pendere: caput enim mulieris, vir est, ubi autẽ melius vivit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus.*

19. Sed undè hæc tanta morum discrepantia? profectò non aliam putem esse, quàm quòd mariti sæ-

S. August.  
de decem  
ordiis.

pius ad matrimonii statum non recto sine pervenerint, ad illum scilicet aspirantes, non ut proles procreent & religiosè educent, non ut in eo melius Deo serviant, non ut salutem suã operentur, sed ex carnali dumtaxat affectu, & respectu ad pulchritudinem, ad divitias, ad nobilitatem illius, quam prætentunt; & maximè, quia cum peccatis incipiunt. Quot enim & quàm abominabilia sæpè fiunt in hodiernis procreationibus, quot ante matrimonium committuntur peccata? cum carne incipiunt, cum carne pergunt, & quid justè timendum, nisi ne etiã carnaliter finiãt ac in æternum pereant? *qui enim seminant in carne, ait Apostolus, de carne metent corruptionem, metent maledictionem ac damnationem æternam.*

20. Vultis scire, quã intentione matrimonium fuisset incundum? attendite ad instructionem quã Archangelus Raphaël tradebat Tobie juniore his verbis: *Accipiens virginem cum timore Domini, Tob. amore filiorum magis quàm libidinis ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.* Undè postea orabat Tobias. *Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terra, & omnes creature tua: tu fecisti Adam de limo terra, dedisti que illi adiutorium Evam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuria causã accipio sororem meam conjugem, sed solã posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sacula seculorum.* Ex intentione ergo & fine, ob quem matrimonii status suscipitur, felix vel infelix illius decursus ordinariè dependet: undè vos ipsos examinate, quem finem intenderitis, & illi successum matrimonii imputate, vel qualem de cætero habiturum sit, colligite.

21. Ratio est: quia bene & bonum contrahere matrimonium, à Deo provenit & à Deo petendum est: audite Sapientem: *domus & divitiæ dantur à Pro. 102 parentibus, à Domino autem uxor prudens vel maritus bonus. Et iterum: pars bona, mulier bona, dabitur viro pro factis bonis. Domus ergo, familia solã*

dor, honos, nobilitas, divitiæ, &c. hæreditario jure filiis à parentibus proveniunt, sed à Deo uxor bona vel maritus bonus: quomodo ergo illud beneficium à Deo sperare possunt vel audent, qui matrimonium magis ex carnis dictamine & instinctu diaboli, quàm ex ductu divinæ gratiæ suscipiunt? hic est lapis offensionis & petra scandali, ex hoc solo provenit, quòd tam infausta reperiantur matrimonia; quòd tot conjuges, loco quòd in matrimonio tamquàm in virtutis stadio proficerent, æternam potius operentur damnationem. Nolite dicere inter honestas personas similia matrimoniavix inveniuntur, utinam non invenirentur, illi hoc melius sciunt; quibus consilii petendi & consolationis gratiâ corda uxorum candidè aperiuntur; sciunt, inquam, quàm verum sit illud commune, *non omne aurum quod splendet aurum est: ten is niet al gout, dat blinckt.* Sed ad ulteriora progrediamur.

22. Mariti etiam obligantur in honestis & bonis moribus uxores instruere, vel saltè ut aliundè sic instruantur curare, idque maximè quoad ea quæ ad animæ salutem & christianum familiæ regimen spectant, si in iis vel ignorantes sint vel deficient. Quid ergo dicemus de illis, qui loco quòd uxores in prædictis instruerent, fiunt iis in scandalum, & in laqueum diaboli atquæ æternæ damnationis? qui sibi in matrimonio omnia licita arbitrantur, quæ uxoribus molesti sunt ad ea quæ juri divino & naturali diametraliter opponuntur? quasi verò matrimonii status cohonestaret etiam ea, quæ vel horreo cogitare, qui fiunt, ut David dicit, *sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Qui non attendunt ad id quod docet Apostolus: *oportet vas suum possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum.* Conformiter ad quam doctrinam, sic maritos monet S. Hieronymus: *Sapiens vir debet iudicio amara conjugem, non affectu, frangit impetus voluptatis, ne præceps feratur in coitum: nihil scidius, quàm q-*

Psalm. 31:

1. ad Thess.

4.

*mare uxorem quasi adulteram : in aliena uxore omnis amor turpis est , in sua nimius.*

23. Hoc autem intolerabile est & stomachum movet , quòd dū in simili materia culpabiles corripuntur , respondere non vereantur , ut tot tantum eo quod meum est ; quibus responderi potest , quod olim præclarè simul & lepidè beatus Ægidius S. P. N. Francisci Discipulus , cuidam glorianti se castum esse , se fidem uxori servare , respondisse fertur : *an putas*, dicebat, *quòd ex suo quis dolio ebrius fieri non possit ?* Q. D. non est tibi de castitate gloriandum , nisi etiam excessum voluptatis in conjugio possis temperare. Et optimè. Nam sicut vinum moderatè sumptum conducit sanitati , excessus autem eam pervertit ; sic immoderatus voluptatis usus spirituali sanitati ruina est. Et sicut contingit aliquem non solum alieno sed etiam proprio inebriari vino : similiter species quædam ebrietatis est , in usu conjugii immoderato , quâ ratio absorbetur , vel quod pejus est , contra rationem castitatis conjugalis cum propria conjugè peccatur.

24. Nonne in hac materia exclamare possem cum Jeremia Propheta , *Quis dabit capiti meo aquam , & oculis meis fontem lacrymarum* ad deflendâ cæcitatem , malitiam , & bestiales generis humani concupiscentias ! ô conjugati , quot maledicti torquentur in igne infernali , & ibidem ardebunt in sempiternū propter ea sola peccata , quæ cōjuges inter se invicè commiserunt ! omitto historias , parco pluribus , ne hîc plus dicam quàm dici expediat. Itaque hoc solum dico , & certum est , si quid etiam in conjugio committatur , de quo vel dubitatur tantum , num contra naturam sit (& dum aliquid commissum est vel committendum , in hac materia non potest non dubitari , quia hîc usuenit illud Davidis , *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*) & vel ex pudore vel aliâ de causâ à Confessario docto consiliū non petatur , nisi de commisso seriam pœnitentiam agant & sese imposterum cum effectu emendent ,

tam maritus quam uxor damnabuntur : & interim omnes confessiones , communiones , vel alia Sacramenta quæ suscipiunt ( reticendo illud de quo an grave peccatum sit dubitant ) totidem sunt sacrilegia. Ratio est : quia eo ipso quo dubitant , uxores maximè , si consilium non petant , ignorantia seu error est vincibilis , adeòque culpabilis. Nec excusat calva illa excusatio , non scivi esse peccatum , quia potuisses scire , si indagasses , adeòque debuisti.

25. Omnes ergo , qui sic in matrimonio vivunt , sunt filii diaboli , ut clarè patet ex instructione Archangelæ Raphaëlis , quam dedit Tobix , cum se ad contrahendum matrimonium disponeret : inter cætera enim sic ei dicebat ; *qui conjugiam suscipiunt , ut Deum à se & à sua mente excludant , & sua libidini vacent , sicut equus & mulus , nempè restà ratione & naturæ dictamine exclusis , qui sic faciūt , sicut Archangelus , habet potestatem demonium super eos* : ergo filii sunt diaboli. Si ergo similia admittatis ò mariti , si permittatis uxores , potestatem habet demonium super vos , estis filii diaboli , & æternæ Dei maledictioni vos redditis obnoxios. Sed de his satis : ut finiamus , sit

Mat. 6.

Epiloo.

26. **E**cce mariti jã vidistis obligationes vestras , quomodo uxores debeatis diligere , quomodo iis de necessariis providere , quomodo instruere ac in bono promovere. Quod quamvis verissimum sit , simul tamen verum est quod docet Salvator ; *qui non odit uxorem , non potest meus esse discipulus* ; Odisse hïc est minùs eam amare quam Deum. Odie uxorem qui propter eam Dei legem non vult infringere ; sed odium hoc bonum est , & quamvis odium vocetur , tamen verè amor est : quia se oditi existimant , dum perversæ voluntati earum maritus non obsequitur. Quàm multi ad hæreses ducti sunt ab uxoribus ? quàm multi multorum peccatorum funibus propter eas se implicarunt ? quàm multi à Deo ad æternam vitam vocati excusant se dicentes , *uxorem duxi , & illud non possunt*

Luc. 14.

Idem.

venire. Utique quia inordinatus conjugis affectus eis compedes infligit, ne veniant, & deliciis fruuntur æternis, sed potius tanquam talpæ in terrenis voluptatibus volutantes, non desiderant, non querunt, non sapiunt, nisi terrenâ, transitoria & carnalia, minimè considerantes, quod mundus transiit & concupiscentia ejus.

27. Undè, obtestor vos, perpendite quænam fuerit causa, quòd Deus adèò universo mundo fuerit iratus, ut omnes homines, exceptis octo, aquis diluvii olim perdiderit; numquid fuit nimius amor carnalis, nimia ac effrænis libido, universalis totius mundi corruptio? *omnis enim caro corruperat viam suam*: & undè tanta & tam universalis corruptio? legite Scripturam: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Ecce uxores acceperant, sed quid in eo mali? non propter hoc deleti sunt, sed propter peccata cum uxoribus vel ratione illarum etiam in matrimonio commissa.

Sed ut finiam, profero verba quibus incepi: *Viri diligite uxores vestras, quemadmodum & Christus Ecclesiam*. Diligite amore casto, amore Christiano, amore qui amorì Dei non repugnet, instruite eas, providete illis, in omnibus licitis & honestis favete atque fovete, timorem Domini ante oculos semper habete, ut sic simul in pace viventes, simul coronari mereamini in cælis. AMEN.

## CONCIO L.

*De obligatione, quam habent famuli & ancilla respectu dominorum & dominarum suarum.*

**THEMA.** Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore. *Ad Ephes. 6.*

1. **O**lim pictores, ut exprimerent quales servi esse deberent, proponebant hoc emblemata: **EXORD.**

pingebant nempe formosum Juvenem, rubro pileo in capite, auribus asininis, pedibus cervinis, dexterâ manu explicatâ & extensâ. Per illam picturam sive illud emblemata volebant significare omnes conditiones seu qualitates, quas bonus servus habere debet. Per rubrum pileum significare volebant, quod servus non servile, sed liberum & liberale deberet habere ingenium. Per aures asininas, quod multa patienter deberet audire & tolerare. Per pedes cervinos, celeritatem intelligebant in exequendis dominorum mandatis. Per dexteram denique explicatam atque extensam denotabatur requisita fidelitas in tractandis dominorum rebus atque negotiis.

2. Sic fiebat antiquitus, & ad eadem servi deficientes verberibus adigebantur: tunc enim non erant servi sicut nunc, sed mancipia quæ spectabant ad dominum, & de quibus dominus tamquam de re sua disponere poterat pro libitu, dando, locando, vendendo, &c. nunc autem talis servitus inter Christianos amplius non reperitur, sed omnes sunt liberi, libertate quam vocavit eos Christus, & ad hanc libertatem Ecclesia omnes invitat, & vult ut omnes Christiani, qui sunt filii sui, tantum sint mancipia Dei, fratres autem inter se, utpote habentes eundem Deum Patrem in caelis & Ecclesiam Matrem in terris.

Hodie itaque tantum inveniuntur famuli & ancillæ, quæ operas suas elocant, & se liberè pro stipendio ad servitium dominorum suorum subjiciunt; & de iis solum nunc agere intendo, illisque omnibus propono verba Apostoli, quibus servis Christianis præcipit, dicens: *Servi obedite dominis vestris carnalibus cum timore & tremore.*

3. Ex his solis verbis colligere possumus omnem obligationem, quam famuli & ancillæ habent respectu dominorum & dominarum suarum: dum enim dicit Apostolus ipsos dominis suis debere obedire, ostendit dominos esse honorandos; quia nulli obediendum est, nisi aliquo modo sit superior & honore eatenus dignus saltem ab eo qui obedire debet. 2.

Ad Ephes. 6

Quando aliquis alteri obligatur obedire, debet eadem esse fidelis; præterquam quòd ad hanc fidelitatem servi se pacto obligent, adeòque ad hoc ex iustitia teneantur. 3. *Servi obedite dominis vestris*, ait Apostolus: quid est autem obedire dominis, nisi ea facere, quæ justè præcipiunt? & quid est facere ea quæ præcipiunt, nisi illis præstare obsequium?

Ut itaque famuli & ancillæ in particulari sciant ad quid in conscientia obligentur, & quando ac quomodo contra statûs sui obligationem peccent; ostendâ Parte 1. quòd debeant dominos suos honorare. Parte 2. quòd debeant illis esse fideles. Parte 3. Quòd debeant eis præstare obsequiû. Ecce ibi tres partes hujus Concionis. Priùs tamen dicamus

A V E M A R I A.

4. **Q**uomodo olim in veteri lege servi honora- PARS I.  
 verint & amaverint dominos suos, passim ex S. Script. colligi potest, cujus præsertim exemplû habemus in servis Naaman, qui cùm ad Elisæum venisset, ut ab ipso tamquam Propheta Domini divinâ virtute à sua lepra mundaretur, ac Elisæus in hunc finem ei præcepisset, ut se septies in Jordane lavaret, iracundus recusavit ac indignabundus discessit. Sed attendite, quæso, quomodo servi illius mansuerè & cum respectu domino suo loquebantur: *Pater*, dicebant, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi: lava te & mundaberis?* ecce dicebant ei *Pater*. Servi ergo tunc dominos suos venerabantur & diligebant tamquam suos patres: & cur non magis diligant hodie, ubi nunc non sunt mancipia, sed in familia sunt tamquam filii-familias? si ergo membra sint familiæ, quamdiù in ea sunt, debent honorare, debent omnibus modis & officiis prævenire, debent diligere capita familiæ, id est, dominos & dominas. Hæc est eorum obligatio, hoc eorum status, conditio & officium, cui se voluntariè subjecerunt, exigit.

4. Reg. 5.



Ex quibus colligo, graviter peccare, qui notabiliter dominos suos vel dominas inhonorant, eis vel exprobrando turpia vel irridendo, vel ad iracundiam provocando, sicut faciebat ancilla illa Saræ, quæ cum à domina sua corripere, exprobravit ei impudenter sterilitatem (eo autem tempore major ignominia non reperiebatur) & quòd septem viros occidisset, quos tamen Asmodæus propter carnalitatem illorum occiderat, ut habetur Tobie 3. Quæ exprobratio adèd illam contristavit, ut indè nec manducare nec bibere posset.

Exodi 21.

Profectò si dicat Deus & præcipiat, *qui maledixerit patri vel matri morte moriatur*, idèd nempe tales morti adjudicans, quòd illa irreverentia erga parentes sit nimis excessiva, èd magis quoad famulos & ancillas hæc consideranda videntur, quanto magis hi vi sui statûs & conditionis, quàm probes suis parentibus, noscuntur subjecti.

6. Debent ergo famuli & ancillæ honorare dominos & dominas suas, & indè nec debent nec possunt de eis conqueri vel murmurare, sed potiùs considerent statum suum, quòd sit status subjectio-nis, ac indè se humiliant, & patienter audiant, si verbum asperum iis dicatur. Humilient, inquam, se, quòd si meritorie facere velint, propter Deum faciendum est, qui propter nos humilis factus, exinanivit semetipsum formam servi suscipiens, & factus obediens usque ad mortem. Hoc ò famuli & ancillæ, status vester in quò vos Deus posuit requirit, hoc dicitur recta ratio, hoc Angelus Domini docuit Agar ancillam Saræ, quæ aufugiebat à facie dominæ suæ, èd quòd ab illa fuisset increpata: quam aufugientem sic allocutus est Angelus: *Agar ancilla Sara undè venis, què vadis?* quæ statim confidenter, tamquam si jus haberet, respondit: *à facie Sarai domina mea ego fugio; dixitque ei Angelus Domini; revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.*

7. Quid ergo dicendum de famulis illis, nedum

inobedientibus, sed qui etiam in absentia dominorum suorum de iisdem contemptum loquuntur, imò irrident, detrahunt, ac per imitationem quamdam ridiculam vel per cognomina inconvenientia illos contemnunt? hoc certè in notabili materia à gravi peccato excusari non potest.

Sed ne domini similibus indignis agendi modis nimium conturbentur, providè sic monet eos Sap. *cunctis sermonibus ne accommodes cor tuum, ne forte audias servum tuum maledicentem tibi*; hoc est, noli curiosè perquirere, quæ & qualia de te loquantur servi & subditi: imò si audire contingat, averte auditum, dissimula, & multam effugies perturbationem, multam inquietudinem. Est enim vilis animi, non posse ferre verbum volatile murmurantis subditi, qui à te dura præcepta & convicia sæpè perferre debet. Subdit Sapiens cap. seq. dicens: *Scit conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis*. Q. D. Numquid & tu aliquando subditus fuisti? numquid apud æquales obmurmurasti, irrisisti, dixisti quæ resciri non velles? cogita ergo quòd quâ mensurâ mensus fuisti, eâdem remetiatur tibi.

Eccli. 7.

8. Non minùs peccant ancillæ contra dominas quæ faciliè & in absentia & in presentia illis obloquuntur & obmurmurant, non habito respectu subjectionis suæ & debitæ observantiæ; & adhuc magis illæ, quæ in contemptum domini & dominæ, quidquid domi agitur, statim evulgant, & sicut sordes è domo dum verrunt, ita & vitia in publicum ejiciunt. Si quæras, quomodo hoc tam communiter fiat? non est alia ratio, quàm quòd tam ad oblocutionem & murmurationem, quàm ad convicium & improprium linguas lubricas & faciles habeant.

9. Exemplum profero, & eò hanc partem finio, nempe S. Monicæ apud Aug. lib. 9. Conf. cap. 8. ubi narrat, quomodo ancilla litigans cum illa adhuc juniore, crimen ei amarissimâ insultatione ob-

jecerit, vocans meribibulam : sed Deus hoc convici-  
 um in bonum illius convertit, quia cùm aliquan-  
 do intemperantiùs vini aliquantulum degustaret,  
 perversâ consuetudine ætatis indiscretæ & inconsi-  
 derantis, illa hoc stimulo percussa, malam illam  
 consuetudinem præscidit, & à se totaliter ablega-  
 vit, & ita, ait Augustinus, *durum illud & acu-  
 tum ex altera anima convicium, occultâ Dei provi-  
 dentiâ fuit medicinale ferrum uno ictu putredinem  
 omnem & periculum omne præscindens.*

*Aug. lib. 9.  
 Conf. c. 8.*

Sed pergamus ad alia quæ magis servientium  
 conscientiam tangunt, nempe quomodo dominis  
 suis debeant esse fideles, & ita sit

PARS II.

10. **C**ertum est apud omnes, quòd servi non tã-  
 rum debeant honorare & amare dominos  
 suos, sed insuper quàm maximè illis in omnibus  
 esse fideles, adeòque quòd eorum bona conservare  
 & defendere quantum commodè possunt, graviter  
 obligentur. Ratio est : quia in illum finem à domi-  
 nis suis conducuntur, & accipiunt stipendium.

Ex quibus consequens est, quòd teneantur domi-  
 norù bona servare & defendere contra domesticos  
 saltem ex charitate, contra extraneos autem etiam  
 ex justitia. Undè si hi res dominorum furentur &  
 servi potuerint adeòque debuerint impedire & non  
 impediverint, in conscientia in defectu furum te-  
 nentur ad restitutionem : imò illi etiam qui specia-  
 lem curam susceperunt aliquorum, v. g. supellecti-  
 lis argentæ vel lineæ, & ad hoc, seu sub hoc one-  
 re stipendium accipiunt, obligantur etiam sub one-  
 re restitutionis illa servare contra domesticos : quia  
 in tali contractu periculum in se susceperunt.

11. Porrò quomodo servi dominis suis debeant  
 esse fideles, describit Apostolus, dum præcipit  
 Tito discipulo suo, ut doceat *servos dominis suis  
 subditos esse, in omnibus placentes, non contra dicen-  
 tes, non fraudulentos, sed in omnibus fidem bonam o-  
 stendentes.* Quòd debeant ex præcepto Apostolico  
 esse subditi dominis suis, quòd debeant studere ut

*Ad Tit. 2.*

eis placeant, quòd non possint contradicere; hæc omnia spectant ad honorem quem dominis & dominabus ut familiæ capitibus debent; sed dum dicit quòd eos non possint defraudare, quòd in omnibus debeant eis fidem bonam ostendere, hoc spectat ad fidelitatem, & manifestè sequitur ex dictis: quia si teneantur custodire res dominorum, ne ab aliis corrumpantur vel furentur, quanto magis tenentur ipsimet dominis vel rebus ipsorum non nocere, vel contra voluntatem dominorum consumere? auditis hoc famuli & ancillæ? omnis consumptio rerum dominorum vestrorum, vel omnis dispositio contra voluntatem eorum, injusta est, furtum est, restitutioni obnoxia est, nec aliter à quocumque à peccatis vestris validè potestis absolvi, quia *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Quid dicitis? respondete: an intelligitis hæc? omnia quæ ex officina aliis datis, omnis caro, cerevisia, vinum, &c. de quibus sine scitu dominorum disponitis, furta sunt: *non remittitur peccatum, &c.*

12. Sed videamus parum quomodo res in praxi sæpè contingat: commune Flandriis est proverbium: *dum dormiunt feles, tunc saltant mures*. Als de katten slaepen, dansen de muysen. Intelligitis quid velim? capitis quòd hæc vergant? si non capitis, explanabitur. Dum dominus & domina iverunt cubitum, dum tota familia est in quiete, dum deprehendi non timetis, ecce *dum dormiunt feles*. Sed quid? *tunc saltant mures*. Ast quomodo hoc? famuli & ancillæ egregiè laborarunt, debent manducare; dignum & justum est: ancilla in foro emendo aliquid, ut dicitur, gratis à Lanione vel Ichtyopola receperit, quid interest si eo titulo parum chariùs emerit, hoc quàm delicatissimè præparatur, nihil gustui, nihil potest deesse mensæ, nec sufficit ex optima cerevisia apportetur, habent promuscendum sibi amicum & familiarem, aliqua vel aliquæ lagenæ sunt semiplenæ, vinum evaporat.

ret & corrumperetur, si tales non sint, adducatur una vel altera etiam plena, quid in eo difficultatis? qui fideliter laborant, possunt etiam bene manducare: scrupulosi dumtaxat in eo faciunt conscientiam, &c. & illi adhuc (quod est intolerabile) non raro sunt de genere illorum, quibus dum à domino vel domina post mensam interdum haustus vini generose offertur, se excusare solent tamquam tali potui forent inassueti, prætendentes quòd ipsis nimis fortis sit, stomacho eorum nocivus & nauseam causans, imò videntur sibi adhuc scrupulosi, si non unum vel alterum extraneum secum ad mensam invitent. Quid vobis videtur? an nunc capitis quid sibi velit illud commune, *dum dormiunt feles, tunc saltant mures.*

13. O famuli & ancillæ, decipitis vos ipsos, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* O ancillæ dum frequentatis forum, dum emitis carnes, pisces, aliaque in familia necessaria, quomodo agitis? dum domum revertuntur, omnia ad amussim describere & calculare norunt, etsi nunquam didicerint Arithmeticam. O domina, inquirunt, crede mihi, timeremus hodie forum frequentare, omnia tam chara sunt, ut sit inexplicabile, tot florenos pro illo, tot solidos pro isto, discessi ad minus quinies pro quadrante, quòd tam parum offerrem, ipsorum scommata & irrisiones cum verecundiâ devorare debui, &c. uno verbo *aen blanckenbergsche rekeninghe.* Et interim hic unum nummum, ibi alterum surripiunt, prætendentes quòd sit merces industriæ ac præmium diligentiae, quòd sic communis aliorum & aliarum praxis se habeat, imò praxis habet, sed praxis tantum nimis communis, praxis diabolica, praxis infernalis: Deus tamen non fallitur: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

14. Sed audiamus partem, & quid similes dum desuper interdum corripiuntur, prætendant. Pater, inquirunt, audias rationem ob quam hoc non nobis

illicitum contendamus. Inivimus contractum servienti pro septem vel octo libris flandricis annuè ; multum in calceis & vestimentis deterimus , in negotiis nostris sumus admodum diligentes , plura cogimur facere , plus laborare quam prius unquam cogitassetus , uno verbo in conscientia loquendo tres vel quatuor libras flandricas plus promeremur quam contraximus ; quare ergo paulatim & insensibiliter donec salvo justo ad eam quantitate perveniamus , quæ dignè & justè servitio nostro debetur ; illud nobis occultè surripere non liceret ? certè hoc justissimum omnibus apparet : quid ergo in eo difficultatis ?

15. Intellego N. N. intelligo vos : vultis licitam occultam compensationem. Quamvis non ignorem positâ sufficienti cautelâ , debito liquido , impossibilitate saltem morali suum aliter acquirendi , &c. illam licitam à Theologis defendi , tamen in casu proposito nullatenus licita est. Undè vos ipsos decipitis , & omnes vos decipiunt , qui in hoc negotio vobis favent vel fovent. Quasi verò essetis vobis ipsis Judices , & merces servitutis foret determinanda non secundum contractum liberè initum , sed secundum proprium vestrum caprum. Undè si conqueramini vos plus promereri , vestra culpa est , & vobis ipsis imputandum quòd plus non accipiat , quare enim de ampliori stipendio non convenistis ? undè furtum est quidquid invito domino clam surripitis , totumque restituendum : quia non remittitur peccatum , &c.

16. Meritò proindè & justissimè Innocentius XI. qui cum opinione sanctitatis mortuus dicitur , damnavit ad minus tamquam scandalosam sequentem propositionem : *Famuli & famula domestica possunt occultè heris suis surripere , ad compensandam operam suam , quam majorem judicant salario quòd recipiunt.*

Scandalosissima est hæc doctrina , quidni & falsa ? quàm facilè enim unusquisque judicaret se mi-

nus recipere, quàm à parte rei mereatur? quomodo hîc mentiretur iniquitas sibi? numquid sic plurimis furtis latissima aperiretur via? non sic famuli & ancillæ, non sic: nolite vos ipsos decipere, debetis dominis vestris esse fideles in omnibus, ut docet Apostolus; & hoc non tantum, sed insuper obsequiosi, quod ut explicetur, sit

PARS II.

20. **Q**UOD famuli & ancillæ teneantur servire dominis suis iisque obedire, non est, qui dubitet; cum nomen servi servitium & obedientiam ad dominos suos importet, & ad hoc ab illis conducantur ac stipendium accipiant. Tantum ergo dubium oriri potest, quando & in quibus debeant obedire.

Ut ergo unusquisque sciat ad quid in conscientia obligetur, imprimis adfero locum Apostoli: *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Ecce Apost. vult & præcipit, ut servi dominis obediant in omnibus ac serviant, non propter homines, sed christianâ intentione, *timentes Deum*, idq; non solum piis & bonis, sed etiam malis ac discolis: dicit enim S. Petrus: *servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

21. Sed quid, dicetis, si mala præcipiant, puta quæ contra legem Dei vel naturæ sunt, an etiam in illis obediendum est? resolutio ad quæsitum patet ex citato loco Apostoli, ubi dicit quod servi debeant obedire dominis *timentes Deum*; sed peto à vobis an timeatis Deum, dum in eo, quod dominus vester malè præcipit, obeditis? patet quod non: & idè bene dicit S. Bernard. *non sic clamant Apostoli, quippe dicentes: melius est obedire Deo quàm hominibus.* Proindè qui ut hominibus placeant, iis obedientes Deum offendunt, maledictionem divinam incurrunt. Patuit in Adam, cui dixit Deus: *pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plus quàm meæ, maledicta terra in opere tuo.* Videte ergo servi & an-

1. Pet. 2.

& ancillæ quid faciatis : si mala vobis præcipiant domini vestri , pessimè quidem isti faciunt præcipiendo , nec minus malè vos obediendo , qui ut placeatis domino terreno , offenditis cœlestem.

22. Parum tamen in praxi ad hoc famuli & ancillæ attendunt , qui omnia sibi quasi æstimant licita , eo ipso quo fuerint præcepta. Dicit famuli molitorum , quomodo res agitur in molinari ? nonne unum frumentum commiscetis cum alio , vel permutatis ? nonne ponitis corruptum pro integro ? nonne madefacitis ut usque ad determinatum pondus & mensuram perveniat ? quid dicitis ? an propter præceptum dominorum vestrorum vos putatis innocuos ? quid prodest quòd dominus vestrè dicat , volo , præcipio ; dum Deus dicit nolo , inhibeo ? itaque dicit vobis Dominus Deus , quia obedivistis voci dominorum vestrorum plus quàm meæ , maledicti eritis , maledicti in hoc sæculo , maledicti in altero sæculo , maledicti in æternum.

Deindè vos servi Pistorum , Tabernariorum , Vinipolarum , Braxatorum , Sutorum , Sartorum &c. vos , inquam , qui scitis dominorum vestrorum injustitias , quas faciunt , fraudes & dolos , quibus populum decipiunt , & qui illos , ne displiceatis , in prædictis adjuvatis , profectò dicit vobis Deus , pro eo quòd obedivistis voci dominorum vestrorum plus quàm meæ , maledicti eritis.

23. Denique vos servi qui fertis ad amasiam vel concubinam domini vestri litteras amatorias , & ad peccatum citatorias , idque non ignoratis : vos qui ex mandato dominæ , in domini absentia hanc amasio illius indicatis ; vos ancillæ quæ instigatis & dominas vestras adjuvatis in perpetrando & occultando nefario scelere , propter munusculum fortè , propter aureum vel argenteum nummum , quid facitis ? certè quia obedistis voci domini vel dominæ vestræ plus quàm Dei , ab eo eritis maledicti.



Nec afferite excusationes in peccatis, nolite dicere, cogor hoc facere, si non faciam, domo expellar, non potero tam commodum & lucrativum obtinere servitium, quid ad me quid illi faciant, dum ego non facio, non mihi feritur vel metitur, ipsi viderint. Nolite sic loqui, quia in hora mortis invenietis vos deceptos, quando Judex vobis exprobrabit, quia obedivistis voci dominorum vestrorum plus quàm meæ, *ite maledicti in ignem æternum.*

24. Rogo itaque vos & per salutem animæ vestræ vos conjuro, seriò considerate, quod tam seriò inculcat Salvator noster: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.* Ut proindè justissimè Innoc. XI. sequentem damnaverit doctrinā: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem deservit deserendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Quid enim magis paradoxum & Christiano indignum quàm docere, quòd ob tam frivolas rationes sine gravi peccato tantæ proximi impietati positivè liceat cooperari, quasi salus animæ modico emolumento vel nocumento corporali non foret præferenda? ubi simul illi errare convincuntur, qui nihil detrimenti corporalis seu temporalis ad servandam Dei vel naturæ legem aliàs obligantem, patiendum autumant.

25. Itaque famuli ita dominis suis sint fideles & obedientes, ut tamen in malis illis non obsequantur, eorumque peccatis participant. Sint etiam & quidem imprimis memores Supremi Domini & Dei sui, ne ob famulatum hominum obsequii Deo debiti obliviscantur, tandemque infructuosè eos pœniteat, quando sola Dei servitus, nempè in hora mortis illis prodesse poterit. „ Miles quidam, in-

quit Vincentius Belluacensis, multo tempore  
 Marchioni inserviverat fidelissimè, eratque ei ca-  
 rissimus. Is tandem incidit in gravem infirmita-  
 tem, quam ubi audisset Marchio, visitat eum,  
 conducit Medicos, multa ei promittit, urgetque  
 ut exponat, si ejus in aliqua re egeat ope. Cum  
 ergo multis apud eum verbis ageret, tædio affe-  
 ctus miles dicit ei: *si pro tot laboribus & obsequio  
 fideli, aliquid gratum mihi rependere decrevisi, fac  
 ut aut mortem imminuentem evadam, aut saltem  
 unâ horâ ab his refrigerer doloribus, & si hinc con-  
 tingat exire, unâ nocte de felici hospitio facias mihi  
 provideri.* Cumque diceret Marchio in solius Dei  
 hæc esse potestate, se autem, si quid in temporali-  
 bus desideraret lubenter impensurum, respondit  
 æger: *ergo laborem meum & obsequium omne va-  
 nè consumpsi.* Et ad adstantes cum lacrymis con-  
 versus, ait: *Ecce nunc videtis, quomodo pretiosum  
 meum tempus expenderim, huic domino cum tantis  
 anima periculis obtemperando, qui neque ad horam  
 liberare me potest à presentibus periculis & immi-  
 nentibus pœnis, undè hoc me pungit & ungit: ex  
 corde pœniteo, & rogo ut periculum meum confide-  
 rantes, illi Domino serviatis, qui vos in hac neces-  
 sitate poterit sublevare & ab angustiis presentibus,  
 & à futuris erumnis. Utinam detur mihi pristina  
 sanitati restitui! ex animo spondeo, me soli illi ob-  
 sequium impensurum, qui potens est & me & om-  
 nes his in angustiis protegere, & vitâ perenni coro-  
 nare.* In hac ergo pœnitudine defunctus est, cæ-  
 teris suâ compunctione exemplum defixum relin-  
 quens. Sed de his fatis. Ut finiamus sit

26. **V**idimus modò N.N. quomodo famuli & an- EPILOQ  
 cillæ dominos dominasque suas honorare  
 debeant, vidimus quomodo eis debeant esse fideles,  
 obsequiosi, & obedientes, scilicet in illis omnibus  
 quæ legi divinæ vel naturali non repugnant. Tales  
 famulos ut videatis, bina ex sacris Litt. finiendo  
 superaddo exempla. Jacob Patriarcha, dum inces-

pit famulari, erat 77. annorum, apud Laban diligentissimè & fidelissimè famulatus est, licet ipse sapius mutaret mercedem ejus. Quapropter cum eum discedentem insequeretur Laban, dicebat ei : *Gen. 31.* *quid invenisti de cuncta substantia domus tua penes me? viginti annis fui tecum, oves tuae & capra steriles non fuerunt, arietes gregis non comedi, nec captivè à bestia ostendi tibi: ergo damnum omne redderam, & quidquid furto peribat à me exigebas, die noctuq; astu urebar & gelu, fugiebasq; somnus ab oculis meis.* Ecce quàm fidelis fuerit domino suo, & hoc præcipuum donum est, quo servos decet exornari. Undè apud Plutarchum laudatur quædam ancilla, quæ cum ad famulatum se offerret, interrogata quid sciret, hoc solùm respondit, *fidelis esse.*

27. Alterum exemplum adhuc magis mirandum in Joseph Patriarcha elucet: erat hic à fratribus suis in servum venundatus: invenerat gratiam in oculis Putiphar domini sui, qui plenariam omnium quæ erant in familia gubernationem ei confiderat, de quibus proinde pro libitu disponere poterat, & cujus dominus, ut Scriptura testatur, nihil aliud noverat nisi panem quo vesceretur, hoc est nullius rei sollicitudinè angebatur, sed tantùm accumbebat mensæ, & fruebatur eis quæ Joseph curabat & procurabat. Sed videamus modò quàm honoraverit dominum suum, quàm fidelis ei fuerit, quàm obediens in omnibus, sed in licitis tantùm atque honestis. Cùm enim domina illius, uxor nempè Putiphar conjecisset lascivos oculos in hunc pulcherrimum juvenem, eumque ad concubitum continuò sollicitaret ac molesta foret, imò minaretur, nisi consentiret, se clamaturam tamquam si ab eo vim passa fuisset, certè non dixit Joseph, uti plerùmque facerent hodie famuli & ancillæ, non est mea culpa, constringor, grave imminet detrimentum, perdam domini & dominæ meæ gratiam, honorem, emolumenta, imò vitam ipsam, sed solùm dicebat: *ecce dominus*

*Gen. 39.*

*meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeas in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, prater te, qua uxor es ejus: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? cui historię ad vivum depictę, sapienter Auctor subjecit hoc Lemma: plures est invenire tales dominas quàm tales servos.*

28. Itaque famuli & ancillę ubicumque estis & cum quibuscumque, si vobis aliquid contra Deum præcipiatur, contra legem Dei vel naturę, contra conscientiam vestram, dicite cum ipso: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? in Deum meum tam bonum, tam suavem, tam mihi beneficum? sic eritis famuli Christiani, & Deo, Angelis, ac hominibus grati, in fine vitę sperare poteritis vos audituros dulcisonam illam supremi Domini vocem, Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini.* Quod mihi & vobis largiatur Pater & Filius & Spiritus sanctus. AMEN.

## CONCIO LI.

*De obligatione dominorum respectu famulorum.*

THEMA. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tuum sic eum tracta. *Eccli. 33.*

1. **N**ON minùs curiosum quàm auditu jucundum & lepidum est, quod S. Aug. l. 13. de Civit. Dei c. 3. narrat de quodam Histrione, qui in foro extruxerat theatrum, & coram populo jactitabat, quòd sciret & explicare posset, quid omnes ac singuli velint ac desiderent. Cùm ergo ad illud audiendum ingens hominum multitudo altero die ad forum confluxisset, omnibus suspensis ac silentibus, *hac omnium vestrum, aie-*

bat, mens est; vultis carò vendere, & vili pretiò vultis emere.

Ecce N. N. veni huc hodie ad sedem concionatoriam, non ut histrionem agam, sed ut verbum Dei proponam & obligationes vestras vobis explicem; sed faciliè etiam possem vobis dicere, quid omnes & singuli velitis ac optetis. Anhelatis, ut video, quid dicturus sim: explico me, & dico paucis: omnes domini volunt habere bonos famulos, & omnes famuli bonos dominos. Sed tales acquirere, hoc opus, hic labor est.

2. Vidimus præcedente Concione, quinam sint boni famuli, & quænam sint obligationes eorum. Conformiter ad hoc illi se dirigere possunt. Restat nunc videre quinam sint boni domini, & ad quid respectu famulorum obligentur. Revera invenit thesaurum magnum, qui reperit servum bonum & fidelem, prudentem & obsequiosum, qui proinde plurimi æstimandus est, undè Sapiens dicit: *si est tibi servus fidelis, nempe qui omnem obligationem quam famulatus inducit, plenariè adimplet; sit tibi quasi anima tua*, id est diligas illum, quasi teipsum, *quasi fratrem tuum sic eum tracta*: quia quòd ille sit famulus, sicut & quòd tu sis dominus, hoc est fortunæ non naturæ: quia ab Adam & Eva cõmunibus parentibus omnes descendimus. Præterea tibi frater est, qui eundem habes Patrem Deum in Coelis, & Matrem Ecclesiam in terris.

Itaque sicut frater tractandus est. Proinde ut vicissim explicemus obligationes dominorum, prout jam explicavimus famulorum, ostendam hodie quomodo domini obligentur alere famulos, & quando in hac obligatione deficient. Est pars 1. Parte 2. videbimus quomodo eis suo tempore justam mercedem reddere obligentur, & quàm graviter peccent qui hoc non faciunt. Parte 3. rejiciemus/excusationes eorum quas frustra aliquando hinc aliqui prætere videntur. Prius tamen

## A V E M A R I A.

3. **M**irum est, quàm Christianè Philosophus PARS I.  
 moralis Seneca quantumvis Ethnicus de  
 hac materia discurret: sic enim inter cætera scri-  
 bens ad Lucilium loquitur: „ cum servis fami-  
 liariter vivere decet prudentiam tuam, servi sunt,  
 imò hominès: servi sunt, imò contubernalès:  
 servi sunt, imò humiles amici: servi sunt, imò  
 confervi, si cogitaveris tantundem in utrosque  
 licere fortunæ. Itaque rideo istos, qui turpe exi-  
 stimant cum servo cœnare: superbissima consue-  
 tudo, cœnantem dominum stantium servorum  
 turbâ circumcingi, & majestatis suæ diminutio-  
 nem existimare, ad eandem mensam cum servo  
 accedere. Debes cogitare quem servum dicis, eo-  
 dem cœlo frui, æquè spirare, æquè vivere, æquè  
 mori. Nam tu illum ingenuum videre potes, ille  
 te servum. Hæc præcepti mei summa sit, ut sic  
 cum infimo vivas, sicut superiorem tecum vive-  
 re velis.“ Quid magis Christianè docere posset  
 Author Christianus? Si hæc dicebat Gentilis Philo-  
 sophus de servis & mancipiis, quid nos de famu-  
 lis & mercenariis Christianis? nam servitus illa  
 apud Christianos jam exolevit, dum Ecclesia quæ  
 omnes ad libertatem Christianam vocat, omnesq;  
 suos filios vult invicem esse fratres, hanc servitu-  
 tem sensim sustulit, ne unus frater, id est Christia-  
 nus, alteri serviat quasi mancipium.

4. Interim quid, quoad dominos, doceat Apo-  
 stolus Paulus examinemus; postquam enim de ob-  
 ligationibus servorum respectu dominorum egit,  
 statim pergit ad obligationem dominorum utpotè  
 correlativam, quam habent respectu servorum suo-  
 rum, atque dicit: *Et vos domini eadem facite*, id  
 est servis vestris similem exhibete humanitatem,  
 benignitatem, amorè, sinceritatem ac fidelitatem,  
*remittentes minas*, ut non sitis superbi & ad singula  
 verba minaces, *scientes quia illorum Et vester Domi-*

Ad Ephes. 6i

*nus est in caelis.* Q. D. non habetis rationem ita superbiendi, & cum servis vestris adeo severe ac acerbè agendi, quia horum fratres estis & unum eundemque Dominum habetis in caelis: & proindè non estis meliores apud Dominum quia domini, nec servi viliores quia servi sunt, quia ut subdit, *personarum acceptio non est apud Deum*, qui omnes diligit æqualiter, sed eos maximè qui meliùs & perfectiùs voluntatem illius & beneplacitum adimplent, sive servi, sive domini sint. Hoc autem Deus innuere voluit in veteri Lege, dum ibidem præcepit, ut servus qui septem annis servivisset domino suo, septimo anno liber dimitteretur, pro ratione allegans: *mei servi sunt.* Vult ergo Deus ut domini agant respectu servorum suorum cum amoris discretione, & justitia. Ex his

*Luci 12.*

5. Dico 1<sup>o</sup>. domini debent famulis & ancillis alimenta convenientia eorum statui tribuere, id est, non quidem nimis delicata, sed sufficientia ad sustentandum corpus & exantlandum laborem, què obire debent. Quamvis enim non benè faciant qui servos nimis lautè tractât, pejus tamen est si necessaria denegentur, seu sufficientia non subministrèt. Si enim nimis lautè tractentur, fient rebelles & non satisfacient suo muneri; undè dicit Sapiens: *qui*

*Provrb. 32.*

*delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Talis enim est sæpè conditio & servorum indoles, ut ex dominorum indulgentia insolescant, & quidquid eis libet facere velint.

6. Sed quò hæc tendunt, an laudandi domini vel dominæ qui famulos & ancillas tractant ut asinos? an laudanda, ut ita dicam, barbaries illorum, qui servis vix quidquam dant nisi corruptum, vel cibus talis sit, ut puderet eos, si alii id scirent, & adhuc vix illud ad sufficientiam? denique an laudandi illi qui servis & ancillis ægrotantibus de mercede detrahunt, si morbo impediti tam benè iis servite nequeant, vel aliquo particulari alimento indigeant? quis hoc dicat? non dico ego.

7. Petet fortè aliquis, si famuli vel ancillæ ægri decumbant, ad quid tunc respectu illorum in conscientia obligor? respondeo, verum quidem est strictè loquendo, non obligaris plura dare, quàm faciendo tenues expensas, nec teneris expensas Medicorum vel Chyrurgorum subire; quòd si tantùm brevi tempore infirmitas duret, vel duratura speretur, ideò statim illos ex domo depellere, nimis crudele est; & quamvis dum morbus gravis est vel valdè periculosus, sufficeret curare ut in hospitali vel alio loco publico illorum cura habeatur, tamen christianæ pietatis est per se vel per alios eorum necessitatibus providere, uti Samaritanum fecisse legimus, qui breviter alligando vulnera illius miseri, de cætero cum curari iussit per alios.

8. Sed vos, ô domini & dominæ, videte quantum à charitate christiana distetis; si avis, si psittacus ægrotet, imò etiam si canis vel equus, summam de illis geritis curam, accersitis Magistros, non parcitis pecuniæ, medicinis, labori: & minùs impendetis ægro famulo vel ancillæ post fidele præstitum servitium? hæccinè charitas christiana? an ergo prævalet brutum animal & bestia irrationalis homini, & indè vobis, fratri vel sorori? quis hoc ferat? ecce equus languescit, bone Deus! quanta cura! itur, venit, curritur, ut sanitati restituatur nihil omittitur inexpertum: languescit famulus vel ancilla, & quidem post diuturnum fideliter præstitum servitium, & sine misericordia domo expelluntur.

9. Nonne ergo vos pudet? pudorem certè incutere deberet exemplum Centurionis, de quo mentionem facit S. Matthæus, *Matth. 8.* cujus famulus cum graviter ægrotaret, non solùm summam de eo curam gessit, vel ad Christum, qui sanitatem illius postularent, nuntios misit, sed ipsemet dominus ut efficacius impetraret ad Christum tetendit; attendite modò quomodo Christum deprecetur humillimè: *Domine, ait, puer meus jacet in domo paralyticus, &*



*malè torquetur.* Adhibuerat humana media & remedia, quæ cum non proficerent, recurrit ad divina. *Facet, inquit, in domo, non in xenodochio, non sub dio, non inter bestias tamquam bestia in stabulo; sed memor servitii, ait, quod mihi præstitit, domi eum foveo, & de necessariis provideo: quod quàm gratum Christo acciderit, explicat S. Cyprianus dicens: plus à Domino quàm petierat, impetravit. Cum multi ad Christum accederent, ille pro fratre salutem, ille pro filio, alius pro amico deprecaretur, nullus pro servo, nisi ille solus oravit; & hoc ei ad augmentum beatitudinis & ad coronam gloria erat.*

*S. Cyprian.  
hom. 5. ex  
variis.*

10. Hæc dicta, pro dominis intelligantur, non quòd ad ea strictè obligentur, sed ut sciant quòd deceat, quid deceat inquam, si veram christianam charitatem corde foveant, si fidelitatis & servitii sibi præstiti non sint immemores, si aliis velint facere quod in simili occasione sibi fieri optarent. De cætero quid deceat dominos servis facere, paucis tradit S. Thomas, nempè quòd eos ut fratres & filios diligere, curare & fovere debeant: verba ejus sunt: *bonus paterfamilias aliquid pretiosus dat servo agrotanti, quod non dat filio sano.*

Ecce quomodo teneantur domini servos nutrire, eorumque curam gerere. Videamus modò quomodo etiam justā mercedem reddere obligentur, & sit

**PARS II.**

11. **D**ico 2<sup>o</sup>. domini debent famulis & ancillis justam mercedem secundum pactum, quòd ad servitium conducti sunt ad finem anni vel tempore in eo determinato solvere, idque sub peccato mortali si indigeant vel exigant. Quòd ad hoc obligentur ex justitia patet: quia est merces laboris in contractu condicta, ad quam exigendam servus jus habet, & per consequens dominus solvere obligatur. Et hoc est quòd intendit Sap. dum dicit: *ne ladas servum in veritate operantem*, id est noli in aliquo lædere eos, qui tibi operantur & in sudore vultus sui tibi laborant, noli pretium eorum seu mercedem defraudare, ne maledictionem Dei super te

*Eccle. 2.*

& super familiam tuam accerfas. Et quare hoc? quia nempè vox servorum & ancillarum tuarum, si eis de mercede sua iusta defraudes, usque in cœlū clamat, & vocem eorum exaudiet Dominus, ut faciat iudicium, & injuriam illis factam vindicet. Cùm enim, sive servis & ancillis, sive mercenariis qui pro mercede diurna laborant, ex iustitia merces debeatur, & non rarò contingat, ut vel merces non plenè solvatur, vel saltem sic differatur, ut indè ipsi gravem necessitatem, vel saltem interesse patiantur, hinc quàm grave & abominabile coram Deo sit illud peccatum, paucis ostendemus.

12. S. Jacobus Apóstolus de hac materia agens, vos alloquitur ò domini: *ecce merces operariorum... Jacobi 5. qua fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* O domini, terribilia sunt hæc, attendite pro amore Dei; ecce merces, quam defraudastis, clamat ad Dominum, clamat iudicium, clamat vindictam, clamat ut vos immisericordes & injustos, justus & misericors Deus puniat.

13. Ut autem hæc meliùs intelligantur, ex S. Thoma cum omnibus Theologis notari debet, quòd quatuor peccatorū genera ex Script. sacra assignentur, quæ in cœlum clamantia appellantur. Primum est homicidium voluntarium, de quo Deus ipse, quando nempè Cæin proditoriè occiderat propriū fratrem Abel, dicit: *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Secundum est peccatum sodomiticum, de quo dixit Dominus Gen. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est.* Et Angeli tantam malitiam abominantes, dixerunt ad Loth: *delebimus hunc locum, eo quòd intraverit clamor eorum coram Domino.* Tertium est oppressio pauperum, viduarum & pupillorum, de quibus dixit Dominus Deus ad filios Israël: *Vidua & pupillo non nocebis, si la-seris eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, percutiamque vos gladio.* Quartum est peccatum de quo hîc agimus, scilicet mer-

ces famulorum & mercenariorum defraudata.

12. Porrò curiosum est & operæ pretium hîc inquirere, quare prædicta peccata dicantur clamare in cœlum, & quare non potiùs loqui; quia aliquid plus est clamare, quàm loqui, clamare enim importat vehementiam in loquendo & verba multiplicando. Hanc quæstionem solvit S. Greg. M. dicens: *Omnis iniquitas apud secreta Dei iudicia habet voces suas, peccatum namque cum voce, est culpa in actione; peccatum autem cum clamore, est culpa cum libertate.* Peccata inquam communia loquuntur quidem ac movent Deum ut ea puniat, sed peccata prædicta, quæ utique sunt gravissima, non tantùm loquuntur, sed per excessivam suam malitiam ita extollunt vocẽ suam, ut ( si ita loqui licet ) ad vindictam de illis sumendam Deum quasi cogant.

S. Greg. lib  
5. Moral.  
no. 7.

13. Sicut ergo innocens sanguis Abel effusus clamavit ad Deum de terra ad sumendam vindictam, sic etiam famulorum & mercenariorum merces defraudata clamat ad Deum; & ad hoc facit dictum Sapientis, dum defraudantem mercedem famulorum & mercenariorum comparat homicidæ dicens: *qui effundit sanguinem & qui facit fraudem mercenariorum, fratres sunt.* Q. D. ejusdem ferè malitiæ est, & utrumque peccatum est quod vindictam in cœlum clamat. Undè in veteri Lege sequens mandatum populo suo dedit Dñs Deus: *Non negabis mercedem indigentis . . . sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est.* Auditis hæc domini? Deus vult ut statim solvatis pauperi, non defraudetis mercedem, non minùs quàm promeriti fuerint tribuatis, non cogatis eos laborare pro minori mercede, quàm à parte rei promereantur, ne vescamini sudore pauperum. Super quæ verba scribens, sic pulcherrimè discurret S. Ambrosius: *qui non patitur se dicere cras dabo, quomodo patietur dicere non dabo?*

Ecli. 34.

Deut. 24.

Sed ut cuique detur justa defensio, audiamus quid pro se allegent domini & dominæ, atque ita sit

16. Solent prætere de domini & dominæ, & interdum non irrationabiliter illud quod scribit S. Hieronymus: *querulum servorum genus est, & quantumcumque dederis, semper eis minus est, non enim considerant de quanto, sed quantum detur, doloremque suum solis, quod possunt, obretractationibus consolantur.* Scio, inveniuntur tales qui semper conqueruntur, quibus numquam satisfactum est, sed de iis hinc non ago, sed tantum de mercede justa à dominis defraudata, vel ultra debitum sine justa causa delata, & proinde omnia quæ supra dicta sunt, de simili casu tantum veniunt intelligenda.

Hieronym.  
Epist. de vici-  
tand. suspi-  
cibus.  
Tom. I.

17. Sed propterea non minus deplorandum est quod domini plerumque adeo vigiles sint, ut ab aliis sibi debita solvantur, qui eos coram Iudice comparere cogunt, instant & urgent solutionem, curant ut capiantur, non desistunt donec totaliter misellos excutiant, eorumque familiæ irreparabilem ruinam sine misericordia inducant, à quibus lapsu temporis, si vel micam patientiæ aut misericordiæ habuissent, plenariam fortè solutionem accepissent: & illi non raro sunt de genere illorum, qui famulis & ancillis differunt solutionem laboritii & servitii de anno in annum, sive ex avaritia, sive ut eos habeant quasi catenam adstrictos.

18. Quid hoc domini, quid hoc? an illud justum? numquid & illi suam pecuniam mediis licitis & justis possent lucrari, sicut & vos vestra? si ergo vos per injustam mercedis detentionem in causa sitis, quod non lucrentur suam pecuniam id, quod alias iuste lucrari possent, quis vos excusabit à restitutione interesse quod inde habent? revera vos ipsi, si alteri mutualetis pecunias, quas determinato tempore non redderet, numquid pro rata temporis etiam in iudicio interesse exigeretis? quis dubitat? nec injuste fieret. Quare ergo & vos famulis & ancillis vestris non deberetis, quod ab aliis tamquam ex iustitia vobis debitum exigitis?

19. Hoc sciens senior Tobias, inter cætera salu-

Tob. 4.

Job. 31.

taria monita quæ filio suo reliquit, hoc unum fuit: *merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* In hac eadem iustitia erga famulos & ancillas etiam excelluit iustus & misericors Job, qui viam iustitiæ eis non denegavit, uti ipsemet protestatur, *si contempsi, inquit, subire iudicium cum servo meo & ancilla mea cum deceptaret adversum me?* audiebat rationes illorum quas habebant, & quid à se exigerent, eos interrogabat, ac quod iustum erat unicuique retribuebat. Sed quare hoc? quare in satisfaciendo suis famulis Job adeò exactus erat ac diligens? rationem mox subdit his verbis: *quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quaesierit, quid respondebo ei?* Si Job timuerit iudicium Domini, & timuerit ne fortè non inveniret, quo posset sese, si servis vel minimam de se conquerendi rationem tribuisset, coram illo iustificare, quid vos ò domini, quid vos in iudicio Dei respondebitis? an nescitis, uti Salvator docet, unumquemque quâ mensurâ mensus fuerit eadem ei remetiendum? si ergo vos, vel mercedem defraudetis, vel cum famulorum interesse differatis, vel infra laboris mēritum tribuatis, quid facietis quando Deus surrexerit ad iudicandum? denique si vos immisericordes & in servos vestros austeri sitis nimium, quomodo in iudicio Dei misericordiam ab eo sperare potestis vel audetis?

20. Recordentur omnes parabolæ illius quam Salvator proposuit de servo, qui debebat domino suo decem millia talentorum, quod totum debitum cum ei dominus supplicanti clementer remisisset atque ille durissimè ac crudeliter cum conservo suo suffocans eum & in carcerem tradens processisset, dominus illud intelligens, iussit eum tradi tortoribus, donec solveret usque ad ultimum quadrantem. Omnes reverà conservi sumus, sive servi sive domini, magni illius Domini Dei nostri. Itaque ò domini idem vobis timete, si vicissim crudeliter & sine misericordia cum conservis vestris in

hac vita egeritis. Multa vos etiam debuistis & forte adhuc debetis Domino Deo vestro, pro tot peccatis, tot criminibus, tot nequitiis in vitæ decursu perpetratis, debebatis solvere usque ad ultimū quadrantem, & casu quo ad limites justitiæ suæ exegisset, non eratis solvendo; misericorditer tamen vobis totum remisit, in gratiam vos restituit, jus ad cœleste patrimonium, a quo per peccata vestra excideratis, gratiosè reddidit. Et vos audetis affligere conseryos vestros, servos vobiscum ejusdem Dñi Dei vestri? timete ergo judicium illud super vos, si servi vestri afflicti & oppressi clament ad communem Dominum, imò si ipsamet merces defraudata clamet in cœlum; quia, ut scriptum est, *Non sprevit Dominus deprecationem pauperis.*

21. Denique graviter domini obligantur sollicitam curam gerere de famulis & ancillis, utpote qui membra familiæ sunt. Proindè videant quid faciant, si jurando, furando, vindictam fumendo, aliisque sceleribus pravum illis præbeant exemplū, vel, quod pejus est, illos sceleris sui faciant adjuutores: qualis enim paterfamilias, tales ordinariè sunt & ministri ejus. Abraham quia probus erat, *Gen. 18.* non solum ipse cum Domino ambulabat, sed & domesticis suis præcipiebat viam Domini custodire. Hoc autem efficaciter præcipere non possunt, qui pravo exemplo aliter censentur docere. Si petatis, quisnam ergo est bonus paterfamilias? respondeo quòd ille qui in veritate dicere potest cum David: *non habitabit in medio domus mee, qui facit superbiam; qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* *Psal. 100.*

22. Ex quo facilè colligi potest quis censendus sit malus paterfamilias, nempe qui domesticorum curam non habet, nec sollicitus est cujus sint vel fidei vel vitæ: peior est, qui famulos suos ad malum provocat vel exemplo vel præcepto. Talis fuit, ne adferendo exempla tempus teram, impius Ab-

salom, qui cum odium contra Ammon fratrem suum jam diu conceptum, tandem parere vellet & fratris parricidio se satiare, præcepit servis suis: *observate quando temulentus fuerit Ammon, & dixerit vobis, percutite eum & interficite, nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis.*

23. Vultis nunc scire quomodo familiam vestram gubernare debeatis? attendite ad Epistolam quam S. Carolus Borrom. scripsit ad Bathorem Cardinalem, in qua ad propositum nostrum sequentia invenio: "Curabis familiam castam, nec patieris, inter domesticos quempiam cujus non sint verba, & mores pudici: habeasque domi, qui in hanc rem invigilent, & crebro domesticos commoneant, teque de eorum vita. Modestia in verbis, & cultu corporis cernatur. Insuper curabis ut juramenta à familia tua absint, scurriles joci, concubicia, contumeliæ, & omnia verborum genera, quæ alios lædant. Vestitus etsi decens esse poterit, cavebis tamen ut absit is ornatus, quo milites & juvenes uti solent, hoc enim & gravitatem redolet, & illis ipsis quamdam majoris modestiæ necessitatem imponit. Sed ut paucis multa complectar, & simul huic materiæ coronidem imponam, Regulas quas S. Elzearius suis domesticis præscripsit, adferam, & concludam. Proinde sit

## EPILOG.

24. **E**cce domini, præcipuas & capitales obligationes vestras jam proposuimus: ut autem non solum feliciter sed & piè familiam vestram dirigatis, accipite Regulas quas S. Elzearius suæ familiæ nobili præscripsit. 1<sup>o</sup>. Constituit, ut omnes è domo quotidie Missam integram audirent. 2<sup>o</sup>. Ut viverent castè & purè, qui secus facerent, eos domo sua expellebat. Nolebat enim ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, & ne ejus peccatum fovere videretur. 3<sup>o</sup>. Ut nobiles & milites, itemque virgines & matronæ in hebdomadè confiterentur, & semel in mense communica-

arent.

carent. 4<sup>o</sup>. Virgines & matronæ manē usque ad prandium precibus & piis exercitiis vacarent; à prandio manuariis operibus sese occuparent. 5<sup>o</sup>. Ut nemo auderet blasphemare Deum, B. Virginem aut aliquem Sanctorum, vel jurare temerè, vel inhonesta proferre. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* Eum qui secus fecisset, in pane & aqua jejunare cogebat. 6<sup>o</sup>. Ut nemo luderet tesseris, aut alio lusu turpi & inhonesto. 7<sup>o</sup>. Ut omnes pacem & concordiam colerent: si quis alium offendisset, mox cum offenso in gratiam rediret. 8<sup>o</sup>. Ut quotidie, à prandio aut vespere, inter alios ipso præsente fieret collatio & collocutio de rebus piis & salutis.

25. Quibus unam Regulam ego superaddo, & quidem singulariter notandam; nempè ut domini cum famulis suis sic agere satagant, quemadmodum sibi, si in eorum statu essent, fieri optarent; & si maledictionem Dei evitare velint, caveant sibi ne sint de numero eorum, de quibus loquitur S. Ambrosius his verbis: *Sunt plerique qui magis canum quam servorum curam gerunt, & faciunt eos juxta se vel recumbere vel dormire, quotidianum eis cibum in sui præsentia ministrantes, qui utrum servi sui fame moriantur ignorant. Et quod gravius est, nisi bene his preparatum fuerit, pro cane servus affligitur. Vides in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere, homines autem pallentes & titubantes incedere.* Tunc ad terrendos similes crudeles dominos, sic pergit: *quomodo divinam evadent justitiã, contra quos clamor servorum caelos penetrans divinam postulat ultionem.* Non sic domini, non sic: nolite tantum considerare quòd sitis domini, sed simul servi & famulorum vestrorum conservi Domini Dei vestri: quem talem experiemini, qualem vos famulis vestris exhibueritis. Absit ergo ut vobis conveniat, quod vos alloquens dicit S. Cyprian. *Ipse de servo tuo exigit servitium, & nisi pro arbitrio serviat, flagellis verberas, & non agnoscis Dominum*

S. Ambrosii  
Serm. 33o



*Deum regem, cum sic exercent dominatum. Sic ergo domini sitis respectu servorum, ut fideles simul vos exhibeatis servos Domini Dei vestri, & ab eo fidelis ac christiani servitii mercedem recipere mereamini vitam æternam. A M E N.*



## CONCIO LII.

### *De statu viduitatis.*

**THEMA.** Viduas honora quæ verè viduæ sunt. *I. ad Timoth. cap. 5.*

**EXORD.**

**I.** Sanctus Ambrosius & Chrysostomus non sine ratione viduas seu vidualem statum turturi comparant : dico non sine ratione, quia quomodo viduæ vivere & quales esse debeant, suo exemplo docent turtures, & ex naturali inclinatione observant. De turture narrant SS. PP. & conveniunt Naturalistæ ; 1.º. quòd quando per mortem compartem perdidit, numquam amplius alteri copulari velit, sed solitaria incedens solitudinem amet, hominumque consortia fugiat. Quid hac naturali inclinatione aliud viduis insinuat, nisi ut viduæ maneat, & secundas nuptias semper abhorreat? 2.º. Turtures in hyeme plumas perdunt, & deindè toto hyemali tempore in cavis arboribus latitant, sed in æstate novis plumis acquisitis, aliò volant & alimenta conquirunt. Sic vidua, si injustè vexetur & opprimatur, si iniquis litibus injuriosè exagitetur, domi sedeat & meditetur : si plumas habeat, seu divitiis & bonis temporalibus abundet, evolet : nempè pauperum memor, pietatis operibus vacet.

2. Sed quid multis immoror? qualiter se viduæ gerere debeant, paucis explicat S. Ambrosius, dum eis exemplum Annæ Prophetissæ imitandū proponit, de qua mentionem facit S. Lucas c. 2. & de eadē sic loquitur: *cujus diversorium erat in templo, colloquium in prece, vita in jejunio. Ecce ibi vita viduæ*

*S. Ambrosii  
lib. de viduitate*

perfecta, vita Deo grata, quam quæ ducit, vidua talis est, qualem honorandam esse deprædicat Apostolus dicens: *viduas honora quæ verè vidua sunt.*

1. ad Tim. 5o

Cùm ergo in præcedentibus Concionibus de obligatione ferè omnium statuum egerimus, meritò & de viduis agendum videtur, ut & hæc sciant, quid agere debeant, & maritalitæ quid ipsis agendū, si viduæ fiant. Itaque de viduis tractando, primâ parte ostendam, quàm consultum sit illis abstinere à secundis nuptiis, & quot difficultatibus se exponant, qui eas suscipiunt, simulque vanas, quas ut hoc faciant, prætendunt rationes, enodabimus. Secundâ parte videbimus, quomodo & quando viduæ peccent. Denique tertiâ parte examinabimus, quales olim fuerint viduæ quæ ab Apostolis eligebantur, à fidelibus honorabantur, & publico Ecclesiæ servitio deputabantur. Dicamus priùs

A V E M A R I A.

3. **Q**Uòd olim diversa viduarum genera reperirentur, patet ex verbis cit. Apost. *Viduas honora quæ verè vidua sunt.* Cur enim adderet quæ verè viduæ sunt, nisi vellet insinuare aliquas quidem inveniri viduas, id est, quæ sunt orbatæ marito suo, quæ tamen secundùm sensum illius verè & à parte rei christianæ viduæ censendæ non sunt? hoc ut meliùs intelligatur,

PARS I.

Notandum est, quòd secundùm intentum Apostoli triplicis generis viduæ in Ecclesia Dei reperiantur. 1. Viduæ omnes illæ reputantur, quæ sunt orbatæ marito suo, sive intendant secundas nuptias, sive non. 2. Sunt viduæ quæ voto vel saltem firmissimo & infractabili proposito vidualem castitatem toto reliquo vitæ tempore servare statuerunt. 3. Viduæ erant antiquitùs in Ecclesia, quæ ad publicū aliquod in Ecclesia officij seu obsequiū obligabantur. De tribus his viduarū generibus, earūq; obligationibus ac peccatis in decursu agemus.

4. 1. Itaque sunt viduæ illæ quæ necdum ab-

L 2

1, ad Cor. 7.

solutam nubendi vel non nubendi, vel in viduitate remanendi resolutionem sumpserunt. Quid autem his bonum ac salutare sit, partim suadet, partim imperat Apostolus, dicens: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego.* Quod salutare monitum magis viduas tangere videtur quàm virgines: cùm enim viduæ singultus, tristitias & difficultates quas secum portat matrimonium, expertæ sint, minùs veniâ vel commiseratione dignæ judicantur, si voluntariè rursus iisdem vel gravioribus miseriis se implicent, quàm virgines sint, quæ sæpè, ut dicitur, priùs submersæ sunt, quàm aquæ naturam cognoscant: *sy syn verdroncken eer sy het Water kennen.*

5. Ad propositum lepidâ fabellâ vir aliquis aliàs grayis, honestæ matronæ secundum dissuasit matrimonium. Erat vidua, inquebat, quæ mortua cœli fores pulsabat & admitti volebat: petebat autem ab ea S. Petrus, quid umquam boni fecisset in vita quo cœlum promeruisset? respondebat illa, quòd adeò sæcularibus negotiis fuisset implicata, ut vix tempus habuisset Deo serviendi. Deindè quòd habuisset maritum potatozem egregium, qui omnia bona dilapidasset, à quo numquam aliud quàm mala verba, exprobrationes & opprobria recepisset, & quòd hæc omnia patienter tulisset. Quibus auditis S. Petrus utraq; valvas cœli aperuit, eamque tamquam martyrem intromissit. Illa autem mox amicæ superviventi etiam viduæ apparuit, eique explicavit quomodo propter ea mala quæ in matrimonio passâ fuerat, esset beata ac regnaret in cœlis. Quæ audiens, ipsa cœpit secum ita argumentari: virum quem assumam vel erit bonus, vel erit malus; si bonus, erit mihi benè in hoc sæculo; si malus, duplici titulo ac coronâ in cœlis donabor. Ergo iterùm submitit aleam, & maritum sortita est multò priore pejorem, à quo non solùm quotidie malis verbis excipiebatur, sed ferè quotidie verberibus egre-

giè vapulabat , & post multas misérias multis annis perpessas , tandem & ipsa mortua est , ac rectè ad cœlum tendens , omnes misérias suas tam prioris quàm posterioris matrimonii S. Petro fuse explicavit , à quo hoc responsum tulit : vade fatua mulier , cœlum non pro fatuis & dementibus creatum est. Potest mulier cordata etiam semel decipi , sed ipsæ bestię & bruta animalia evitant laqueos quibus semel capta fuerunt. Vade ergo , nescio vos. Atque ita cœlo exclusa est.

6. Hoc cum risu quidem ab illa matrona exceptum est , sed eam ita permovit , ut de secundis nuptiis numquam ampliùs cogitaverit. Non sine ratione itaque S. Paulus præsertim de viduis dicit , *bonum est illis si sic permaneant.* Sed quia aliundè idem Apostolus infirmitatem similium satis superque norat , si se continere non possent , seu ut meliùs dicam , non vellent , iisdem præcipit : *quod se non continent , nubant :* & rationem quare subdit ; *quia melius est nubere quàm uri.* Super quæ verba pulcherrimè discurret S. Ambrosius dicens : *optat Paulus in mulieribus quod in turturibus perseverat ; hortatur verò juniores ut nubant , quia mulieres nostra turturum pudicitiam implere vix possunt.* Si S. Ambrosius ita locutus est de suo tempore , quid diceret de nostro ? Ah ! quoties fit ut uno oculo lacrymentur & funus defuncti mariti lugeant , ac altero arrideant ei , quem sibi in animo jam indè sponsum designarunt !

Ambr. lib.  
5. Exam.  
c. 19.

7. Ne ergo viduæ imprudenter , & sine consilio ex sola effræni passione procedant , sed sciant atque reflectant quid faciant , S. Ambrosius secundi matrimonii difficultates enumerat , vanasque aliquarum excusationes , quas prætereunt solent , refutat , quas hîc adferre non pigebit. Aliquæ , inquit , dicunt se velle iterare nuptias , ut liberos procreent. Quis dicat illam intentionem malam ? imò cui non recta , bona & optima videatur , propter quam Deus matrimonium principaliter instituit , & ad

S. Ambr.  
tom. 1. de  
vid. part. 4.

dignitatem Sacramenti elevavit? de similibus sic argumentatur S. Ambrosius: vel in priori matrimonio habuerunt proles, vel non; si habuerint, sic respondet: *si filiorum studium causa est nubendi, utique ubi fructus est filiorum, causa non suppetit.* Ecce vos saltem, inquit, non habetis rationem.

8. De cætero, ait, vel non habent liberos, & illæ sunt duplicis generis: aliquæ numquam habuerunt; aliæ habuerunt quidem, sed illi mortui sunt. Si numquam habuerint, stultum est apud ipsum iterum *experiri velle frustra tentatam fecunditatem.* Si autem habuerint, & mortui sint, stultum etiam iudicat, *volo subire, quam portulerit orbitatem, qua liberos suscepit & perdidit.* Tunc pulcherrimè incipit explicare difficultates, quas secundum matrimonium ordinariè secum portat, quæ sunt discordiæ & inter proles diversi thori odia, de bonorum temporalium successione lites, aversiones, invidiæ, fraudes, inter fratres & sorores diversi matrimonii zelotypia, & millena similia incommoda.

9. His accedit quòd vitrici & novercæ proles compartis sinistro oculo aspiciant, iis persecutionem moveant, odio habeant, &c. ac exindè continuas inter se simultates & discordias causent: & ubi amor prolium parentibus adedò connaturalis mutui inter conjuges amoris solebat esse fomentum & incrementum, mater non rarò timet benefacere fructibus uteri sui. O quantus dolor! quanta pressura! matres non audent proprias proles diligere, fovere, eisq; maternum exhibere affectum, ex eo quòd amor erga proprias proles, ab alijs, imò sæpè à proprio marito, odium interpretatur prolium illius.

10. Quid jam dicam de injuria quam secundò nubentes faciunt propriis prolibus, propriæ carni & sanguini, dum eas privant multis bonis, quæ ipsis jure naturæ & hæreditario conveniunt, vel convenirent. Dicite vos, dicite & nolite occultare, quod nimis verum est, dicite inquam, qui experientiam habetis, nonne sic est? dicite conjuges, numquid

hæc & plura alia & graviora incommoda ex repetitis nuptiis oriuntur? hoc scitis, quia experti estis, & dum hoc scitis ac attenditis, quomodo ad secundas, imò interdum ad tertias vel quartas nuptias vos resolvere possitis, ego non concipio.

11. Interim unumquemque suæ libertati relinquo, & cum Apostolo dico, *melius est nubere quàm uri*. Hæc eadem est ratio quare idem Apostolus dicat, *volo juniores nubere*, id est viduas. Quare hoc velit, explicat S. Hieronymus, his verbis: *volo adolescentulas nubere, cur quæso? quia nolo adolescentulas fornicari. Ideò adolescentula vidua, quæ non se potest continere, vel non vult, maritum potius sumat quàm diabolum.*

S. Hieroni  
epist. 9. ad  
Salvini

Dum autem Apostolus dicit, *volo adolescentulas nubere*, ne putemus hanc absolutam illius esse voluntatem, vel tamquam absolutè bonum ab eo suaderi, quomodo hoc interpretandum sit, pulcherrimè explicat S. Ambrosius dicens: *utique pro remedio nuptias suavit, ut peritura sanetur; non pro electione præscripsit casta & continens quid sequatur. Aliud est enim subvenire labenti, aliud suadere virtuti.* Ecce ibi totum habetis mysterium quid intendat Apostolus. Cum ergo ille & SS. PP. & DD. relinquunt in sua libertate, relinquo & ego, nec per jam dicta eidem vel in minimo præjudicare intendo. Interim ut pergamus, sit

S. Ambrosii  
lib. de viduis

12. **U**T interim quæ viduæ sunt, sive ad secundas nuptias aspirent sive non, sciant ad quæ in conscientia, tamdiu quàm viduæ sunt, obligentur, pono sequentes regulas, & dico 1<sup>o</sup>. Viduæ in peccatis carnalibus, cogitatione, verbo vel opere peccant eodem modo eademque gravitate, sicut illæ quæ numquam matrimonio junctæ fuerunt & liberæ sunt. Ratio est: quia & ipsæ jam verè liberæ sunt. Quomodo autem & quando personæ liberæ hîc peccent, ad longum dicetur in Tract. sequenti.

PARS II.

Dico 2<sup>o</sup>. Viduæ peccant si deficient in cura

prolium & familiæ. Quoad proles eodem modo obligantur, & consequenter peccant, sicut quæ actualiter in matrimonio sunt, de quo fusiùs suprâ, imò eatenùs possunt dici magis obligari, quatenùs jam marito orbatæ, ipsius etiam cura ac sollicitudo illis incumbit. Deficiunt autem in cura familiæ, si bona dilapident, sollicitam de iis curam non gerant, & (quod maximè hîc notari volo) non auderem ego excusare à gravissimo peccato illas viduas, quæ scientes & volentes, vel saltem ex fundata præsumptione prævidentes, talem de novo accipiunt maritum, qui verosimiliter bona, quæ proles post mortem hæreditare deberent, omnia dilapidabit. Hanc aliquarum matrum crudelitatem meritò insectatur S. Ambrosius loco supra citato dicens: *quid est ergo generare alios liberos, ego addo, accipere talem maritum qui nec de propriis nec de uxoris liberis ullam curam habebit, nisi spoliare quos habes liberos? quibus pariter auferuntur & pietatis officia & impendia facultatum.*

S. Ambrosius  
suprà.

13. Dico 3<sup>o</sup>. Viduæ peccant peccato scandali quæ tales conversationes admittunt, etsi à parte rei nihil mali subesset, quæ dedecent honestas matronas & fideles viduas. Ratio est: quia indè alii scandalizari possent, & induci ut similes viduas, existimantes eas minùs pudicas, vel interiùs concupiscerent, vel exteriùs etiam ad peccatum sollicitarent. Dico 4<sup>o</sup>. Peccant viduæ pro ratione materiæ quæ ultimam voluntatem mariti non curant exequi, utpote in sepultura, celebratione Missarum, piis operibus, &c. ad quæ se obligarunt, vel quæ justè maritis morientibus non potuerunt denegare, & per consequens peccant mortaliter si materia sit notabilis. Nec immunes à peccato dixerim, imò nec à crudelitate, quæ prædicta notabili tempore sine justa & rationabili causa differunt.

14. Unum restat dubium generale, sed quod ab omnibus viduis benè notari debet, examinandum: scilicet an viduæ post mortem mariti sui de volup-

tatibus carnalibus ; quas in matrimonio licitè expertæ sunt , cogitatione possint se delectare ? ad quod

Respondeo si de iis tantùm delectentur tamquã de merè præteritis , v. g. quòd liberos procrearint, quòd quamvis carnales voluptates expertæ sint, nūquam tamen carnaliter peccaverint, & de aliis quæ tempore conjugii præterierunt , nullum est peccatum, dummodo delectatio ut præsens cum commotionibus carnalibus non proponatur. Ratio est : quia talis delectatio nec ex se est mala, utpote rectæ rationi minimè deformis , nec est mala ex objecto, cùm totū pro illo tempore licitū fuisse supponatur.

Sed si delectatio non de objecto præterito pro tunc licito , sed de præsentis cum commotionibus carnalibus indè oriri natis, & voluntaria sit, peccatum mortale est. Ratio est : quia cùm omnis delectatio carnalis extra matrimonium , & ibi adhuc suppositâ honestate finis , illicita sit , & viduæ jam matrimonio amplius junctæ non sint , similis delectatio illis magis licita esse non potest quàm personis liberis, adeoque tam in illis quàm in his peccatum mortale est. Sic communiter docent Theologi. Debet tamen delectatio illa esse venerea, voluntaria , libera , &c. sed de his satis. Videamus modò quales fuerint viduæ in principio Ecclesiæ, quæ toties in sacra Scriptura laudantur , & sit

15. **Q**Uòd ab initio Ecclesiæ fuerint viduæ, quæ PARS III.  
ab Apostolo Paulo vocantur *verè viduæ* , & quæ ab eodem præcipiebantur venerari, patet ex Themate 1. ad Timoth. 5. *viduas honora quæ verè viduæ sunt*, scilicet quæ publico & firmo proposito, vel etiam solemnī voto se Deo obstrinxerunt de servanda imposterum castitate ; quales autem tunc esse debuerint , patenter ex eodem Apostoli loco colligitur.

16. 1<sup>o</sup>. Debebant esse irreprehensibiles , ut ibidem ait , *& hoc præcipe ut irreprehensibiles sint*. Illæ autem dicuntur irreprehensibiles , quæ nullam



occasionem dant undè reprehendi possint, ut S. Hieronymus & in illum locum scribens S. Ambrosius dicit: *propter hoc se ad Deum contulit, ut probabilem vitam agat, sublatis enim occasionibus, quæ aditus solent aperire peccatis, potest bona conversatio incolumis permanere.*

S. Ambrosius in  
1. ad Timotheum.  
6. 5.

Debent itaque, quantum fieri potest, à sæculi vanitatibus se subtrahere, otiosas etiam ac fabulosas circumcursationes evitare, noxiam famæ proximi læsionem (quæ plerùmque loquacibus mulierum linguis arrodi solet) effugere, ut ita aliis modestiæ exemplum, honestatis iconem, laudabilis solitudinis prototypon, ac denique omnis omnino virtutis speculum se præbeant, ut sint sanctæ, piæ, castæ non solum spiritu & corpore, sed & exteriori conversatione exemplares.

17. Videant itaque, videant ne sint de numero illarum, de quibus ibidem Apostolus loquitur: *otiosa discunt circuire domos, & non solum otiosa, sed & verbosa, & curiosa, loquentes quæ non oportet.* Ibi perstringit vitia illarum viduarum, quæ verè viduæ non sunt, sed vitia femineo sexui quasi innata. Quot similes inveniuntur, quæ otio assuetæ, & laboris inimicæ fabulis solum vacant ac risu oblectantur: quæ sub titulo charitativæ visitationis de domo in domum discurrentes, maximam diei partem otio & fabulis impendunt. Et quia linguosæ ac loquaces sunt, varia inutilia intermiscentes, loquuntur quæ non oportet, ac suspicionibus, iudiciisque temerariis indulgentes interdum evomunt, quæ etiam honori ac famæ proximi maculam affricare possunt.

18. Interim similes adhuc videri volunt & æstimari, tamquam viduæ religiosæ & piæ, eo quòd Templâ & Sacramenta quandoque frequentent, aliaque exteriora opera in conspectu hominum speciosa ac ædificativa exhibeant. Sed non attendunt ad illud S. Jacobi: *si quis autem putat se religiosum esse, nec refrænans linguam suam, sed sedens*

Jacobi 1.

*ens cor suum, hujus vana est Religio. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hac est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.*

19. 2<sup>o</sup>. Debebant bonis operibus vacare. In operibus bonis testimonium habens, ait Apost. *si filios educavit, in hospitio recepit, &c.* in quæ verba ita discurrit idem Ambr. *vide quàm multas comprehenderit virtutum disciplinas; 1. pietatis officium, 2. hospitalitatis studium & humilitatis obsequium, &c.*

Si petas quid velit Apost. dum dicit: *discant primò domum suam regere & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim acceptum est coram Deo?* Respondeo quòd optimè moneat viduas, ne sub titulo devotionis & specioso Deo serviendi pallio, negligent familiam & filiorum educationem, negligent honorem & debitum parentibus suis obsequium impedere, detrectent officia bonæ matrisfamilias exercere, de quibus & similibus rectè ibidem Apostolus dicit: *si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.*

20. 3<sup>o</sup>. Debebant, quantum cura familiæ & opera misericordiæ secundum earum conditionem exercenda permittebant, vacare orationi *die ac nocte.* Nescio an umquam reflexeritis ad exemplum Annæ Prophetissæ, de qua mentio fit apud S. Luc. c. 2. quæ post septem annos quos in statu matrimoniali peregerat, vidua usque ad annum octuagesimum permansit *non discedens de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Ecce vidua illa juvenis, adhuc in flore ætatis se totam Deo & illius obsequio dicavit, sicut & ante eam fecerat famosa illa matrona & vidua Judith, quæ domi suæ, tamquam in monasterio, *in superioribus domus sua fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vite suæ, præter sabbatha & festa domus Israël.* Ecce exempla verarum viduarum, eò magis admiranda, quòd ante Christum natum & tot Apostolicas admonitiones contigerunt.

Luc. 2,

21. Non ergo sine ratione omnes viduas monet Apost. ut delectationes carnales spernant, vanitatē mundi fugiant, Deo soli serviant, pro ratione allegans: *nam qua in deliciis est, vivens mortua est.* Mirus hic loquendi modus: quomodo enim aliqua potest esse simul vivens & mortua? tamen sic est, ait Apostolus, *vivens mortua est.* Si petas quomodo hoc? respondet Theodoretus: *immodica delicia rationem obruunt, & efficiunt ut in corpore tamquam in aliquo sepulchro jaceas.* Idem clariùs & manifestiùs explanat S. Augustinus: *Vita, inquit, carnis tua anima est; vita anima tua Deus est. Quomodo moritur caro amissâ animâ, qua vita ejus; sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus.*

S. Aug. Tract. 45. in Joann.

22. Tales olim N. N. à temporibus Apostolorū eligebantur viduæ, tales honorabantur, tales erant Deo gratæ, quæ vivebant sanctè, & ut se firmiùs Deo obligarent ac quasi cum Deo matrimonium inirent, voto de servanda ei fide viduali, se eidem obligabant. Peccant proindè similes, & quidem gravissimè, si vestium vanitate vel periculosis conversationibus gravi violandi votum periculo sese exponant, vel per levitatem morum exteriùs ostendant se non esse tales, quales, si Deo fideles forent, esse deberent. Sed ut finiamus, sit

EPILOG. 23. **V**idimus modò N. N. quàm honorabilis sit status vidualis, quàm Deo & Angelis ejus acceptus; quantum ab Apostolo commendetur, quanto periculo se exponant, quæ imprudenter ad secundas vel tertias nuptias transvolant. Non ignoro, sed nec nego quòd viduæ sæpiùs suas habeant miseras, derelictæ, afflictæ, injustas persecutiones tolerant, & quod magis deplorandum est, humanum subsidium non invenientes. Sed, ô viduæ, pro amore Dei cogitate semel, quanta priùs non pertuleritis, ut placeretis marito vestro homini mortali; quanta ut mundo viveretis, ut prolibus provideretis, ut eas foveretis, enutrireris, &c. Cogitate simul, quanta sit dignitas esse sponsam Dei, quanti

fit meriti, quantæ in altera vita futurum sit gloriæ; cogitate, ut dicit Apostolus, quod *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*. Interim in hac vita etiam consolatur vos dicens: *qua vidua est & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die*.

24. Sic fecit & cum effectu practicavit S. Monica mater S. Augustini, de qua scribit: *Fuerat unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractaverat, in bonis operibus testimonium habebat; nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat. Postremò nobis Domine omnibus, qui ex munere tuo ante dormitionem ejus in te jam consociati vivebamus, perceptâ gratiâ Baptisti tui, ita curâ impendit, quasi omnes genuisset, ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset*. Si tales sitis, si idem faciatis, sperate in Deum, & invenietis illum vestri proviforem, imò parentem & maritum.

Aug. lib. 9.  
Conf. c. 9.

25. Itaque omnia terrena contemnite, ut sic Deum solum habeatis, ut dicere cum Apostolo possitis, *omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam*. Profectò si ita faciatis, si sic constantes permaneat, si ad Deum in omnibus periculis, persecutionibus, tribulationibus confugiatis, si in eo solo omnem spem vestram collocetis, si consolationem aliam non quærat, exprobrate mihi in die Judicii, si Deus vobis in omnibus non fuerit adiutor & protector, qui tot gratis & consolationibus vos hîc cumulabit, ut omne quod in mundo mundanis apparet acerbum & grave, pro Deo vobis futurum sit jucundum & leve, à quo tandem aliquando tamquam dilectissimæ illius sponsæ cum gloria coronabimini in cœlis, quod mihi & vobis concedat Pater & Filius & Spiritus sanctus, Deus benedictus in sæcula sæculorum. A M E N.

#### REFLEXIO AD LECTOREM.

**N**otet benevolus Lector, quod ordinem Decalogi mutare consulum inveni. Cum enim quoad

quintum præceptum non occides, non aded multa populo scitu necessaria occurrant, sicuti occurrunt quoad sextum præceptum non mœchaberis, si illud hic suo ordine stylo ordinario explicassem, moles secundi Tomi cum præcepto sexto nimium excrevisset: si verò hoc præceptum sextum omissem, materia non suffecisset. Proindè cum ordo præceptorum parum ad rem faciat, tertium Tomum (Deo favente) incipiemus à præcepto quinto non occides, & quidquid de reliquis præceptis dicendum supererit, in tertio Tomo explicabimus.



## TRACTATUS VIII.

*De sexto Præcepto Decalogi.*

**NON MOECHABERIS.**

### CONCIO LIII.

*De Luxuria in generali.*

**THEMA.** Non mœchaberis. *Exod. 20.*

**EXORD.**

**1.** Quidam ex antiquis ut significaret quàm commune apud homines sit luxuriæ vitium, hanc fabellam ingeniosè excogitavit diabolus, inquiebat, sibi in uxorem desponsavit iniquitatem, ex qua varias suscepit filias, utpote superbiam, avaritiam, usuram, furtum, rapinam, mendacium, tandem simoniam, hypocrisim, & similes alias, sed quòd præcipua ejus filia fuerit luxuria, illas enim priores in matrimonio quodam collocavit; nam superbiam desponsavit nobiles & potentibus, avaritiam & usuram mercatoribus, rapinam & furtum militibus, mendacium & fraudem artificibus & advocatis, simoniam Ecclesiasticis, hypocrisim quibusdam Religiosis, invidiam Aulicis. At verò luxuriam voluit

esse liberam & omnibus communem, ut per eam lucrari posset innumeros cujuslibet status & conditionis, quod usque in finē sæculi peragit. Quod quàm verum sit, præterquàm quòd praxis & experientia id evincat, ex in hac materia dicendis clarè patebit.

2. Porro ut explicem quid sit luxuria, non possum hoc melius facere, quàm effectus quos causat describendo. Doctor mellifluus Bernardus in eo me præcessit, dum luxuriam describit, vel ut melius dicam, eam comparat currui seu quadrigæ Pharaonis persequenti Israëllem fugientem, ut de verbo ad verbum hîc describo: "Luxuriæ currus quadrigâ volvitur vitiorum; ingluvie videlicet ventris, libidine coïtus, mollitiæ vestium, otii soporisq; resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia. Et qui his præsidet? duo; ignaviæ torpor & infida securitas: quia & copia in ignaviam solvit, & secundùm Scripturâ prosperitas stultorum perdet illos; non sanè ob aliud, nisi quia malè securos reddit: Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc subitaneus superveniet eis interitus. Hi calcaria minimè habent, neq; flagella vel aliquid hujusmodi, sed pro his utuntur parvulo papillone conopæo ad faciendam umbram, & flabello ad citandum ventû. Porro conopæum dissimulatio est, umbram faciens & protegens ab æstu curarum: proprium namque est mollis & delicatæ animæ etiam necessarias dissimulare curas, & ne æstuantes sollicitudines sentiat, sub latibulo dissimulationis abscondi."

S Bernard.  
Serm. 39.  
in Cant.

Proverb. 1:

1. ad Thess. 5

3. Ecce quomodo hîc ferè omnes luxuriæ contineantur proprietates, & quòd S. Bernardus benè illam delineet, patet in Sodomitis, qui hoc curru vecti ad æternam damnationem velocissimè procurerunt, de quibus proindè, eorumque interitu loquens Proph. Ezechiel, hunc currum paucis verbis describit: *Hæc fuit iniquitas Sodoma fororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia.* Per Sodomâ benè intelligitur univèrsa luxuriæ iniquitas. Itaque

Ezech. 16:

hanc universalem humani generis pestem & pessimos omnes illius effectus his concionibus ad longum demonstrabimus, semper, uti solemus, explicando, quomodo in qualibet materia peccetur, & quàm abominabilia coram Deo & Angelis ejus, cur non & hominibus? sint peccata carnalia. Pro hodie parte 1. in generali videbimus quàm universale sit hoc vitium. Parte 2. quòd nihil sit delectatio illius nisi *vanitas vanitatum*. Prius tamen

## A V E M A R I A.

PARS I. 4. **D**iogenes Philosophicus ille Morio & sapientissimus fatuus, qui hominum fatuitatem & cæcitatem tam lepidè irridere ac fortiter insectari solebat, semel pleno die & radiis solaribus omnia illustrantibus in famosissima illa atque populosissima civitate Atheniensi cum lucerna ardente discurrebat undique, cùmque in foro hominibus repleto quid quæreret, interrogaretur? homines, aiebat, quæro. Homines, reponunt illi, quæris? & quibus loqueris, quos vides, quos trudis, & à quibus præ multitudine truderis? ô insipidum caput! & qui vel quales illi sunt? (hominum turmas demonstrabant) & tu homines quæris? imò verò inquit ille, homines quæro, & jam tanto temporis intervallo quæsi, & huc usque ne vel unum invenire potui. Discurrerat Diogenes per totam civitatem, perambulaverat forum, scrutatus erat officinas, tabernas non omiserat, fuerat in templis, in scholis, in curiis, in Regum & Principum palatiis, uno verbo in locis omnibus, & se cum lucerna sua ne vel unū hominem invenire potuisse protestatur. Quamvis autem in eo omnibus omnium stultissimus videretur, in eo ipso tamen omnium sapientissimum se demonstravit: sciebat enim Diogenes hominem à bestia non discerni in eo, quòd cerneret, audiret, viveret, ambularet, saltaret, manducaret, similesque animalis sensitivi actiones exerceret, sed in eo, quòd rationis capax foret: & per consequens

quens omnes qui non agebant secundum dictamen rectæ rationis, non homines sed bestias existimabat.

5. Dicite mihi N. N. si cum lucerna Diogenis hujus Civitatis plateas, forum, vicos, officinas percurrerem, numquid etiam rectè & meritò con-  
 queri possem me homines non invenire? quid vo-  
 bis videtur? an verum dicam, videamus, & fami-  
 liariter agamus. Hoc concedere debetis, quòd verè  
 homo dici nec possit nec debeat, qui in suis actio-  
 nibus conformiter ad rectam rationem minimè  
 procedit. Ergo omnes qui bestiales voluptatibus  
 & carnalibus concupiscentiis fræna laxant, qui cum  
 scurris & meretricibus bona, pecunias, carnem &  
 sanguinem prodigunt, qui luxuriâ, pollutionibus,  
 scortationibus &c. seipsos commaculant, an homi-  
 nes & animalia rationalia dicendi sunt? qui pec-  
 cant cum aliena uxore, vel saltem cum ea quæ non  
 est sua, & sciunt quòd dicat Apostolus, *quoniam*  
*qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*: an  
 similes secundum dictamen rectæ rationis proce-  
 dunt, adeoque dicendi sunt homines?

6. Ubinam ergo hoc misero & depravato tem-  
 pore, etsi cum lucerna Diogenis eos quæram, veros  
 homines inveniam? dicite ubinam putatis? assi-  
 gnate mihi locum. An in palatiis Principum? *in*  
*de baelen, in de assambleen ofte, comedien?* Eheu!  
 Deus novit quæ ibi fiant: si fides habenda iis qui  
 ea loca frequentant, horribile est vel cogitare. An  
 in domibus Magnatum? quæ ibi interdum fiant  
 cameris & fenestris clausis ipsi meliùs sciunt quàm  
 hîc dicere necesse sit. An in culinâ inter famulos &  
 ancillas? quoties indè miracula sine miraculo pro-  
 deunt? quoties post paucos menses fit publicum,  
 quod commissum est in occulto? An ergo in taber-  
 nis? profectò illa, si ulla, domicilia veneris videntur,  
 ubi sine pudore peccatur, dum facilè omnia  
 quamvis pudenda maximè excusantur & potui im-  
 putantur. Ubi ergo? fortè in congregationibus ju-  
 ventutis, in scholis saltatoriis, inter musica instru-



menta? Eheu quot virgines & innocentes honorem, pudicitiam, & virginitatis donum irreparabile ibidem perdiderunt! saltem, dices, in statu matrimoniali, qui secundariò in remedium incontinentiæ institutus est, invenientur: Deus det! non est hic locus agendi de adulteriis, sed quæ non fiunt etiam inter conjuges, qui sibi quidquid lubet, licitum autumant & pallio matrimonii, quantumvis naturæ repugnet, volunt cohonestari.

7. Finaliter si quæramus veros homines, hominesque castos; saltem in Templis, in locis Deo sacris, in locis Angelis pariter & dæmonibus terribilibus, ubi Deus realiter scitur præsens & adoratur, reperientur. Utinam! utinam! sed quod horribile est atque abominabile, sanguineisque lacrymis deplorandum, videtur hodie locus Deo sacer, domusque Dei conversa in prostibulum meretricum: si mihi non creditis, audite desuper S. Chrysostrum: *multi, inquit, ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuemdam in Ecclesiam veniunt.* Et ut ad posteriora tempora veniamus, conqueritur de suo tempore Bellarminus Cardinalis: *quis tolerandum putet, quòd non desint qui in sacra ade, dum tremenda Sacrificia celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis querunt, & juxta Dei sententiam, oculis ac corde mœchantur.*

8. De quibus & similibus loquens S. Chrysostrum exclamat: *non miraris, quomodo undique fulmina non deferantur? quomodo cuncta funditus non evertantur?* Denique ab iisdem petit idem S. Pater: *prostibulum tibi videtur Ecclesia & foro ignobilior? nam in foro erubescis & times ne quis te videat mulierem sectari, in Ecclesia verò Dei, cum ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso maximè tempore fornicatione & adulterio uteris, quo tibi magnâ voce intonatur, ut ab his fugias.* Videtis itaque nec in Ecclesia veros homines inveniri: ubi ergo iaveniemus? quærant qui volunt, ubi sint veri ho-

S. Chrysostr.  
hom. 24. in  
Matth.

Bellarmin. in  
gemitu Co-  
lumba.

mines, Deus novit; sed hoc dico, quòd dum hæc & similia profundius consideramus, quòd videamus verissimè dixisse S. Joannem Apostolum: *mundus totus in maligno positus est*, super quæ verba sic scribit S. Thomas: *mundus totus in maligno positus, id est, in malo igne positus est.*

S. Thom. 2<sup>o</sup>  
1. Joan. 6, 8

9. Conformiter ad jam dicta narrat Cornelius à Lapide in cap. 38. Gen. quòd S. Christina in spiritu viderit totum mundum flagrantem & Deum paratum, ut mundum igne ac sulphure deleret, uti olim delevit Sodomam & Gomorrhæam, nisi ipsa precibus & corporis afflictionibus hanc Dei justam vindictam amovisset. Nec minùs horribile est, quòd de hac re loquens dicit S. Remigius. Verba ejus sunt: *demptis parvulis ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur: & Drexelius, memini, inquit, & horreo quòd à præceptore meo audivi: sècentum juvenes damnantur, è centenis illis nonaginta novem ob vitium carnis damnari.*

10. Nec mirum hoc fortè videretur, si conscientias hominum intrare liceret, & ibi videre quot modis in hac materia peccent, & quàm horribiles ac novos peccandi modos sibi adinveniant. Revera mirum non videbitur, si verum sit, quòd pro certo narratur, quòd aliquando in una urbe Neapolitana fuerint reperta quadraginta millia meretricum, & Romæ etiam nominatenus cognitæ quinque millia, absque iis quæ non cognoscebantur.

Verum quidem est, tot & talia lupanaria publica in hac Patria non reperiuntur; nec etiam tolerantur; quot tamen non sunt etiam in hac Civitate? dixit mihi quidam fide dignus medicus & conscientiosus, de civitate in qua domicilium habebat, nomini parco propter rationes, quòd sibi constaret vix unam esse plateam ubi varia lupanaria non existerent, & paucas admodum tabernas ab ea peste immunes, in tantù saltem ut ad libitum adventantiù, si ibidem non sint, meretrices venire procurent.

11. Hæc dum auditis N. N. nonne vobis mirum

Eph. 11.

videtur, quòd Deus tanta mala permittat, quòd non puniat, quòd talis Civitas maledictioni divinæ non subiaceat? profectò novit Deus tempus suum, misericorditer agit, vel ut Sapiens dicit, *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam*, & hic particularis divinæ misericordiæ effectus est: sed si agnoscamus misericordem, timeamus simul & justũ. Recordemur quòd in principio mundi diu & misericorditer egerit, antequam diluvio omnes perdidit. Noë prædicavit hominibus pœnitentiam, & ut DD. notant, ultra centum annos impendit fabricæ Arcæ, sed tãdem ipsius justitia apparuit: at quando? audite Script. S. *finis universa carnis*, dicebat Deus, *venit coram me*, finis misericordiæ quæ irritata est nimium, adest tempus justitiæ, & quare? statim Deus subdit: *omnis quippe caro corruerat viam suam*.

Gen. 9.

12. Numquid etiam idem de nostro tempore dicere liceret? ubi enim veri homines, qui ut rationabiles rationabiliter vivunt? ecce omnis caro corrumpit viam suam. Et quid indè? nonne dicere possemus jam advenisse tempus de quo prædixit Salvator, *sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus filii hominis*. Scilicet in novissimis temporibus, in quibus nos modò esse meritò suspicari possumus. Sed videamus hoc; quid faciebant tunc homines? *edebant & bibebant, uxores ducebant, &c.* id est omnia faciebant, non quæ & qualiter dictabat recta ratio, sed qualiter præscribebat cæca passio amoris carnalis. Et quid indè? *venit diluvium & perdidit omnes*. Sic timendũ ne veniat ira Dei & vindicta ejus super nos, & perdat nos omnes, qui plerumque secundum carnẽ vivimus, non secundum rectã rationem, Deique legem. Ex quibus omnibus patet quàm universale sit vitium carnis, à quo ut tandem aliquando avellamur, videamus modò quid lucremur indè, & quid utilitatis habeamus, ac sit

Luc. 17.

PARS II.

13. **S**I aliquis in mundo unquam carnis voluptatibus indulserit iisque fræna laxaverit, profectò fuit Rex Salomon, quimet de se testatur quòd

nihil negaverit oculis suis, & quòd cor suum ad omnes voluptates effuderit, qui præter 700 uxores quas habebat tamquam Reginas, præterea habuit 300 Concubinas. Quis non indulgeret omni voluptati carnisque illecebris, qui tot uxores, tot haberet concubinas? sed audiamus post omnes has & tantas voluptates, in quibus volutabatur, quid de iisdem experientiâ edoctus & propriâ conscientia convictus sentiat: audite ipsum in sinceritate cordis exclamantem: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

14. Videtur diabolus mundi Saccharopæos imitari, qui ante officinas suas proponunt varias capsas, quibus aureis litteris, istic dactyli, illis panis saccharites, alteri spiræ, isti scriblita, illi mattya, scitamenta, tragemata, bellaria, ac omne genus cupidiarum inscribitur. At si aperueris, inanes pixides apparèt, & nihil invenis nisi *nihil*. Sic diabolus suas officinas habet, si carnis voluptates vendat, conatur persuadere omnia dulcia, summam delectationem, imò hominis beatitudinem in iis reperiri. Sed dum carnales experti sunt, fateri debent cum Salomone *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Imò *nihil* inveniunt, vel si aliquid inveniunt, nihil nisi amarum; honorem perditum, pecunias dilapidatas, sanitatem amissam, corpus debilitatum, sanguinem corruptum, vires exhaustas, & super hæc omnia in fine inveniunt præter conscientia vermem, mentis excæcationem, voluntatis obdurationem, futurorum desperationem, finaliter æternam damnationem.

15. Hujus tragicum & horribile exemplum narrat *Franciscus de Licht* in libello, qui inscribitur, *Veritas genuina Nihili*. Parisiis, inquit, tres non gregariæ conditionis viri per compita, seu otio seu negotio intempestâ nocte vagabantur, cum de longinquo mulierem cernunt, cui puer facem præferbat. Vultus velo tegebatur, sub velo larva, accedunt, inquirunt, ut sit, blandiùs, undè & quò tam serò per tenebras? illa causata cœnam, in ea immodicam amicorum invitationem, respondet infalutato hos-

pite, necnon marito ibidem moras trahente, se domum redire. Illi latus utrumque claudunt, offerunt comitatum, fidem præstituri, quam maritus negabat. Admittit, itur, fabulatur, jocatur: interea viam emensis stant præ foribus, quas puer clave in idipsum præparata aperit, ingrediuntur domum magnificâ supellectile instructam, invitantur ad sessionem, sedent & ipsa assidet. Dein puer cum vino adest, quo propinato, velum unâ cum larva removeri per famulum à facie imperat, & elegantis formæ puella apparet. Ardere omnes, quisque potiri, etiam unus pudicitiam tentare. Ad hæc illa, quasi erubescere & stupere, tandem non refugere & admittere.

16. Quid expectatis hîc factum N. N. numquid maritum in ipso facto illos deprehendere, vulnerare, occidere? graviora sunt. Numquid illos Nebulones post violationem maritum occidere, ut cum ipsa bonis illius potiantur? parum est. Numquid fortè omnes simul à Deo puniri? necdum satis. Quid ergo expectatis? dicite quid? cogitate quidquid volueritis, quidquid potueritis, vincam equidem expectationem vestram. Dum peccant, ecce dæmon erat, non puella quæ sub larva delitescibat, ac inveniunt cadaver mortuum ac putridum; foetore omnibus abominabile: in ictu oculi puella, ædes, famuli, omnia disparent, duobus dæmon fregit collum, tertius nuncio & pœnitentiæ superstes manè in immundo ac deserto civitatis angulo semivivus inter cadavera repertus est. Quibus narratis ut finiat auctor, adfert illum locum Psalmistæ Psal. 72. *velut somnium surgentium Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

*Psalm. 72.*

17. Numquid similibus Idololatriæ Bacchi & Veneris convenit illud quod Propheta Amos de iisdè dicit, *ut illis qui latantur in nihilo?* In quo illi tres, de quibus jam locuti sumus, lætati sunt & suæ concupiscentiæ satisfecerunt, numquid in nihilo? dum sub larva nihil invenerunt nisi materiam peccati,

quod nihil est; quia si omne peccatum, teste S. Augustino nihil sit, utpote non aliud quam privatio conformitatis ad legem Dei debitæ inesse, singulariter tamen nihil est peccatum carnale, ubi momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat: *een cort pleisier, een eeuwigh vier*. Et ipsi qui peccatum committunt, fiunt nihil, ut rectè nostrâ linguâ appellentur, nihil valentes, *deughonieten*. Quod confirmat S. Petrus Damianus, dum bene dicit: *tunc cum videbantur impii, ad nihilum potius pertinebant, quàm ad verum esse: qui enim ab eo recedit, qui verè est, juxta illud Exodi 3. ego sum qui sum, necesse est ut non sit, quia ad nihilum tendit*. Sed ut finiam, sit

18. **V** Idistis modò N. N. quomodo luxuriæ vitium sit communissimum, quomodo qui illud sectantur in vanitate lætentur & nihilo, quia ut olim Christus exprobrabat Scribis & Pharisæis quòd essent similes sepulchris dealbatis: *va vobis Scriba & Pharisei, quia similes estis sepulchris dealbatis, qua a foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ*, sic delectationes & voluptates carnales inexpertis mirabilia videntur, in iisque omnem vitæ dulcedinem arbitrantur; sed dum transit, nihil nisi amarum relinquit, ad quòd bene allusit Philosophicus Poëta: *Pramissas mellis, sequitur conclusio fellis*.

EPILOG

Matth. 23

*Habet omnis hoc voluptas, ait Boëtius, stimulis agit fruentes: apiumque instar volantium, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit ista corda morsu*. Sordidam aliquam delectationem & effrænam passionis impetum luxuriæ inesse, nemo negat, sed nec negare potest, quin plus fellis quàm mellis habeat. Undè Sap. dicit: *savus distillans labia meretricis; novissima autem ejus amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps*. Exemplis Scripturæ SS. replentur, quas adferre hic non vacat.

19. Sed dicite vos luxuriosi, dicite qui experti estis, & huic cæcæ ac effræni passioni aliquando

M 4

indulxistis, peto à vobis cum Apostolo, quem fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis & dicite veritatem, quam si fateri velitis, fateri debetis, & velitis nolitis cum Salomone dicere: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Tis een schyn, sonder zyn.* Quid aliud clamabitis, & per totam æternitatem deplorabitis, nisi *vanitas vanitatum*? ô si tot Bacchi Venerisque adoratoribus, qui modò in inferno ardent, tempus pœnitentiæ indulgeretur, qualiter vitam instituerent, quid clamarent in civitatibus, quid prædicarent super tecta, quid docerent publicè & privatim, quàm illud S. Salviani, qui postquam ad vitam revocatus erat, ut testatur S. Greg. Turonensis lib. 7. Hist. cap. 1. semper & ubiq; in ore habebat: *Audite filii Adæ, & intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed omnia vanitas. Omnia ergo ut vana contemnite, ut veram Dei gloriam mereamini adipisci in cælo.* Hoc mihi, hoc vobis, hoc omnibus ex corde voveo, ut Deus misereatur nostri, & miseris nostræ. Amen.



## CONCIO LIV.

### *De simplici fornicatione.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exod. 20.*

EXORD.

I. SAnctus Joannes Apostolus in Apocalypsi libro pleno divinis Mysteriis, volens describere abominabiles mundi iniquitates & peccata, quibus prævidebat homines, nedum Turcas & Infideles, sed etiam Christianos immergendos, omnes futuras nequitias & abominationes paucis complectitur, quando enarrat visionem meretricis famosæ sedentis super bestiã habentem capita septem, & cornua decem, quam ipsi ostendit Angelus Dei, ad illum finem eum vocans: *veni*, dicebat, & ostendam tibi damnationem meretricis magna, qua sedet super aquas multas, cum qua fornicatio

Apoc. 7.

*sunt Reges terra, & inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus.* Ecce visionem : sed quis ejus sensus , quæ significatio ?

2. Per meretricem illam magnam , non incongruè intelligitur caro nostra , cum qua omnis generis homines fornicati sunt , & de cujus vino voluptatis inebriati sunt omnes inhabitatores Orbis terrarum , & quando describit meretricem illam , seu carnem nostram purpurâ , auro & gemmis exornatam , significat vanitates ornamentorum quas homines assumerent , ut carnem suam exornarent , quod in Christianis , maximè quoad mulieres adimpletum videtur. Quæ erat , inquit , *habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditiâ.* Quia nempe luxuria , & caro ad eam ex corrupta natura inclinata , dum ad carnales spurcitas homines inclinat , voluptatem meretriciam proponit ut auream , sed dum ex calice illius bibitur , invenitur repletus *abominatione & immunditiâ.* Bone Deus quàm abominabilia non committuntur cum meretricibus ! sed de his necdum agendi tempus , dabitur postea.

3. Unum solùm hîc justè quæri posset , quare scilicet peccatum luxuriæ hîc aded aggravetur , quasi gravior malitia in terra non reperiretur ; ubi tamen certum est multò graviora dari ? dantur non diffiteor , sed meritò Scriptura S. aded in luxuriam invehitur , eò quòd origo sit & radix omnium malorum , quæ sub sole fiunt. Et illud voluit Angelus S. Joanni insinuare , quando ei ostendit luxuriam sedentem super bestiam habentem capita septem & cornua decem , utpote quæ apertam sternit viam ad septem peccata capitalia , & quæ sæpè , si non ordinariè causa est transgressionis decem præceptorum Decalogi.

De prima itaque luxuriæ specie seu de simplici fornicatione hodie agere intendo , & quidem primâ parte inquiram , quid sit simplex fornicatio , an & quare peccatum. Parte secundâ rationes quare , præ-



fertim à Christianis fugienda sit, enumerabimus. Parte tertiâ refutabimus fuites rationes, quæ in excusationem hujus vitii prætendi possent. Ecce materia hujus concionis. Prius &c.

## A V E M A R I A.

PARS I. 4. **A**Ntequam examinemus quid sit & quate

S. August.  
Qu. 71. in  
Exod.

Matth. 5.

peccatum fornicatio, prænotandum est, quòd dum Deus præcipit *non mæchaberis*, illo præcepto omnia peccata carnalia, sive fiant corde, sive ore vel opere, inhi-beantur: quia ut bene notat & docet S. Augustinus, *si furti nomine bene intelligitur omnis usurpatio illicita rei aliena; profectò & nomine Mæchia omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Quod & Christus satis clarè insinuare videtur, dum dicit: *audistis quia dictum est antiquis, non mæchaberis.* Ecce Lex Antiqua, Lex Naturæ, Lex Dei Judæis olim solemniter promulgata, cujus transgressio à Deo tunc severissimè puniri præciebatur: sed ne homines sibi adblandientes, cæteras carnis voluptates, cum seipsis vel cum personis liberis minimè prohibitas erroneè sibi persuaderent, immediatè Salvator subdidit: *ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

Matth. 15.

5. Ecce non solùm opus, sed etiam cogitatio, complacentia vel voluntas ad illud prohibetur. Imò verò posset contingere quòd opus ipsum non foret peccatum, numquam autem fieri potest ut consensus liber non sit peccaminosus. Opus in perfectè ebrio non prævisum, in demente, in eo qui putat esse cum propria conjuge non est peccatum; utpote, ut supponitur, non voluntarium & liberum: voluntas autem in liberè volente, semper peccatum est. Undè iterum Salvator ait: *de corde exeunt cogitationes male, adulteria, fornicationes, &c.* quibus nempè voluntas liberè consentit, & *hæc sunt quæ coinquinant homines*, non tam opus quam voluntas & liber consensus in illad.

6. Prænotari debet 2. quòd illa vox fornicatio in Scripturis SS. diverſimodè ſumatur. Sic 1<sup>o</sup>. ſumitur pro idololatria ac infidelitate, quo ſenſu dicit Dominus filiis Iſraël de tribu Juda: *Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Juda.* Id eſt, ſi tu Iſraël fornicaris & idola colis, ac diis alienis tribuis honorem mihi ſoli tot titulis debitum, tu ſaltem Juda, quem à principio ſingularibus præveni beneficiis, noli exemplo eorum decipi, ut colas deos alienos, vel adores opera manuum hominum. Undè Deus illud exprobrans per Jeremiam Prophetam, dicit: *tu fornicata es cum amatoribus multis.* Et Judicium *Jerem. 3. c. 8. fornicatusque eſt omnis Iſraël in eo.* Et iterum: *fornicati ſunt in Balaïm.*

7. Deindè fornicatio interdum ſumitur pro peccato mortali, per quod quis à Deo recedit, & relinquens ſolum legitimumq; animæ ſux ſponſum, adhæret creaturis, & ſic intelligendū eſt, quod dicit David: *perdidisti omnes qui fornicantur abs, te.* Hoc eſt, qui mortaliter peccant, & Oſeas cap. 2. *aufferat fornicationes ſuas à facie ſua.* Id eſt peccata. *Pſalm. 71.*

3<sup>o</sup>. Sumitur pro omni actu luxuriæ, vel qui repugnat caſtitati, ut patet ex Apoſtolo, qui reprehendens Corinthios, dicit: *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Ubi non loquitur de ſimplici fornicatione, quæ propriè per vocem illam *fornicatio* intelligitur, ſed de inceſtu, ut patet ex verbis Apoſtoli ſubſequentibus: *ita ut uxorem patris ſui quis habeat.*

8. 4<sup>o</sup>. Sumitur & propriiſſimè pro concubitu voluntario ſoluti cum ſoluta, & de hac hîc agimus. Fuerunt varii Hæretici qui docuerunt ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, eo quòd nemini ſat injuria, & quiſque jus habeat in proprium corpus. Tales fuerunt varii, & quidem adhuc in principio Eccleſiæ primus omnium ac caput illius hæreſeos fuit quidam Nicolaus nomine, unus ex ſeptem Diaconis quos elegerant Apoſtoli, de quo præcipiebatur Joanni Apoſt. ut ſcriberet Epifcopo Pergami,

Apoc. 2.

*habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balas mittere scandalū coram filiis Israël, edere & fornicari: ita habes & ita tenentes doctrinam Nicolaitarum. Et iterum ibidem, hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, qua & ego odi. De his etiam & similibus agens Apostolus hor-*

Ad Ephes. 5.

*ratur Ephesios: nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, qua enim ab occulto fiunt, turpe est & dicere. Præter multos alios, sæculo decimo sexto fuerunt Anabaptistæ, qui idem, vagumque concubitus, dum spiritus dictabat, licitum dicebant. Quibus omnibus hîc supersedeo, &*

Deuter. 22.

9. Probo ex Lege divina tam veteris quàm novi Testamenti, sicut & ex jure naturæ fornicationem esse illicitam ac peccatum mortale. Quoad Legem veterem, pro puellis ex Israël Deus hanc legem tulit: *si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent.* Constans autem est Doctorum & Theologorum sententia, quòd Deus numquam statâ lege jusserit, aliquod crimen puniri morte, quin illud foret peccatum mortale. Pœna enim semper correspondet delicto: cùm autem pro fornicatione Deus pœnam lapidationis statuatur, quæ certè gravissima est, sequitur fornicationem esse peccatum mortale. Indè inter multas pias admonitiones, quas filio suo Tobias reliquit, hæc una fuit: *attende tibi fili mi ab omni fornicatione.*

1. ad Cor. 6.

10. Idem adhuc clariùs probo ex novo Testam. Paulus enim Apostolus multimodè fideles ab hoc vitio avocare & deterrere voluit, ut patet ex variis locis. Sic 1. Cor. 6. *An nescitis, inquit, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* & quia fortè aliqui eo tempore inveniebantur, qui vel simplicem fornicationem peccatum non æstimabant, vel saltem in eo magnâ difficultatem non reperiebant, pergit: *nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri... regnum Dei possidebunt.* Idem tradit ad Galatas c. 5. dicens: *manifesta sunt opera car-*

Ad Gal. 15.

nis, qua sunt fornicatio, immunditia, luxuria. Multisque aliis enumeratis peccatis, de omnibus pronuntiat: *qua prädico vobis sicut prädixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Imò tantum horrorem hujus peccati fidelibus conatur incutere, ut illud nequidem inter eos velit nominari, velletque planè nesciri. Sic monet Ephesios: *fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos Dei,* id est per baptisina & Christianæ fidei susceptionem sanctificatos. Sed etiam naturæ repugnat seu rectæ rationi, præsertim ut illa per fidem elevata est, quod ut probem sit

Ad Ephef. 5.

PARS II.

**N**Umquid illud efficaciter probavero, si peccatum fornicationis ostendam multimodam injuriam & ingratitude[m] erga Deum involvere? rem quoad Christianos sic se habere, jam convincam. Imprimis fideles sic alloquitur Paulus: *an nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit.* Q. D. Hoc indignum est, injustum est, irrationabile est: si enim simus membra corporis Christi mystici, debemus ei casto corpore servire, caputque nostrum puris & castis moribus imitari: per fornicationem autem corpus nostrum Christo quasi suffuramur, & cum injuria illius contra voluntatem ejus meretricibus tradimus. Quid irrationabilius?

1. Cor. 6.

II. Deindè fornicarii injuriam faciunt Spiritui sancto: cum enim homo in gratia Dei constitutus sit vivum templum Spiritus sancti conformiter ad illud Apostoli: *an nescitis quoniam membra vestra Templum Spiritus sancti qui in vobis est?* & ille per fornicationem ex anima fugetur, profectò injuria fit illi, dum invitè quasi & violenter ex templo suo expellitur. Et quid indè expectandum? subdit Apostolus: *si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Videtis, inquit Augustinus, quomodo & quid minetur? *non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei?*

1. Cor. 3, 7

Aug. lib. de decem cord.

Idem dicendum de imagine Dei, quæ vicissim per libidinis fœditatē violatur atque polluitur. Sic iterum asserit S. Aug. his verbis : *facis injuriam Deo, dum teipsum corrumpis. Et unde inquis ? unde tibi facit injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est ? quum verò imaginem Dei, qua es tu, corrumpis per fornicationes & per defluentias libidinis, non attendis cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti ?*

1. Cor. 6.

12. Denique fornicarii injurii sunt redemptioni nostræ & pretioso Sanguini Jesu Christi: dicit enim Apostolus, *empti estis pretio magno*, pretio utique inæstimabili, pretio Sanguinis Jesu Christi, eo pretio, inquit Apost. empti sumus; sed quid inde? *empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Si glorificare & portare debemus Deum in corpore nostro, debemus illud castum & incorruptum servare in obsequium Dei & Christi: si verò per fornicationes illud polluamus, & sic pro brevi turpique voluptate illud dæmoni obstringamus, & sic quasi gratis vendamus, quis non videat nos injurios esse pretio redemptionis nostræ, pretio Sanguinis Jesu Christi? proindè, ait idem Apostolus, *hac est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes qua ignorant Deum.*

13. Considerate hæc, ô juvenus excæcata, qui corpora vestra fœdæ libidinis immunditiis polluitis & contaminatis. Si creationem vestram considerare velitis, in vobis ipsis imaginem Dei manu exaratam cognoscetis: cur ergo illam in injuriam ipsius Creatoris carnali corruptione conspurcatis? si attendatis ad pretium redemptionis vestræ, empti estis pretio magno Sanguinis Jesu Christi: cur ergo Deum non glorificatis in corpore vestro, sed potius in injuriam Redemptoris inhonoratis? an nescitis in Baptismatis ac sacræ Confirmationis susceptione, corpora vestra ibidem facta esse membra

Christi, ac Spiritui sancto specialiter esse consecrata? cur ergo tollentes membra Christi facitis membra meretricis? non sic N. N. non sic, sed *glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

14. **Q**Uæ cum ita sint, & undequaque probetur PARS III.

fornicationem peccatum mortale esse, quomodo ergo juvenes, quasi peccatum non foret, personas liberas ad illud sollicitatis? quomodo ita cæco impetu ad lupanaria ruitis? quomodo vos tabernarii quæritis personas disparis sexus, quas non nisi ad peccandum accersiri non ignoratis? quid dicitis? fornicatio peccatum mortale est, vel non est? si dicatis non esse, estis hæretici & execrabiles. Si peccatum mortale esse fateamini, quomodo ergo tamquam aquam bibitis iniquitatem? an Deum ubique præsentem nec timetis nec reveremini? quid dicitis, vel in quo vos excusatis?

15. Memini, cum diversos in hac materia mone-rem familiariter & charitative, qui se huic vitio addictos etiam extra Confessionem non diffitebantur, cumque eis periculosum statum in quo vivebant proponerem, ridebant & non tantam esse malitiam contendebant, nempe quod peccata essent juventuti maxime familiaria, vitium esse non tam voluntatis quam naturæ, imò non nemo eò impudentiæ processerat, ut respondere non vereretur, nos esse in mundo ad invicem in supportanda fragilitate subveniendum, illud opus esse amicitiae, &c. O N. N. ridere in re tam seria! ridere in negotio ubi de felici fortè vel infelici æternitate agitur! ridere in mortaliter peccando, quo anima ignis infernalis rea constituitur, quo Dei hostis efficitur, quo quis diaboli fit mancipium! timendum profectò ne risus ille aliquando convertatur in planctum! quid hoc est N. N. nisi ridere Dei misericordiam, eamque explodere ac justitiam illius irritare?

16. An nescitis ergo quod dicat Apostolus, *Deus non irridetur?* itane opus est amicitiae fornicatio, & illa hæc fovetur? ô amicitiam generi humano

Jacobi 4.

civam ! amicitiam diabolo gratam ! amicitiam Deo, Angelis, Sanctis omnibus exofam ! nescitis quid de simili amicitia sentiat S. Jacobus Apost. *Adulteri*, inquit, *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* amicitia est, dicitis, sed amicitia carnalis est, perversa est, venenosa est. An quis sibi amicum putaret, qui se laudaret, sibi abblandiretur, ad mensam invitaret, si sciret omnia illa fieri ut in fine venenoso poculo interimeretur? profectò talem non amicum sed capitalem hostem diceretis.

17. Sic interim vobiscū agit caro vestra, abblauditur vobis, invitat, multam delectationem promittit: sed quid indè? epulatur, ridetur, cum meretricibus jocatur, omnia apparent jucunda, sed latet anguis in herba. Illæ animæ vestræ pestes sunt, pestes reipublicæ, illæ ab anima vestra auferunt divinæ gratiæ thesaurum incomparabilem, auferunt castitatem, occidunt animas vestras, uno verbo vos hostes Dei cōstituunt, *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei?* nolite vos ipsos decipere N. N. quia Apostolus protestatur vobis, *quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.*

An adhuc, ô lubrica juventus, simplicem fornicationem contenditis non esse peccatum mortale? an adhuc plures vultis adferre excusationes in peccatis? velle mihi videmini, sed & ego audire volo atque explodere.

18. Non possumus, dicitis, nos continere & ætatis ebullientis ardorem sustinere, ideòque necessitatur libidinem explere aut mulierū occasione frui. Sic fortè non inconsequenter ad sua principia Calvinista vel Jansenista discurreret, minimè autem Catholicus: *Deus enim impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petero quod non possis: & contra te Deus protestatur, dicens: sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et Sapiens dicit: *Deus apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum; ante hominem vita & mors, bonum & malum.* Undè ergo tam leviter peccant

Trid. Sess.  
6. c. II.

Genes. 4.

peccant homines carnales ? undè continentiam sibi impossibilem autumant ? respondeo cum S. Hieronymo , *ô infelicissimum humanum genus ! ô juvenus cæca & effera , qui peccata excusamus , dicentes : victus sum à natura : cum in potestate nostra sit & peccare , & Domino adjuvante non peccare.*

19. Nolunt experiri lascivi homines quid possint, carnalibus tentationibus nolunt resistere, sed ad primum lenocinantis sibi voluptatis sensum, mox captivum tradunt consensum ; & sic carnem non vincunt , sed à carne vincuntur. Quòd autem res sic se habeat , ô homines carnales , vobis ipsis fatentibus demonstrare volo. Peto itaque à vobis , si notabilis pecuniæ summa vobis proponeretur , ut vos contineretis , numquid tunc promptè & fortiter carni obfisteretis ? cur ergo servatum apud Deum continentibus præmium non consideratis ? cur vobis vim non infertis ? non aliundè profectò , nisi quòd veraciter non credatis. Iterum vos interrogo , si certi essetis quòd mors temporalis ex primo incontinentiæ actu infallibiliter vobis immineret , numquid concupiscentiæ frænum injiceretis ? certi interim estis quòd æternus animæ interitus ac ignis infernalis peccato debeatur , quare ergo non vos continetis , nisi quia non creditis ? deniq ; si ad peccandū parato quantumvis lasciviæ stimulis excessivè ageretur , superior superveniret , continere se posset , & ubi certi estis vos in præsentia Dei & Angelorum esse , quare vos continere non potestis , nisi quia efficaciter non vultis ?

20. Scio N. N. nec negare possum , hominem sine auxilio Dei se continere non posse , sed simul scio quòd si homo fecerit quòd in se est , illud paratum est , quia Dei gratia nobis non deest , si nos illi numquam defuerimus. Poscat itaque qui in tentatione est , oret , instet , pulset ad januam misericordiæ , & hujus gratiæ auxilium certò experietur : quia ut Trid. supra dicit : Deus numquã instat præcepto , quin præcurrat auxilio. Dicat ergo unus ;



Aug. lib.  
10. Conf.  
c. 29.

quisque cum Augustino, *ô amor, qui semper ardes, & numquam extingueris! charitas Deus meus accende me. Continentiam jubes, & jube quod vis.* Illud idem nos docet Sapiens, qui dicit: *ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, . . . adii Dominum & deprecatus sum illum.* Injustè ergo conqueritur & Deo injuriosus est, quisquis dicit nò possum me continere: quia tantùm adeat Dñum & deprecetur illum, qui, juxta Apostolum, *fidelis est, & non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

1. ad Cor. 10.

21. Sed quare, inquiunt alii, vel undè simplex fornicatio tantum foret peccatum ut vos dicitis? uxori injuriam non facimus, utpote liberi: si usum corporis sui aliqua mihi permittat, quid tum? sui juris est. Nulli, dicitis, facitis injuriam: sed numquid parte secundâ ostensum est quòd dum turpitudinem operamini, injuriam inferatis Deo & corpori vestro? scio commune & verum axioma est, *scienti & volenti non fit injuria*: personalis nempe illius quæ permittit, si suo juri cedere possit. Sed an propterea non fit injuria Deo? interim rogo vos attendite ad Apost. qui petit à vobis quare creati sitis à Deo, non solùm quoad animam, sed etiam quoad corpus: quid dicitis? respondet Apost. *corpus non fornicationi sed Domino creatum est.* Ergo corpus nostrum creatum est non ut meretriciis amoribus, fornicationibus & impudicitæ serviat, sed Domino, ut scilicet ei fideliter & castè famuletur. Indè quando baptizati estis, petatum est à vobis an abrenuntiaretis diabolo & omnibus pompis ejus: respondistis per patrum *abrenuntio*, atque ita à Deo assumpti, quasi sponsa cum Sponso spirituale cõtraxistis matrimonium, quod supra Apostolus videtur innuere, dum dicit: *nescitis quoniã corpora vestra membra sunt Christi? non solùm in quantum quisque est membrum Ecclesiæ, cujus Christus caput est, sed etiam in quantum vos liberè Deo per Sacramentum Baptismi conjunxistis, & ipsius facti estis; videte ergo injuriam quam Christo inferitis: tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit.*

1. ad Cor. 6.

22. Hoc autem faciunt quotquot fornicantur: *non nescitis*, petit Apostolus, *qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur?* injuriam ergo infertis Christo cui vos addixistis, & opera carnis abjurastis, & sic per consequens foedifragi estis. An adhuc fornicarii praetenditis, vos fornicando nulli injuriam facere? nolite, ait Augustinus: *Noli dicere tibi, quando forte aliquid luxurianter vis agere, uxorem non habeo, facio quod volo. Jam nosti pretium, jam nosti quo accedis, quid manduces, quid bibas, imò quem bibas, abstine ergo à fornicatione.* Et postea subdit: *noli mihi etiam dicere: ad prostitutam vado, praeceptum illud non violo, non moechaberis, quia uxorem necdum habeo. Nec illud praeceptum violo: non concupisces uxorem proximi.* In quod ergo praeceptum incurro? nolite itaque sic loqui N. N. quia supra ex eodem August. audivistis quòd sub nomine moechiae omnis illicitus concubitus prohibeatur, sicut sub nomine furti, omnis contrectatio injusta rei alienae.

Aug. lib. de  
decem cord.  
6, 10.

23. **Q**Uæ cum ita sint N. N. rogo vos & per salutem animarum vestrarum vos obtestor, nolite tollere membra Christi ut faciatis membra meretricis: audivistis enim quòd sic non soli Christo, sed & vobis ipsis injurii sitis: quia, ut ait Apost. *omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus suum est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, nempe quia illud exponit multis miseriis, foeditatibus ac morbis, & animam divinae exponit maledictioni. Scio occasiones multae sunt, tentationes graves, natura corrupta & ad malum inclinata ab adolescentia sua: sed cum Apostolo dico, *mortificate membra vestra quae sunt super terram*, quia *non coronabitur nisi qui legitime certaverit: & Christus ait, Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quod ut efficacius fiat,

EPILOGO

24. Considerate serio, quod utique certissimum est, si carnem sequamini, in carne vos puniendos: si in carne delectemini, in carne vos cruciandos esse. Non potest justitia Dei aliter judicare; qui plus

N a

mundum diligit quàm Deum, plus luxuriam quàm castitatem, sicuti sequitur Satanam, sic cum Satana suppliciis sempiternis indubitanter est addicendus. Attendamus diligenter quid sint & quid fuerint, qui ante pauca tempora nobiscum vixerunt. Ecce multi illorum cinis sunt & vermibus, comederunt, biberunt riserunt, luxuriati sunt, & in puncto quot eorum ad inferna descenderunt? ecce hîc caro vermibus, illic anima ignibus deputata est. Quid profuit illis brevis lætitia? quid carnis voluptas contulit momentanea? de grandi exaltatione in ruinam, de mundi exultatione in perennem cedere tristitiam; numquid idem nobis, si carnem sequamur, accidere poterit? quia humus de humo, terra de terra in terram reversuri sumus. Forsitan, quis scit? hodie mors nos expectat, expectemus illam & nos, & unum eligamus de duobus, aut, si desideria carnis sectemur, æternùm cruciari cum impiis; aut si illis resistamus eaque conteramus, cum Sanctis æternùm regnare in cœlis.

25. Igitur verbis Apostolicis finio, & vos per salutem animarum vestrarum adjuro, *fugite fornicationem*, quia Deo displicet, Christo injuriosa, coram hominibus turpis est. *Fugite fornicationem*, quia lata est porta, & ut in abyssum omnis malitiæ decidatis, fovea est profunda. *Fugite fornicationem*, quia est poculum meretricis Babylonice, quo intoxicati cæci amatores hujus sæculi pereunt æternaliter. *Fugite denique fornicationem*, quia nisi hîc fugiatis fornicationem, in hoc sæculo divinam non effugietis maledictionem temporalem, neque in altero sæculo damnationem sempiternam, à qua nos præservet Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amē.

#### REFLEXIO AD LECTOREM.

**N**Otet Benevolus Lector quòd noster R. P. Marchantius in suo Tribunali Sacramentali Tom. 2. Tract. 7. Tit. 1. §. 1. Resol. 2. probet ex veteri Lege simplicem fornicationem esse peccatum mortale, nem-

*p̄e ex Deut c. 22.* Si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent, &c. Quoniam fecit nefas in Israël, ut fornicaretur in dorso patris sui. Hoc tamen ex illo loco inefficaciter probari videtur, cum mors ibidem decernatur non tam propter simplicem fornicationem quam commiserat, quam propter injuriam quam puella per sui deflorationem intulerat illi cui desponsata erat, & qua in consummatione matrimonii primò sponso ejus innotuerat, prout bene notat noster Lyranus in præfatum locum, ac evidenter ex eodem capite colligitur, ubi circa finem mentio fit de puella nemini desponsata, & decernitur: Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem. Ubi soli simplici fornicationi non nisi multa pecuniaria imponitur.

In hac autem concione & materia securus sum R. P. Marchantium ex eo quòd illud (licet efficaciter non concludat) auditoribus equidem fornicationis horrorem incutere, & ita multis prodesse, nemini obesse valeat. Hoc notato sit

## CONCIO LV.

*De pessimis luxuriæ effectibus.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exod. cap. 20.*

I. **N**ihil in mundo est quod homines magis horrere soleant, quàm morbum illum infectivum qui vocatur pestis: & certè si quid horribile inveniatur, pestis est; etenim si omnibus fatentibus bene dixerit Aristoteles, quòd omnium terribilium terribilissimum mors sit, non potest non esse terribilis pestis, quæ nulli, ubi grassatur, parcit ætati, conditioni, vel sexui; quæ omnibus passim ferè mortem infert, ita ut interdum vix sint qui evadant manus illius: hæc est quæ bre-

vi tempore separat maritum ab uxore , parentes à filiis , fratres à sororibus , amicum ab amico. Hæc est quæ depopulatur urbes & in solitudinem vertit, quæ extinguit familias, quæ sepelit nobilitatem. Sed pestem magis terribilem , omnibus magis exitialem , pestem nempe animæ & protuli & proferam ( loquor de luxuria ) quæ eò magis terribilis judicari debet quàm pestis corporalis , quò illa animã , hæc tantum corpus occidit ; ubi notari volo quòd tantò anima prævaleat corpori , quantò cœlestia terrenis, & æterna temporalibus. Hæc est pestis illa spiritualis, quæ nulli parcit, sed maximam partem hominum etiam Christianorum ad æternam trahit perditionem. De hac jam agere incœpimus, & pergere mens est.

2. Porrò cùm malignitas alicujus numquam melius cognosci valeat quàm ab effectibus, meritò nobis examinandum restat, quinam sint fornicationis effectus : quia si benè dixerit Christus , *non potest arbor mala bonos fructus facere* , & ut commune habet axioma , *mali ovi malus pullus est* ; manifestè sequitur , si tam abominabilis & mala sit luxuria , prout in præcedentibus concionibus demonstravimus , pessimi etiam & abominabiles debeant esse effectus illius.

3. Hinc ut tandem aliquando tangatur cor illorum qui carnis voluptatibus habenas laxant , pessimos hujus vitii effectus hodie examinabimus , si fortè divina clementia aliquorum corda tangere, & ex lapideis carnea efficere dignaretur. Itaque parte 1. videbimus quomodo homines miserrimè ab hac peste corripantur, decipiantur ac pereant. Parte 2. examinabimus quomodo præsertim juvenes æstu libidinis abripiantur, & ut salventur quid facere debeant. Finiemus conformi exhortatione , quæ ut efficax sit, si umquam , hîc vel maximè necessaria est particularis Dei gratia , auxiliumque divinum : quod ut abundantius consequamur, ad matrem misericordiæ confugiamus, ut ipsa suâ intercessione à

Deo impetret, quod nos propter nostram ingrati-  
tudinem obtinere non meremur: salutemus ergo  
immaculatè conceptam Virginem & Matrem Dei,  
dicentes AVE MARIA.

4. Dominus noster Jesus Christus omnis per-  
fectionis Magister, ut discipulos suos ad  
perfectionis apicè deducat, non solum quid facere,  
sed & à quibus sibi cavere debeant, sollicitè incul-  
cat, dicens: *attendite vobis à falsis Prophetis*, & ut  
ostendat, quinam sub nomine falsorum Prophe-  
tarum intelligendi veniant, immediatè subdit: *qui*  
*veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus au-*  
*tem sunt lupi rapaces.* Hoc autem ut clariùs intelli-  
gatur, notandum est quid significetur per nomen  
illud *Propheta*. Propheta est & dicitur ille, qui cer-  
tò & infallibiliter prædicit ea, quæ postea futura  
sunt. Quòd si aliqua prædicat, & postea ea vel non  
vel secùs eveniant, falsus Propheta dicitur, utpote  
qui prædixit aliter quàm factum sit.

PARS I.

Aug. 28.  
71. in Exod.  
Matth. 7.

5. Intelligitis modò quòd velim? nondū credo:  
sed attendite. Volo dicere quòd caro & omnis car-  
nalis delectatio, meretrices ac fornicatores sint falsi  
Prophetæ. Patet ex verbis Christi, *veniunt ad vos*  
*in vestimentis ovium*, id est, promittunt magnas de-  
lectationes, ingentes delicias, maximam volupta-  
tem; interea dum carni fræna postea laxantur, ni-  
mis verum reperitur, *intrinsecus autem sunt lupi ra-*  
*paces*, qui animas fidelium rapiunt, qui illas mactât  
atque occidunt, qui ingentes dolores & cruciatus  
finaliter causant, adeòq; convincuntur fuisse men-  
daces ac falsi Prophetæ. Probam illius desideratis?  
vultis ad oculum vobis demonstrari, quòd fornicatio  
& omnis carnalis voluptas ac meretriciæ dele-  
ctationes plus amaritudinis habeant quàm dulcedi-  
nis? ecce intra limites Scripturæ sacræ maneo.

6. Considerate semel quid evenerit filio prodigo;  
ipse à patre suo (scitis quia legistis) portionem sub-  
stantiæ suæ instanter petiit, eaque obtentâ exulta-  
bundus peregrinè profectus est: sed (ut ordinariè sic-

N 4

ri solet) abundantia pecuniæ ipsi extitit incentivum luxuriæ. Itaq; pecuniæ non pepercit, sed cum meretricibus conversatus profudit liberaliter. Quid hîc non jucundum, non dulce, non suave? saltatur, cantatur, luditur, potitur egregiè, *'is al gaudeamus Calleken.* Post Bacchum & Cererem, focii enim sunt individui, cum turba carnalium voluptatum subsequitur Venus, promittit multa, magna, inefabilia: sed ecce falsa Prophetissa est, in cauda venenum latitat; dilapidat miser juvenis omnia bona sua, ad paupertatem redigitur, ut prementem extinguat famem, quisquiliis porcorum ventrem implere cogitur, excidit à patris sui gratia, in extremis versatur angustiis, nescit quò se vertat. Ecce ibi falsum Prophetam. Heu quot similes inveniuntur, qui cum meretricibus paternum prodigunt patrimonium, id est, gratiam sanctificantem, Dei amicitiam, jus ad cœlestis gloriæ hæreditatem, quod alios per virtutem passionis Jesu Christi acquisierant, in eo ordinariè prodigo filio infeliciores, quòd vix umquam oculos aperiant ut miserabilem suum statum considerent, & per veram pœnitentiam ad cœlestem Patrem cum lacrymis revertantur.

7. Numquid idem patuit in Samsonè? videt ille meretricem nomine Dalilam, capitur oculis, admare incipit, non quiescit donec petitis illius fruatur amplexibus: ipsa illi multum abblanditur, vivit cum ea in jucunditate, & uti Script. sacra testatur, requiescit in sinu ejus. Numquid hæc omnia dulcissima? sed quid inde? fornicatio abstulit cor ipsius, in cauda venenum: ipse enim infano amore adeo dementatus est, ut cæcus amor excæcaverit videntem, suæ fortitudinis aperuerit secretum, à meretrice rarus inciderit in manus Philistinorum, denique oculis privatus sit & vitâ. Ecce quam verum sit *veniunt ad vos in vestimentis ovium, sed nec minus verum, in insidibus autem sunt lupi rapaces.*

8. Exemplum Salomonis nimis commune est quam ut de eo hîc multis agam: hoc solum hîc notatum volo, quomodo ille proprio periculo & in-

fortunio edoctus, ne cæci voluptatum amatores in eandem foveam cadant, tam seriò illos præmoneat, potuit enim illi contigisse quod illis accidere solet, qui post ebrietatem profundam & somnum brutalem ad seipsos redeunt: solent enim habere guttur ex vini fœcibus mirâ amaritudine infectum, ita ut ad aspectum vini etiam nauseent, & nihil nisi aquam exquirant, ut reliquiarum amaritudines abluant: vino autem indignantur & maledicunt.

Sic reverà post immodicas mulierum voluptates Salomoni contigit, quæ in principio illi melle suaviores apparebant: sed postea, dum fel sentiebat & amaritudinem, execrabatur non tam sexum femininum, quàm insipientiam eorum qui se ab illis decipi permittunt. Audiamus ipsum desuper: *savus distillans*, ait, *labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps*, nempe qui animam simul & corpus transfigit. Et iterum: *inveni amariorẽ morte mulierem, qua laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam.*

Proverb. 5.

Eccl. 7.

9. An res sic se non habeat, vos ipsos ô luxuriosi interpello. Dicite veritatem, intrate conscientias vestras, & si sic facitis, veritas extorquebit, quod fateri erubescitis. O quàm amara vobis sæpè fuit momentanea voluptas! quot angustiis vobis constitit quod tam citò præteriit! transitoriã delectationem quàm carò solvere debuistis! nobilis quidam juvenis, dum eum pro rei gravitate conformiter ad jam dicta in confessione seriò monerem, inter alia dicebat, quid est quòd in consortiis mulierũ præsertim minus pudicarũ, quasi maleficiati videamur, & vix peccato perpetrato, illud, & illas, earumq; conversationem execremur & abhorreamus? hoc est N. N. hoc est momentaneũ illud, nisi seriã penitentia diluatur, totã æternitate numquam eluendum: hic est falsus ille Propheta qui venit ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem est lupo rapax. Ut autem hæc clariùs ad hominem pateant, sit



PARS II.

10. **U**T quid in praxi fiat videamus, repero verba Sapiientis jam citata : *favus distillans labia meretricis*, quid favo dulcius? *novissima autem illius amara quasi absynthium*, & *acuta quasi gladius biceps*, quid absynthio amarius? quid gladio bicipite acutius? scio, ad litteram hîc agit Sapiens de meretricibus, quæ suis blanditiis, fucis, verbis jocosis ac inhonestis, & confabulationibus dulcibus juventutis animos inescant, ut eos ad se trahant: sed in fine amaritudo peccati invenitur etiam in hoc sæculo, dum morbos indè non rarò reportant, quibus Deus etiam in hac vita luxuriam punire justissimè solet, dum bona sua inutiliter dilapidant, dum coram omnibus se infames reddunt, dum lites & jurgia, intò interdum duella ac homicidia indè oriuntur, uno verbo dum sic infinitis propemodum malis sese implicant atque exponunt. Hoc ad litteram intendit Sapiens, & veritatem ejusdem quotidiana experientia evincit.

11. Non ingruè equidem per *meretricem* luxuria intelligi posse videtur, & sic explicari illud *favus distillans labia meretricis*, quod sæpè, etiam inter aliàs honestos, in procreationibus solet verificari: quid enim in iis contingit, imò quid non contingit? visitationes instituuntur, continuantur, multiplicantur, protestationes de mutuo & numquam frangendo amore fiunt & juramento confirmantur, cū amore crescit pari pede familiaritas, videntur ab invicem inseparabiles, in absentia alterutrius, dies annus, hora mensis reputatur, litteræ amatorix hinc indè sine numero transvolant, & quid vobis videtur N. N. quid hîc non dulce, quid hîc non suave? *favus distillans labia meretricis*. Sed eheu! dum cum amore mutuo sub protestatione & juramento futuri matrimonii pariformiter mutua crescit familiaritas & libertas, ad ultimã tandè pervenitur extremitatè.

12. Et quid indè N. N. quid indè? *novissima autem ejus amara quasi absynthium*. Quid faciat misera domicella miserè decepta? rem aperire parenti-

bus dum ferius est, quomodo audeat? tunc, sed tunc seriùs lacrymari, singultus edere, execrari suã dementiam & insanam credulitatem, totas noctes ducere infomes! tunc cogitationes undique perturbant animum, tunc sibi ipsis dicunt: quid de me extranei, qui me honestissimam semper reputarunt? quid propinqui, quid parentes? risus ero omniũ, fabula populi, totius familiæ dedecus: parentes arctissimo pro semper includent Monasterio, pater si sciat franget collum & crura, quid factò opus? quò fugiam, quid faciam? quis me juvabit? eheu perdidì omnia, honorem, pudorem, virginitatem perdidì irrecuperabiliter: *novissima autem ejus amara quasi absynthium*. Denique quid indè? interdum omnis Dei timor postponitur, excluditur, contemnitur. Ex agnellis fiunt tygrides, imò quacumque ferã immaniores. Ergo ad potiones medicas, ad medicinas recurrunt, ac ut foetum etiam cum periculo vitæ & æternæ damnationis expellant, nihil omittunt inexpectũ, atque ita propriæ prõlis aliquando fiunt homicidæ, imò priùs homicidæ quàm matres. O verissima verba, *novissima autem ejus amara quasi absynthium*.

13. Forent utique similes commiseratione dignissimæ, si non forent culpabiles; sed minùs compassionè digni sunt juvenes qui sic puellas importunè sollicitarunt & deceperunt: verum quidem est quòd majori infamiæ pluribusq; difficultatibus hæ subjaçant quàm illi, non tamen ab iisdem omnino immunes sunt. Ecce ô juvenes procamini, ardetis, mulieres sollicitatis, ridetis, saltatis, cum illis peccatis, huc usq; (secundum mundũ loquor) omnia bene, non est difficultas, *favus distillans labia meretricis*. Sed dum libidinem exsatiastis, si exsatiari dici possit & non potiùs accendi, voluptatibus indulstis, dum eas impregnastis, quàm sæpè amor ille infantilis, *calfer liefde*, transit in averfionem & odium capitale? (patuit in Ammon respectu sororis suæ Thamar) sed scitis quid feceritis? attendite, dicam.

14. Ecce fortunam vestram impediivistis, si aliud

matrimonium honestum & vobis honorificum prætenditis ; interdicitum adhibetur , lis exoritur , totum negotium subvertitur. De cætero quoties pellici ut abortum procuret non suadetis , illamq; in eo adjuvatis ? vel saltem procuratis ut nata proles cum mortis & educationis periculo publicæ misericordiæ exponatur ? *ecce novissima ejus amara quasi absynthium.* Bene ergo concludit Sap. & ego cum eo : nolite puellæ cum juvenibus nimis familiariter conversari : juvenes periculosis consortiis nolite vos involvere : quare ? *ne perdas te* , inquit Sap. ne fortunam tuam pedibus conculces , ne ad statum matrimonialem te ineptum efficias , ne in omnis malitiæ barathrum te præcipites , *ne perdas te & hereditatem tuam* : quia nullæ satis pecuniæ , ubi meretriciæ conversationes frequentantur. Imitare ô juvenus in illo Demosthenem Philosophum , à quo cum famosa illa meretrix Laïs pro unius noctis corporis sui usura petiisset decem millia dragmarum , respondit ille : *non tanti amo pœnitere.* O quanti vos sæpè juvenes emitis pœnitere !

15. Si verò ex me quæras adolescens, ad quid in conscientia tenearis si honestam aliàs puellam defloraveris? respondeo : vel hoc est factum liberè eâ consciente , vel non : si liberè eâ consciente factum sit, juvenis ad nihil illi tenetur , cum scienti & volenti non fiat injuria , tenetur tamen post ablactationem alere prolem. 2<sup>o</sup> . Gravissimè peccant qui occultam fornicationem alteri propalant, & tenentur ad compensationem damni quod indè resultat. 3<sup>o</sup> . Si quis sub promissione matrimonii copulam extorserit , tenetur illam ducere , nec sufficit eam dotare nisi consentiat ; quod tamen sufficeret si propter impedimentum vel alias rationabiles causas illam ducere non posset. Ratio horum est : quia in casu puellæ fit injuria & injustum causatur damnum, quod aliter quàm matrimonio , aliàs conformi dotatione , refarciri non potest.

16. Ecce ibi, ô inconsiderata & cæca juvenus, ef-

fectus pessimi quos parit luxuria. Nolite ergo, o puellæ, fidere vobis ipsis, nolite fidere promissis & protestationibus, nolite vos exponere tot pereundi periculis, seriùs submerso vitulo, ut dicitur, impletur puteus, & vos amissam seriùs deploratis virginitatem, & sic honorem fortunamque pedibus conculcatam, dum illa jam amissa est. Sed & vos juvenes idem tangit, nolite frequentare consortia in quibus ex propria experientia scitis vos toties cecidisse. Demens certè sit & insanus, qui in eandem foveam cadat, in quam socium suum jam cecidisse videt. Quidquid sit, nihil salubrius quàm doctrina Apostolica, *fugite fornicationem*: quam si fugere non velitis, certè commiseratione estis indignissimi, quia *qui amat periculum, peribit in illo*.

17. Quæ omnia si non sufficiant, saltem respondete ad quæstionem quam vobis Sap. proponit: *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* quæstio non est implexa? quid ergo respondetis? utiq; dicetis hoc sine miraculo fieri non posse. Optimè. Ecce ignis est libido, & calor in corde vestro numquam non æstuans: si ergo imprudenter puellæ cū juvenibus converfentur, si clausis cubiculis procen-  
tur, si saltent, canant, litteras amatorias mittant & recipiant, & se minimè peccare contendant, quis credat? *numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* sicut hoc naturaliter impossibile est, ait Spiritus S. *sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non erit immunis cum tetigerit eam*. Dicite vos & protestemini, ut omnes clamare solent, vos ex osculis similibusque familiaritatibus non moveri, scio cui credendum? vobis an Spiritui S. imò quamvis juramento cōfirmaretis, necdum crederet vobis S. Bernardus, qui generaliter dicit: *cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est quàm mortuos suscitare?* certè plus esse censet Bern. undè ut vos confundat, qui nihil mali vos agere constanter præc-

ditis, ubi tamen certum est quòd iniquitas mentiat-  
tur sibi, sic pergit : *quod minus est, non potes, & quod  
majus est, vis ut credam tibi?* non credam, inquit  
Bernardus, sed nec ego credam, qui proindè finio.

EPILOG.

18. **Q**Uæ cum ita sint N.N. quid melius dicam,  
quo melius finiam, quàm *attendite vobis  
à falsis Prophetis?* à carne scilicet, ab innata naturæ  
concupiscentia, ab omni periculosa conversatione,  
juvenes à puellis, puellæ à juvenibus : qui veniunt  
ad vos sub vestimentis ovium promittentes mel,  
cùm relinquunt fel, promittentes dulcedinem & ve-  
ram lætitiã, cùm dent amaritudinem & pungen-  
tem tristitiã, *intrinsecus autem sunt lupi rapaces,*  
qui cor auferunt, intellectum obnubilant, animam-  
que salute & æternâ gloriã exspoliant, cur ergo  
propter voluptatis fœdæ momentaneam morulam,  
tantam vobis conquiritis amaritudinem, & toties  
æternitatis jactatis aleam? fugite itaque tantam  
ignominiam, fugite conscientiæ vermem roden-  
tem, fugite mortem, fugite gehennam, fugite  
confusionem temporalem simul & æternam.

19. Ut ad hoc Barlaam Eremita efficaciter indu-  
ceret discipulum suum Regem Josaphat, hanc ei  
proponebat parabolam. Homo quidã fugiens uni-  
cornem ascendit arborem, ex cujus ramo stillabat  
mel, cujus dulcedine ille illectus, lambebat illud,  
non animadvertens quòd duo mures corroderent  
arborem, quæ tandem cum homine cecidit in bara-  
thrum plenum serpentibus & bufonibus. Ecce pa-  
rabolam, ad interpretationem ejus jam attendite.

20. Per unicornem intelligitur mors, quæ om-  
nes & singulos homines persequitur, arbor est vita  
hominis, ex cujus ramo distillat mel; id est delecta-  
tio carnalis, quæ carnalibus ut mel dulcis apparet,  
duo mures arborẽ corroderent, sunt dies & noctes  
quæ vitam nostram corroduunt, donec tandem deci-  
dat in barathrum plenum serpentibus & bufonibus,  
nempe in gehennam plenam dæmonibus, & sic æ-  
ternum pereat. Quomodo vitæ carnalis tragœdia

aptius pulchriusque delineari posset? sic fit N.N. sic fit cheu rsmis sæpè ! proindè attendite vobis, considerate quid faciatis, perpendite quòd de æternitate sit quæstio ; proindè *fugite fornicationem*, fugite de medio Babylonis & salvate animas vestras. Poculum quidem aureū ibidem vobis propinatur, sed intus plenum est abominatione amarà & veneno mortifero. *Fugite fornicationem* tamquam exitialem pestem corporis & animæ, ne morientes in peccatis irreparabiliter cadatis in ignem sempiternū, quod à nobis avertat Pater Filius & Spiritus S. AMEN.



## CONCIO LVI.

### De Adulterio.

THEMA. Non mœchaberis. *Exodi cap. 20.*

1. IN Actis Apostolorum describitur quomodo **EXOD.**

**I**ab Herode captus fuerit S. Petrus Apostolus, ut eum post Pascha producens ad populum occideret, & sic Judæorum, qui lethali odio omnes Christianos prosequerentur, gratiam acquireret. Petrus ergo captus servabatur in carcere ; sed quomodo ? audiamus ex Script. sacra : *Petrus servabatur in carcere vinctus catenis duabus inter duos milites.* **Act. 12.** Profectò qui sic in die noctuque servabatur, sine manifesto Dei miraculo evadendi spem nullam habere poterat. Sed quorsum hæc in hac materia, cogitatis forsitan : attendite & explicabo.

2. Non absimili modo quo Petrus servabatur in carcere, omnes luxuriosos & maximè Adulteros captivos teneri dico à diabolo, qui longè majori odio quàm olim Herodes vel Judæi in Christianos fertur. Vultis scire ô luxuriosi, ô dæmonum captivi, quomodo vincti teneamini ? dico quòd catenis duabus, obscuracione scilicet in intellectu, & obduracione in voluntate. Ecce adèd excæcati estis, ut nec fortunam quam perditis, nec honorem quem profuitis, nec sanitatem quam prodigitis, nec

animæ salutem de qua desperatis, nec æternam damnationem quam certò & apertis oculis incurritis, videatis vel consideretis. Adeò in voluntate estis obdurati, ut nec Dei inspirationibus, nec Concionatorum exhortationibus, nec S. Scripturæ minis in minimo moveamini; his catenis se aliquando vinctum fuisse testatur ac deplorat S. Augustinus dicens: *ligatus eram non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate.* Et ne dubitare possimus obduratam voluntatem catenam esse quâ diabolus luxuriosos ligatos tenet, subdit: *velle meum tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat.*

3. Sic ergo omnes luxuriosi ligati tenentur, & non tantùm ligati, sed ne diabolus prædam suam amittat, insuper custodiuntur à duobus militibus; quinam illi sint, explicat Hugo Cardinalis dicens: *duo milites illi sunt caro & mundus.* Sicut ergo Petrus sic vinctus & custoditus effugere captivitatem Herodis sine divino & miraculoso auxilio non potuit, sic nullus luxuriosus, præsertim adulter & consuetudinarius sine abundante & efficaci divinæ gratiæ auxilio ex captivitate diaboli liberari unquam potuit. Hodie ergo agemus de adulterio, ostendendo primâ parte, quid sit & quanta ejus malitia. Secundâ parte explicabimus quàm fugiendû sit adulterium & quàm inexcusabiles coram Deo adulteri sint. Finiemus cõformi exhortatione: quòd ut meliùs fiat, id est ne vel in hanc captivitatem diaboli incidamus, vel si capti simus his vinculis, expediamur, confugiamus ad eam quam ad hunc finem sic salutat Ecclesia: *solve vincula reis,* dicendo

## A V E M A R I A.

### PARS I.

4. **T**heologi cõmuniter docent, quòd adulteriũ nihil aliud sit, quàm concubitus illicitus cū eo vel eâ, quorum alter vel uterque est conjugatus. Porro hoc tripliciter fieri potest, nempè ut vir sit matrimonio junctus cum muliere liberâ, vel vir sit liber cum personâ conjugatâ, vel tam vir quàm mu-

mulier sint matrimonio juncti. Imprimis certū est, quōd adulterium in se comprehendat omnem malitiā, eisdemq; effectus habeat quos simplex fornicatio, de qua in binis præcedentibus concionibus. Præterea est actus injustitiæ ac species quædam furti: quia omnis qui peccat cum alieno vel aliena, injuriam facit comparti illius, dicente Apostolo, *mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; & vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier*; cū enim matrimonium contrahendo se invicem obligaverint, de usum corporis sui non concedendo alteri quā comparti, si contrarium faciant, illi faciunt injuriam & quasi furantur illud quod illius est.

1. ad Cor. 7

5. Hinc dicit Clemens Papa: *quid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundum enim in pœnis tenet locum, & in prohibitionibus quidem homicidio assimilatur adulterium*. Cū enim vir & mulier sint una caro, qui aufert uxori suæ se, idem est ac si seipsum sibi auferret. Undè gravius videtur quā si hominem mutilaret, quia tantū partem corporis auferret, hic autem se totum uxori aufert. Insuper exsuperat omne furtum, quia fides mulieris quæ ibi tollitur marito vel è contrā melior est omni terrenā substantiā, maximè cū illud quod ibi aufertur sit rationabilis creatura, quæ melior est quā omnis possessio terrena.

6. Nec minus jus habet uxor in maritum, quā maritus in uxorem: errant proindè viri qui fidelitatem exigunt ab uxoribus, quā ipsimet uxoribus minimè servant. Vultis scire quid similes faciant? audite S. Augustinum qui sic uxorato loquitur: *cū debeas in virtute uxorem precedere, sub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem esse, & tu victus jaces: & cū tu caput uxoris sis, præcedit te ad Deum cujus caput es: vis tuam domum capite deorsum pendere, caput enim mulieris vir est, ubi autem melius vivit mulier quā vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet vivere quā mulier, & precedere in omnibus factis bonis*

Augusti  
de decem  
cordis

Tom. II.

Q



*uxorem suam.* Profectò si teste Augustino, ubi mulier meliùs vivit quàm vir, domus capite deorsum pendet, bone Deus! quis in civitate domos enumeret quæ capite deorsum pendent?

Gen. 39.

7. De cætero gravitatem adulterii ex historia Josephi colligere potestis: erat enim Joseph juvenis elegantissimus & in flore suæ ætatis qui opportunè & importunè à domina sua uxore Putiphar, & ipsa muliere formosissimâ sollicitabatur ad concubitum, quæ repulsam passa magis accendebatur, & precibus, promissis, minis & blandimentis eum indefinenter aggrediebatur, seu, ut facer Textus loquitur, *hujuscemodi verbis per singulos dies mulier molestæ erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Sed quomodo ex tam periculoso certamine victor evasit? audite iterùm textum: *nequaquam acquiescens operò nefario, ecce quid sit adulterium: dixit ad eam: ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te qua uxor ejus es, ex quibus inferebat: quomodo ergo possum hoc malum facere & peccare in Deum meum? si homines in occasionibus, in tentationibus, in similibus periculis exemplum Joseph præ oculis haberent, nonne cum eodem dicerent: quomodo possum hoc malum facere, &c. nonne cum Joseph malent omnia perdere, etiam ipsam vitam, quàm tantum nefas committere? sed hodie, ait Psalmista, non est timor Dei ante oculos eorum. Et quid indè? corrupti sunt & abominabiles facti sunt.*

8. Porro adulterii tanta est malitia, & tam evidens, ut nemo qui rectâ ratione utitur, illam invincibiliter ignorare possit; manifestè enim sequitur ex illo principio lumine naturæ noto, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hinc est quòd ab olim omnis Respublica etiam gentilis, saltem benè regulata adulterium pœnâ mortis soleret plectere, quod hîc fusiùs probare supersedeo, cum passim ex historiis & antiquis legibus pateat.

9. In veteri Lege Moyses ex mandato Dei sequen-

tem legem filiis Israël promulgavit : *ſc mæchatus* Levit. 24  
*quis fuerit cum uxore alterius , & adulterium com-*  
*miſerit cum conjuge proximi ſui , morte moriantur &*  
*mæchus & adultera.* Quòd autem pœna mortis, quæ  
 illi plecti debebant, eſſet lapidatio ab omni populo,  
 ſufficienter patet ex Evangelio Joannis c. 8. ubi Scri-  
 bæ & Pharifæi mulierem quam ad Jeſum adduxe-  
 rant in adulterio deprehenſam ſecundùm præceptũ  
 Moysi eſſe lapidandam dicunt.

10. Denique in Lege nova adulteros graviffimè  
 peccare paſſim ex Script. ſacris , præſertim ex Epi-  
 ſtolis S. Pauli patet , qui in ſpiritu prævidens mul-  
 tos etiam Chriſtianos fore , qui adulteria , fornicationes  
 & alia peccata carnalia non multùm æſtima-  
 rent, ſcribit ad Corinth. dicens : *nolite errare. Q. D.* 1. ad Cor. 6  
*Chariffimi filii , nolite vos ipſos decipere , nolite*  
*vobis abſlandiri & fortè cogitare peccata carnalia*  
*non adèò gravia eſſe , eò quòd natura in Adamo*  
*corrupta ad ea inclinet , quia neque fornicarii , neque*  
*Idolis ſervientes , neque adulteri , neque ulli , qui*  
*carnis deſideria perficiunt , regnum Dei poſſidebunt.*  
 Ex quibus & in Lege nova adulterium graviter pro-  
 hibitum eſſe ſufficienter patet.

11. Et quamvis fortè pœnam temporalem in hoc  
 ſæculo adulteri sæpè evadant, non tamen propterea  
 evadent , ſempiternam ſcilicet gehennam ignis &  
 excluſionem à regno cœlorum : *fornicatores enim ,* Ad Heb. 7  
*ait Apoſtulus , & adulteros judicabit Deus. Q. D.*  
*licèt illi iudicium humanum poſſint effugere ( quia*  
*in tenebris res ut plurimum agitur ) tamen iudicium*  
*Dei vel oculos ejus non effugient. Undè Sapiens ,*  
*qui transgreditur lectum ſuum , contemnens animam* Eccle. 2  
*ſuam , talis , inquit , inſipienter dicit , quis me vi-*  
*det ? tenebra circumdant me , & parietes cooperiunt*  
*me , quem verò ? delictorum meorum non memora-*  
*bitur Altiffimus. Sed ſtultitiæ illi rectè reſponderetur*  
*ibidem : & non cognovit , quoniam oculi Domini lu-*  
*cidiores ſuper ſolem , circumſpicientes omnes vias ho-*  
*minum , & profundum abyſſi , & hominum corda*

intuentes. Hic in plateis Civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & ubi non speravit, apprehendetur. Quid his significare Spiritus S. intendit N. N. nisi quòd adulteros divina indubitanter maneat vindicta? & hanc utique magis timere deberent, quàm oculos hominum; sed nec eos quietos relinquet propria conscientia, sed tamquam tortor infestus illos insequetur, timidosque faciet, ac inter angustias eisdem apprehendet.

12. Præterea in hac materia nihil elegantius, nihil efficacius excogitari potest, quàm quod dicit S. Ambrosius his verbis: „ Nemo alienum affectet  
 „ thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunita-  
 „ te, nec longiore mariti absentia provocetur. Ad-  
 „ est Præsul conjugii Deus, quem nihil latet, nul-  
 „ lus evadet. Nemo irrideat vicem absentis mari-  
 „ ti, servat excubias Deus, imò sine excubiis de-  
 „ prehendet reum, antequam faciat. In animis sin-  
 „ gulorum crimen agnoscit, & si maritum fefelle-  
 „ ris, eum non falles; si maritum evaseris & Judi-  
 „ cem fori, non evades Judicem totius mundi. Ille  
 „ gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam  
 „ mariti imprudentis; major est injuria authorem  
 „ quàm custodem thalami sprevisse & non conside-  
 „ rasse. „ Hæc ille. Quomodo autem Deus sit spe-  
 „ cialis conjugii vindex, satis patuit in Sara uxore  
 „ Abrahæ, quam Abimelech Rex Geraræ, & Pharaò  
 „ Rex Ægypti propter pulchritudinē in domū suā suc-  
 „ cessivè transtulerunt. De quo vide Gen. c. 12. & 20.

13. Unum hîc peti posset, quomodo ubi adulterium tantum crimen & tantæ malitiæ est, illud tamen tam facile passim committatur, & ab hominibus hodie tam parvi fiat? putem hoc sæpè à Deo justè in vindictam permitti quòd matrimonia non rectâ intentione, sed ex mero carnali affectu multoties suscipiantur, atque ita in pœnam præcedentium peccatorum, præsertim carnalium, quibus multi ante matrimonium nimis indulserunt, justè à Deo permittitur. Undè dicit Sapiens: *fovea profunda os aliena, qui iratus est Dominus, incidet in*

Ambros. lib.  
de Abrah.  
c. 2.

Prov. 22.

*eam.* Alludit ad hanc similitudinem: sicut enim qui cadit in altam foveam indè facillè non potest evadere, nisi ab aliis adjuvetur, sic qui blanditiis ad alterius uxorem accedit, vel uxor ad alterius maritum, per adulterium infinitis propemodùm difficultatibus sese immergit, & vix indè evadere poterit, nisi potens Dei manus per copiosa & efficacia gratiarum suarum auxilia eum indè eripiat: per luxuriam enim sæpè incidunt in pauperiem, in morbos, in præmaturam mortem, in infamiam, ac tandem in æternam damnationem.

14. Hinc ait Sapiens, *cui iratus est Dominus, incidet in eam*; super quæ verba scribens Jansenius Gand. sic benè discurrit: *quo significat neminem facillè precipitari in hanc foveam, nisi qui aliis prius fuerit contaminatus vitiis, meruitque deserere à Deo; ut jam, juxta Theologos, peccatum posterius poena sit peccati precedentis, & peccatum peccatum trahat ut ansa ansam. Primum enim justo Dei vindicantis iudicio fit, ut quis incidat in colloquium & familiaritatem mulierum impudicarum, deindè ut earum convivio & colloquio capiatur, & in dicta mala precipitetur.* Sed hæc pro nunc sufficient: ut autem, quàm inexcusabiles sint coram Deo adulteri, videamus, sit

**PARS II**

15. **O**ptarem ex animo ut omnes seriò reflecterent, ad quid matrimonium primitus sit institutum; notum est omnibus duo genera hominum in mundo reperiri, alii sunt matrimonio juncti, alii non: interim omnis homo patitur difficultates suas, patitur tentationes, & ut Apostolus testatur, perpetua est lucta inter carnem & spiritum, quia caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, ita ut S. Paulus quantumvis vir sanctissimus & usque ad tertium cœlum raptus, ubi audivit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, tamen in hac materia miseriam suam deplorat, *infelix ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis hujus? cur conquereris Paule, si petere liceat, vel si justam conquerendi rationem ha-*

beas, quid erit de nobis miseris, infirmis, carni addictis? quid ergo conquereris quòd infelix sis? *video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee*. Miror quidem, equidem sic credo: sed simul firmissimè mihi persuadeo quòd numquam consenseris. Quomodo ergo tantas & tam periculosas tentationes superasti? non tam fui ego, reponit, sed *gratia Dei per Jesum Christum*. Et ne dubitemus undè illa gratia provenerit, clarè ostendit quòd processerit per afflictionem & mortificationem, Deo inspirante, corporis sui, dicit enim: *in jejuniis multis, in vigiliis, in laboribus per arma justitia virtutis Dei*. Et iterum: *castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverò, ipse reprobus efficiar*. His armis SS. Franciscus, Bernardus, Benedictus & alii Sancti pugnant, ac de propriæ carnis periculosissimo hoste victoriam reportarunt.

16. Sed Dominus Deus, cujus natura bonitas, & qui hominum infirmitatibus compatitur, sciens non omnes homines hæc arma posse vel velle suscipere, & quòd hic vincendi modus plurimis nimis difficilis ne dicam impossibilis videretur, aliud infirmitatis remedium proposuit, scilicet matrimonium, quod etiam propterea ad dignitatem Sacramenti elevavit: audite de hac materia loquentem S. Paulum; *bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere*. Hoc ad omnes spectat qui matrimonio juncti non sunt: attendite viri, attendite juvenes, attendite mulieres, attendite puellæ, quid dicitis? Si bonum viris mulierem non tangere, numquid à paritate rationis idem dicendum de mulieribus? si verò scire velitis quare hoc bonum sit, hoc super hunc locum scribens explicat S. Hieronymus his verbis: „ non dicit Apost. bonum est uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, „ quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam „ tetigerit, non evadat; nempe quæ virorum prætiolas animas rapit, & facit adolescentium avolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non

1. Cor. 7.

„ comburetur? an ambulabit super carbones ignis.  
 „ & non ardebit? quomodo igitur qui ignem teti-  
 „ gerit statim aduritur: ita viri tactus & feminæ,  
 „ sentit naturam suam, & diversitatem sexûs intel-  
 „ ligit. . . Undè & noster Joseph quia tangere eum  
 „ volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, & qua-  
 „ si ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim vi-  
 „ rus serperet, pallium quod tetigerat, abjecit. . .  
 Hoc est quod intendit S. Paulus, dum ait: *bonum est mulierem non tangere.*

Sciebat tamen simul Apostolus, quòd hoc, ut ab omnibus observaretur, moraliter esset impossibile, undè subdit: *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque suum virum habeat.* Scilicet ad fornicationem tam in se quàm in comparte evitandam, cæteraque peccata carnalia fugienda. Ecce misericordiam Dei, qui compatiens infirmitati hominum, matrimonium, quod primitus tantùm institutum fuerat ut ad honorem Dei proles producerentur, simul secundariò ad fugienda peccata instituit, *hoc autem dico, sic pergit Apost. secundum indulgentiam, non secundum imperium:* quia ex ordinatione Dei infirmitati humanæ hoc solum permittit, quare? quia, inquit, *melius est nubere quàm uri.*

18. Hinc S. Gregorius matrimonium comparat Oppido Segor: erat enim Segor parvulus locus, quem Loth fugiens Sodomam pro loco securitatis sibi petierat & obtinuerat: *ad salutem tutam perhibetur*, inquit S. Gregorius, *quia conjugalis vita, nec à mundo longè divisa, nec tamen à gaudio salutis aliena est.* Ignis Sodomæ, ignis luxuriæ interpretatur, per Segor matrimonium intelligitur, ad quod infirmiores homines confugiunt, ne igne luxuriæ sibi undequaque instante & urgente pereant. Ex quibus omnibus patet quòd matrimonium etiam in remedium luxuriæ institutum sit.

19. Væ itaque illis, qui non ad remedium, sed ad carnalis concupiscentiæ incentivum illo abutuntur? Væ illis, qui tamquam bruta irrationabilia, cæcis

S. Gregorius  
 Past. Cura  
 Part. 3.  
 c. 28.

cōcupiscentiæ illecebris habenas laxant! væ illis qui suâ uxore non contenti, proximi thorum commaculant, & quotiescumque se offert occasio adulterantur! væ inquam illis, quia nihil similibus superest, quo se à summa voluntatis malitia excusare valeant, ut Dei misericordiam invenire mereantur.

20. Hinc benè Sapiens dicit, *non grandis culpa est cum quis furatus fuerit; furatur enim ut esurientem impleat animam.* Quibus vult dicere Sapiens quòd qui in pauperie, ut habeant undè vivant, furantur, non grandis sit culpa, non quòd grandis non sit culpa in se, nisi extrema necessitas excuset, sed quòd non sit grandis culpa in comparatione ad adulteriù quod multò majus peccatum est, immediatè enim subdit Sapiens: *qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam;* poterit enim fur prætere, quòd furatus sit ut esurientem adimpleat animam, sed adulter nullam excusationem adferre potest, ut benè notat S. Chrysostomus his verbis: *dixerit aliquis, compellar naturali concupiscentiâ. At non permittit illabi uxor, qua illi sorte obtigit, sed instat eripiens veniam. Ob id enim matrimonium & hujus legitimus usus permittitur, ne quid horum excusare possit maritum.* Tunc quàm inexcusabiles sint omnes qui adulterantur, demonstrat similitudine. Itaque quemadmodùm Gubernator in portu faciens naufragium haudquaquam ullam impetraret veniã, sic nec is, cui per confugium concessum sit quo lapsus effugiat, tamen aliena perfadit matrimonia, habere quidquam potest quo semet excuset, nec apud homines, nec apud Deum, etiamsi decies millies allegaret natura voluptatem. Ex quibus omnibus clarè patet & adulterii malitia, & quid velit Apostolus dum dicit: *propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* Finiamus & sit

EPILOG.

21. Vidimus modò N. N. quid sit adulterium, quantæ malitiæ sit, quàm inexcusabiles sint coram Deo & hominibus qui adulterantur. Si ergo diabolus vos teneat captivos, vel umquam teneris

FRIV. 6.

S. Chryf.  
Hom. 3. de  
verb. Isaia  
2.

binis illis catenis, dico excæcatione in intellectu & obduratione in voluntate, si mundi vanitatibus & carnis illecebris vos tenaciter custodiat, fateor miserimus est status vester, vinciti estis, captivi estis, nec spes ulla evasionis est nisi Dominus Deus potenti misericordiae suae manu, & particularibus ac efficacibus suae gratiae auxiliis vos inde eripiat. Quid ergo faciendum? idem planè, quod captivi facere solent, si Rex vel Princeps carcerem pertranscat: clamant illi miseri, misericordiam implorant, veniam petunt. Sic & nos tamquam miseri diaboli captivi, accedamus ad divinæ misericordiae Thronum & clamemus fortiter pro gratia, pro misericordia. Sic nos docet Sapiens: *scivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & quod inde consequens est, idcirco, ait, adii Dominum, & deprecatus sum illum.* Super quem locum sic scribit S. Augustinus, jubet ergo Deus continentiam & dat continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, dat per spiritum.

Sapiens, 8.

22. Sic omnes Sancti, percurrit vitas illorum, dum à diabolo capi, & his catenis constringi timebant, ad Deum per ferventes orationes confugerunt, qui & liberavit eos. Numquid patuit in castissima illa matrona Susanna, quæ vehementissimè ad adulterium sollicitata, ut luxuriæ resisteret, adiit Dominum, & vi humilis ferventisque orationis omnem vim Satanæ elisit, ac castitatem conjugalem fartam tectam custodivit, ac sub protectione Domini Dei sui illorum inveteratorum dierum malorum insidias, cunctaque pericula evasit. Vide Daniel. cap. 13. Sic etiam S. Thomas Aquinas cum illecebrosa juvencula in ejus cubiculum immissa foret, ut ejus castitatem subverteret, similiter per humilem orationem recurrit ad Dominum, dicens, *ne sinas queso Domine Jesu, & tu sanctissima mater & virgo, ut tam immani me scelere obstringam.* Mox autem per hanc orationem vires accepit ad omnia diaboli molimina evertenda, ejusque vim omnem atterendam: sed & adfuerunt Angeli lumbos ejus



cingentes in perpetuæ castimonizæ symbolum.

23. Itaque & vos conjuges eò confugite, confugite ad Dominum Deum vestrum, ut vel in castitate vos conjugali conservet, vel ex peccato adulterii eripiat. Verum quidè est propter præterita peccata & in peccatis perseverantiam, nos ipsos sæpè nec à Deo respici, nec exaudiri meremur: proindè ut illud certiùs obtineamus, ad virginum virginem Deique matrem, refugium peccatorum & afflictorum consolatricem confugiamus, ut ipsius intercessione exaudiamur, quod nostrâ malitiâ & ingratitude non promeremur. Undè S. N. Bonaventura allegans verba Sapientis suprâ citata, *sciù quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, adjungit, & *nisi Maria intercedat*. Confugiamus ergo ad illam, ad hoc nos compellit nostra miseria, invitât maternus illius in miseros & infirmos homines amor ac compassio, sic vult & orat Ecclesia, *nos culpis solutos, mites fac & castos, vitam præsta puram*. Itaque dulcissima Virgo & Mater nostra præsta per tuam efficacissimam intercessionem, quæ numquam repulsam passa es, ut sic à servitute diaboli liberati, fiamus iterùm filii Dei & hæredes regni cœlorum, quod nobis omnibus benignè concedat, qui sine fine vivit & regnat. AMEN.



## CONCIO LVII.

*De pessimis Adulterii effectibus.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exodi cap. 20.*

**EXORD.**

1. **N**ostis parabolam quam Dominus & Salvator noster Jesus Christus olim proposuit Judæis Luc. c. 14. de homine qui præparaverat cœnam magnam & miserat servos suos qui horâ cœnæ accerferent invitatos: sed ecce omnes simul cœperunt se excusare, & primus quidè dixit: *villam emi, necesse habeo exire & videre illam, rogo habeo me excusatum*. Sed quid hoc, ☉

homo, non posses paulisper negotium illud differre & invitatus venire ad cœnam ? possem quidem, ait, sed *rogo habe me excusatum*. Alter æquè frivolum prætendebat excusationem, dicens : *juga bouum emi quinque, eo probare illa*. Sed quid adeò festinato opus ? illud, ut dicitur, non jacet in igne : posses enim id saltem parum differre : non reponit, *rogo habe me excusatum*. Veniamus ad tertium, aliam ille prætendit excusationem, *uxorem duxi*, inquit, transeat : sed quid indè ? *non possum venire*, respondet. Non potes ? & quare non potes ? ecce ibi totum, ait, non scio aliter dicere, *non possum venire*. Ecce ibi satis notam Christi parabolam : sed eam paucis ad propositum nostrum dilucidemus.

2. Per hominem qui invitat multos, rectè intelligitur Dominus Deus, qui omnes homines invitavit à principio, sed adhuc & modò invitat ad gloriæ cœlestis nuptias, utpote qui, testante Apostolo, *vult omnes homines salvos fieri*, & vi illius voluntatis omnes infinitis propemodum modis vocat, sed plurimi suis cupiditatibus immerfi excusationem suam faciunt & quidem frivolum, de quibus omnibus, cùm proposito meo non serviat, hîc non volo agere, sed non nisi de solo ultimo, qui dixit, *uxorem duxi, & ideo non possum venire*. Ecce non habet aliam excusationem quòd prætendat se non posse venire, nisi quòd uxorem duxerit : non quòd malum sit uxorem ducere, sed quia non rarò illi etiã qui uxores duxerunt, ex consuetudine carnali ad carnalia adeò redduntur proclives, ut tantùm suis brutalibus voluptatibus satisfaciendi quærant occasiones, & fiant quasi hydropici, de quibus dicitur :

*Quo plus sunt pota plus sitiuntur aqua.*

3. Itaque excæcati & captivati, & suis voluptatibus bestialibus ad collum usque immerfi, dicunt candidè se non posse venire, quia scilicet divinæ gratiæ cooperantes non volunt suæ naturæ vim inferre. Si quis has difficultates, vel ut meliùs dicam, sano sensu necessitates seu impossibilitates patiatur,

profectò maximè ille est , qui vel quæ adulterium committit vel admittit , utpote qui tot difficultatibus , anxietatibus , peccatis , injustitiis &c. sese involvunt , ut peritissimi etiam Theologi ordinariè viam non reperiant , ut ab istis illos expediant , quod ostendere erit parte primâ. Parte secundâ demonstrabo quàm rarò & difficulter similes verè convertantur , & per consequens salventur. Finiemus conformi exhortatione , priùs tamen

## A V E M A R I A.

PARS I.

4. **P**ropheta Job ut ostenderet amicis suis se accusantibus , quasi propter peccata sua in bonis fortunæ & corporis ita foret percussus , se coram Deo esse innocentem , de nullo magis fuit sollicitus , nec pluribus verbis suam innocentiam defendit quàm dum ad peccatum adulterii pervenit : undè protestatur , quòd *pepigit fœdus cum oculis suis , ut ne cogitaret quidem de virgine*. Quasi de minori ad majus argumentaretur & diceret : si fuerim adeò circumspèctus & ad evitandam fornicationem sollicitus , ut cum oculis pactum inirem , ne umquam voluntariè & deliberatè virginem aspicerem , & sic ad fornicationem instigarer atque ita per fenestras animæ meæ mors intraret , quantò magis id feci , ne aspicerem uxorem proximi mei , scilicet ne lectum conjugalem violarem ?

5. Et ut amici illius id firmiùs crederent , juramentum interponit execratorium , quo sibi , nisi ita sit , gravissima quælibet mala imprecatur : & rationem quare à peccato adulterii in tantum abhorruerit , adjungit dicens : *hoc nefas est , & iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans , & omnia eradicans genimina*. Loquitur per similitudinem ostendens quomodo adulterium omne bonum ex familia & propria anima extirpet : sicut enim homo qui tantùm flores abscinderet vel fructus legeret , propterea non in perpetuum hortum omnibus fructibus privasse diceretur , cùm arbores denuò novos postea reproducerent ; & è contrâ si omnia ra-

Job. 31.

licitus & flores & arbores evulsisset, omnem spem futuri fructus abstulisse censeretur, sic etiam qui committit adulterium, omne bonum matrimonii radicitus evellit, & ut in familia non nisi malorum zizania imposterum germinent, efficit.

6. Vultis hoc clarè videre? considerate & attendite, considerate quæ & quanta, & quàm innumerabilia, & quàm irreparabilia mala orientur ex solo adulterio. Dicite vos & judicate: si quis inter conjuges feminaret rixas, odia, zelotypiam, nonne simili familiæ maximum inferret malum? hoc autem facit adulterium. Ex adulterio enim, dum comparti innotescit, vel dum suspicio solummodo apparens de eo concipitur, nonne statim perit & perimitur omnis amor mutuus? numquid exprobrationes, rixæ, implacabilia odia, separationes ab invicem, lites pro cuiusque bonis propriis, pro sustentatione prolium & similibus turmatim oriuntur? numquid & exindè sæpè homicidia proveniunt, dum maritus injuriam sibi per violationem conjugis illatam vindicare vult? undè verissimè Sapiens: *zelus & furor viri non parcat in deo vindicta, Proverb. 6. nec acquiescet cujusquam precibus*, vel aliundè dum adulter maritum suæ pellicis interimat, ut liberius eâ postmodum abutatur, sicut patuit in Davide, qui occidi curavit maritum Bethsabee, ut cum ea matrimonium iniret. Vultis plura & majora mala? pergo.

7. Dicite vos, quis majorem injuriam honestæ familiæ inferre potest vel posset umquam, quàm si omnes divitias, bona, titulos, nobilitatem & præminentias ab ea injustè auferret? hoc tamen interdum facit adulterium. An concipitis quomodo hoc fieri possit? attendite, explicabo. Sit nobilissima quædam familia, ubi Princeps, Dux, Marchio, Baro &c. inivit matrimonium; ponamus quòd uxor illius committat adulterium, & ex adulterio concipiat ac pariat primam prolem masculam: ecce in foro externo tenetur pro hærede illius Principis, Marchio-

nis &c. undè & fit Dominus omnium dominiorum illius, omnium bonorum feudalium, uno verbo fit caput & hæres illius familiæ, excluduntur postea legitimi filii, illa potens nobilisque familia & omnes tituli ipsius ac præminentia transferuntur ad extraneos. Et undè hæc omnia? utique ex uno pessimoque adulterio. Sed pergamus.

8. Dicite, quid horribilius excogitari potest, quàm quòd pater cum propria filia, soror cum fratre contrahant matrimonium, & tamquam conjuges vivât, filios generent, &c. quid inquam horribilius quàm quòd idem simul verus pater sit & frater? & hæc tamen ac similia efficere potest, imò timendum ne aliquando efficiat adulterium. Explicemus. Ponamus quòd juvenis adulteretur cum maritata, & ea pariat filiam: ac jam nubili juvenis ille proceatur eam, & matre mortuâ cum eadem matrimonium contrahat, ac tamquam cum conjuge vivat. Ecce ibi verus est pater & maritus. Rursus: maritata adulteretur cum uxorato, illa pariat filium vel filiam, postea iste vel illa ineat matrimonium cum filio vel filia legitima adulteri, ecce sunt fratres & sorores & simul conjuges, vivunt in matrimonio, & revera coram Deo matrimonio juncti non sunt, omnes actus conjugales sunt fornicationes, imò incestus, proles sunt spuria &c. & quamvis coram Deo tanquam hoc ignorantes, formaliter non peccent, equidem tam horribilium quænam est causa, nisi infelix illud & pessimum adulteri crimem? idem ostendi potest in multis aliis similibus. Hoc itaque dico: quis hæc atque similia in conversationibus ac occasionibus cogitat, quis perpendit? quæ si perpendentur, quamvis coram Deo peccatum non foret adulterium, quis illud solo naturali lumine quàm maximè fugiendum non diceret?

9. Porro omnia mala, quæ ex adulterio proveniunt, paucis verbis complectitur Sapiens: & quamvis præcipuè de adultera agat, eodem equidem jure mutatis mutandis, etiam locum habet quoad adulterium.

nam. Sic ergo ait : *mulier omnis relinquens virum Eccli. 27. suum, & statuens hereditatem ex alieno matrimonio, primò in lege Dei altissimi incredibilis fuit*, id est, inquit à Lapide, incredula; & quomodo incredula è quòd hoc sciat, verum puto; sed quòd verè credat, non credo ego. Dicite ergo adulteri an vos creditis Deum sub pœna æternæ damnationis prohibuisse adulteriũ, *non mœchaberis?* creditis verum, quod docet Apost. adulteros regnum Dei non consecuturos? creditis vos à Domino Deo vestro maledictos? certè non creditis, quia si crederetis utique fugeretis. Numquam enim inducar ego ut credam quòd aliquis credat, casu quo ad certum locum tendat, certò se capiendum, multis in tortura tormentis se excruciantum, vel indubitatum sibi imminere vivicomburium, si illo non obstante voluntariè eò vadat,

10. *Secundò in virum suum deliquit*, ait Sap. quod clarum est ex jure naturæ, ex pacto matrimoniali, ac ex jure divino, dicente Paulo : *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*: & ideò est species quædam furti vel rapinæ; quia rem quæ spectat ad maritum suum, eo invito ac contranitente, tradit alteri.

*Tertiò in adulterio fornicata est*. Hoc patet : est enim fornicatio nomen commune omni luxuriæ speciei.

*Quartò alio viro filios statuit sibi*, adeòq; iterum contra justitiã peccavit, & cõmittitur furtum, dum alimenta & hæreditas contra justitiam invito domino proli adulterinæ dantur, de quo postea latius.

11. Quintò, ait Sapiens, *in Ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur*: quia adulterium, dum innotescit ac publicum est, maximum scandalum parit in Ecclesia, & causa maledictionis divinæ est super proles adulteras, nam ut Sapiens subdit, *non tradent filii ejus radices, & rami ejus non habunt fructum*: quia sic justè à Deo propter parentum peccata proles temporaliter puniuntur, & non rarò fit ut proles parentum suorum vitia imitentur ac ad eadem naturaliter inclinentur, atque per consequens eadem maledictioni divinæ subjaceant.

Finaliter, ait Sapiens, *derelinquet Deus in maledictionem memoriam ejus, & delictum ejus non delebitur.* Solent enim adulteri sæpè impœnitentes mori, dum vident se tot peccatis, injustitiis, restitutionibus, quæ ex adulterio oriuntur, obnoxios, ut de misericordia Dei & animæ salute consequenda incipiant desperare, dum sese suâ culpâ in labyrintho reperiunt, ex quo evadere apparet impossibile.

12. Verùm enimverò labyrinthus est, ex quo ut exitum invenirent, doctissimi quique Theologi frustra sæpè defudarunt, nec putem quòd huc usque aliquis modum invenerit, quo injustitiis per adulterium illatis efficaciter satisfieri possit. A vobis ergo N. N. consilium peto & habeo casum proponendum. Sit mulier dives, & nobilissimæ familiæ, quæ diversas proles habeat, quarum senior masculus sit ex adulterio conceptus, qui consequenter in familia hæres esse debet omnium bonorum feudalium, titulorum, dignitatum, &c. vel, si ita vultis, sit ille filius unicus, jaceat prædicta mulier in extremo morbo, advocet Confessarium, totum, uti à parte rei est, illi pandat: dicite jam mihi, quid debeo tali personæ injungere & ad quid illa in conscientia obligatur? regula est generalis, & apud omnes Theologos certissima, *non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Hic hærent, hic sudant, hic anguntur etiam doctissimi & prudentissimi viri. In tali statu verè dicere potest adultera cum Susanna, angustia sunt mihi undique.

13. Deberet mater, dixerunt aliqui, prolem spuriam vocare, & ipsi secretò indicare quòd ex adulterio sit, adeoque quòd jus non habeat ad familiæ hæreditatem, quòd debeat illi renuntiare, vel Religionem intrare &c. sed quid hoc proderit? proles etiam in conscientia non obligatur matri credere, quamvis id juramento confirmet, quia, ut jura habent, *alleganti suam turpitudinem non adhibetur fides*, & si mater, ipsamet confitente, tam Dei suæque salutis oblita fuerit, ut adulterium perpetraverit, cur & proles

proles suspicari non posset, matrem ex malo ad se affectu illud solum dicere? vel quid si illa proles adhuc infans?

Saltem, aiunt alii, deberet indicare marito, ut ipse donationibus & legationibus proli provideat, atque ita veros hæredes reddat indemnes. Sed ad quid hoc? certè hoc speculativum magis est quàm practicum. Quid enim indè? quid, nisi sine fructu marito creare pericula iræ, divortii, imò & desperationis, ubi tamen in foro externo nec marito nec uxori erèdetur: quia ibi præsentè & potente viro semper proles præsumitur legitima.

14. Alii denique volunt omnes proles, si plures sint, vocandas; iisque dicendum, unam ex omnibus esse spuriam, & proindè omnes exhortandas ut quæque juri suo renunciaret. Sed & hæc est mera speculatio infructuosa. Quid enim emolumentum? certè nihil, nisi quòd invidiæ, rixæ, lites, malæ & infundatæ suspiciones, & millena alia incommoda oriri nata sint? præsertim cum talis juris cessio magis quasi violentè extorta, quàm voluntaria in casu appareat. Quid ergo N. N. dicite mihi quid in tali casu faciendum? non scitis, obstupescitis omnes: sed nec ego, quomodo tunc restitutio possibilis sit, satis invenio.

15. Hoc tamen cum probatis Auctoribus sentio, quòd ordinariè ab onere restitutionis propter impossibilitatem excusentur. Labyrinthus enim est, exitus inveniri non potest. Prudenter interim hinc notat noster P. Marchantius: videant, inquit, tales qualiter condignam dictis peccatis poenitentiam agant vel agere queant; neque enim exigui criminis est se voluntariè in illas impossibilitates præcipitasse.

Quibus non obstantibus hoc certum, quòd tam adulter quàm adultera teneantur de propriis bonis, per testamenta vel alio quocumque meliori modo compensare, quantum possibile est, omne damnatum quod tertiæ personæ vel personis indè provenit, & prudens Confessarius, spectatis circumstantiis, tam



hanc quàm illum ad ea obligare debet, & nisi faciant, denegare absolutionem. Hæc sunt præcipua, quæ in hac materia pro nunc occurrunt, videamus modò quàm difficulter similes salventur, & sit

## PARS II.

16. **H**is omnibus bene consideratis atq; perpensis, quid dicam? quid melius dicam, quàm si vobis proponam præceptum Domini, *non machaberis*? ô conjuges, audite verbum Dei, Dominus dicit, & rigorosè præcipit, *non machaberis*, idem natura distat. Deus vobis minatur, & Apostolus declarat, vos à gloria cœlesti extorres. Plurima mala, quæ ex infernali hac radice pullulant, jam audivistis, ostendi quomodo adulteri in desperationis labyrinthum se involvant, quippe qui, sicut vix vel nunquam in specificatis casibus injustitiæ ab illis causatæ satisfacere possunt, sic timendum ne vix umquam condignam de eo pœnitentiã agant vel misericordiam Dei inveniant, utpote qui sibi imputare debent, dum se voluntariè in tantas difficultates præcipitarunt, & qui ita quasi propter malum velle perdidit & bene posse, uti Tomo 1. ex S. Augustino explicavimus. Vultis adhuc clariùs videre, ô homines carnales & adulteri, quàm difficilis sit vobis vera & condigna pœnitentiã? attendite.

17. Populus Judaicus peccatis carnalibus semper addictissimus fuit, & propterea sæpè à Domino Deo punitus, ut passim patet ex sacris Litteris. Audite quid de illis Deus testetur per Prophetam Osæam: *fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israël, scilicet peccatis carnalibus, fornicationibus, adulteriis, &c. sed quid inde? non dabunt, inquit, cogitationes suas ut convertantur ad Deum suum*: Mirabilis est ille loquendi modus. Non dicit Proph. non revertentur ad Deum suum, sed *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum*. Quibus verbis innuit Spiritus S. quòd ipse quidem eis, ut convertantur, & revertantur ad se per pœnitentiã, sufficientes gratias daturus sit, sed ipsi interim *non dabunt cogitationes suas ut convertantur*: quia carnalibus desi-

○ sic 4.

deriis, voluptatibus & difficultatibus, præfertim ex adulterio tamquam fonte profluentibus adeò erunt immerfi, ut de emenda, de vera pœnitentiâ Dei: misericordia desperando cogitationes suas non sint daturi ut convertantur, hancque rationem innuit Propheta, dum subdit, *spiritus fornicationum in medio eorum*. Q. D. A milite illo fortissimo & crudelissimo, carnali nempè voluptate adeò custodiuntur, & per excæcationem intellectûs ac obdurationē voluntatis tamquam per binas catenas sic constringuntur, ut ipsis evadere quasi impossibile futurum sit. Ita sentit S. Hieronymus dicens: *spiritus fornicationum possidet eorum corda captiva, & idcirco illo regnante, Dominum nescierunt, oblii sunt Creatoris sui.*

18. Et quamvis interdum de Deo, de pœnis inferni, de æterna gloria, de agenda pœnitentiâ cogitent, tamen sine fructu cogitant, quia in labyrintho se inveniunt, ut proinde verè dicere possint & debeant, *velle mihi adjacet, vellem quidem converti, sed ibi est totum, est enim sola velleitas, & quare? perficere autem non invenio.* Quomodo satisfaciam? quomodo occasionibus illis me eripiam? quomodo restitutionem faciam? *perficere autem non invenio.*

Nunquid de similibus inefficacibus adeòq; inutilibus cogitationibus & velleitatibus quamvis aliàs bonis, videtur loqui S. August. dum dicit: *quid cogitari potest scilicet cum effectu bono, sic ut seria & fructuosa sequatur pœnitentiâ, quando mens ipsa quâ cogitatur, illâ carnali delectatione submergitur*; addo ego, quando tot difficultatibus & tam desperato animæ statu propter superiùs dicta submergitur. Undè justissime dixit S. Thomas Aquinas: *Diabolus maximè gaudet de peccato luxuria, & omnium maximè de adulterio, non quia omnium peccatorum maximum est, sed quia, inquit, maxima adhaerentia & difficile potest homo ab ea eripi.*

S. Thom.  
1. 2. q. 79d  
a. 5.

19. Meretur hîc referri, quomodo S. Bonifacius Mogantinus Episcopus ab hoc vitio & ab omni car-

nali spurcitia deterrere conetur Erhildum Regem Angliæ, sic ei inter cætera scribit : „ Audivimus „ quod eleëmofynis intentus, furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defensor pauperum & viduarum sis, & inde Deo gratias agimus. Quod „ verò legitimum matrimonium spernis, si pro „ castitate faceres, laudabile esset : sed quia in luxuria & adulterio & cum sanctimonialibus volutaris, est vituperabile & damnabile. Quapropter „ fili charissime pœnitere, & memorare quàm turpe sit dono Dei te aliis dominari, & ad „ ejus injuriam servire libidini. Quàm adulterium „ sit ab honestate peregrinum, docet nos aliæ „ gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, ubi „ nulla est Christi cognitio : si virgo in paterna „ domo vel maritata sub conjuge fuerit adulterata, „ manu propriâ strangulatam cremant, & super „ fossam sepultæ corruptorem suspendunt, aut cingulo tenus vestibus abscissis, castæ matronæ eam „ flagellant & cultellis pungunt, & de villa in villâ „ missæ occurrunt graviter flagellantes, donec eam „ interimant. „ Sic ille.

20. Sed quomodo nunc fit in Christianismo N.N. quomodo, tantum crimen punitur ? profectò vix hodie in adulteros animadvertitur, ubi tamen tam perniciosum malum est & Reipublicæ & paci domesticæ adeò exitiosum, ut suprâ audistis: quod tamen hodie propter impunitatem adeò commune fit, ut fervidi quique gloriæ divinæ & salutis animarum zelatores sufficienter deplorare nequeant.

Quid vobis videtur N.N. si in Christianismo apud quemlibet populum vigeret lex Mosaïca, ex cujus præscripto adulteri lapidibus obruebantur ab omni populo, an putatis in multis civitatibus sufficientes reperiendos lapides ?

21. Nonne hodie adimpletum videtur quod de suis temporibus deplorabant Prophetæ Jeremias & *Jerem. 6. 3.* Oseas, quorum prior clamat : *unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat, alter verò ingemiscens*

dicit : *maledictum , mendacium , adulterium inundaverunt , & sanguis sanguinem tetigit.* Quid hoc *inundaverunt?* utique sicut fluvius inundare dicitur, quando prata , campos & terras circumjacentes sub aquas mittit , sic etiam tunc adulterium inundat , quando omnes omnium statuum & conditionum homines invadit. O quot, in die illo qui illuminabit abscondita tenebrarum , nefanda adulterii scelera patebunt! illa autem intra domesticos parietes etiam divitum , honoratorum , nobilium , & Magnatum pro nunc latitant. Eheu quanta est hodie humani cordis malitia , quando ut S. Petrus loquitur, multi *ambulant , habentes oculos plenos adulterii , & incessabilis delicti* , qui frequentissimè si non corpore saltem corde mœchantur !

2. P. 2.

..... Quis talia fando

Temperet à lacrymis ?

22. Interim N. N. ex dictis hoc concludite, & nisi vehementer fallar, ex præcedentibus evidenter constare putem, quòd adulterium sit prorsus detestabile & lacrymis dignissimum flagitium , flagitium injustitiæ plenum, plenum infamiæ, plenum abominatio- nis nefandæ; flagitium omni lege prohibitum, naturali, divinâ, humanâ, in Decalogo , in Prophetis , in Evangelio, in Sanctionibus Imperatorum, in Canonibus Ecclesiæ , uno verbo, quòd sit flagitium coram mundo , coram Deo , coram Angelis ejus, coram ipsismet dæmonibus probrosum.

Ut autem adulteri sciant, quid , si salvari velint, ipsis faciendum sit , finio.

23. **E** Cce N. N. quomodo per adulterium homines fiant captivi diaboli per ipsum in intellectu exæcati & in voluntate obdurati: talis captivus diaboli aliquando fuit David, sed simul quàm difficulter fuerit conversus, attendite. David vir secundùm cor Dei , David Propheta Domini , David à Spiritu sancto ad eò illustratus, postquam adulterium commisit , eique homicidium adjunxit, ecce ad eò exæcatus fuit , ut tantam malitiam nequidem videret ,

EPILOG.

adeò, in voluntate obduratus, ut circiter toto unius anni curriculo, nequidem ad Deum se converteret, ut pœnitentiam ageret: sed simul atque divinâ exoriente gratiâ in intellectu fuit illustratus, & in voluntate attritus, tunc indesinenter sui statûs miseriam & divinam indè se eripientem misericordiam intellexit. Audite Confessionem illius: *confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in aeternum.* Quare David? ô Deus, inquit, *eruisi animam meam ex inferno inferiori.* Et alio loco: *infixus sum in limo profundi, & non est qui me eripiat nisi tu Domine Deus meus.*

24. Hinc Pſal. 50. sic incipit: *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Sed ô David quare petis magnam misericordiam? quare N. N. nisi quòd sciret tam ingens flagitium dimitti non posse sine magna & maxima misericordia? interim ô David non ignoras quòd tam magna culpa non dimittatur sine magna pœnitentia: sic est, inquit, hoc scio: & proinde *lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.* Undè N. N. si ejusdem flagitii conscientia nostra nos reos arguat, eodem modo clamemus ad Dominum, *miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Sed cum nos in malitia magis obdurati, & divinâ misericordiâ non adeò simus digni, simul addamus: *& secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Et iterùm: *eripe me de lacu miseria & de luto fœcis.* Si sic agamus pœnitentiam, dum sumus sani, si deseramus peccata, dum peccare amplius possumus, si sic pulsemus ad januam divinæ misericordiæ, possumus & debemus hîc sperare veniam & gratiam, in altera vita gloriam. A M E N.

Pſal. 85;

CONCIO LVIII.

De aliis peccatis carnalibus.

THEMA. Non mœchaberis. *Exodi cap. 20.*

1. **S**UPRÀ vidimus N. N. quomodo S. Augustinus scribens super illa verba, *non mœchaberis*, dicat iis non solum adulterium, sed omnia

EXORD.

carnalia peccata, & quidquid castitati adversatur, censei debere prohibitum: unum equidem, & quidem iustum hinc occurrere potest dubium, nempe quare Deus in hoc sexto præcepto de solo adulterio, & non de aliis luxuriæ speciebus faciat mentionem? ratio fuisse potest, quod Deus hinc agat de præceptis secundæ Tabulæ, quibus vi charitatis & iustitiæ proximo obligamur: nullum autem est peccatum carnale quo magis proximum offendimus & injuriamus, præsertim si cum effectibus suis consideretur adulterium. Hinc forte de eo solo mentionem facit in Decalogo, quamvis alibi in sacris Literis de aliis speciebus sufficienter agatur. Itaque cum jam egerimus de fornicatione & adulterio, locus hinc foret agendi de stupro, incestu, sacrilegio, sodomia, bestialitate &c. sed quia hinc in Domino confido, quod illa rarissimè contingant, hinc quia sine innocentium & castarum mentium offensione non adeò commodè explicari possunt, malo ea omittere, quàm de iisdem minùs circumspectè loqui.

2. Antequàm verò procedamus, occurrit mihi locus S. Pauli, qui sanè est admirabilis, & quem, si alicubi, in materiâ luxuriæ maximè verificari putem. Dicit ergo Apost. *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritûs sancti, vult dicere Apost. qui semel per Sacramenti susceptionem iustificati, & sic facti filii Dei ac templa Spiritûs sancti, sed quid his est impossibile? & prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam.* Quid hoc? qualis ille lo-

Ad Heb. 6.

quendi modus? quis unquam dixerit peccatori peenitere impossibile? inculcant undique Script. sacræ, clamant SS. Patres, docent unanimiter omnes Theologi, nullum esse crimen adeò enorme, nulla peccata adeò multiplicata, nullum quantumvis scelestissimum, adeò malitiæ suæ immersum, quin si cum gratia Dei allaborare velit, sibi vim inferre velit, per penitentiam renovari valeat. Quomodo ergo dicit Apost. *impossibile est?* norate N. N. quòd littera occidit, spiritus autem vivificat: in quem locum scribens S. Thomas, dicit: notandum quòd non dicit lapsi simpliciter sed prolapsi, id est totaliter lapsi, quia si lapsi tantum essent, non ita difficile foret resurgere. Hoc equidem necdum omnem scrupulum mihi adimit, quia quamvis prolapsi, & totaliter prolapsi peccatisque immergi, quomodo equidem impossibile? nodum hunc ad gustum meum solvit S. Hieronymus, dicens, *impossibile; id est valde difficile, difficillimum.*

3. Si hoc in aliquo peccati genere locum habeat, quam maximè profectò habet in peccatis carnalibus, & singularissimè in pollutionibus, quæ tot millibus hominum causa damnationis sunt, ut quamvis de illa materia libenter tacerent, tacere tamen prædicatoribus hoc depravato tempore non licere existimo. Undè parte primâ hodie inquiram, an coram populo de hac materia loqui expediat. Parte secundâ quale & quam grave peccatum sit voluntaria pollutio. Parte tertiâ demonstrabimus quòd nulla causa à culpabili illius procuratione possit excusare. Finiemus conformi exhortatione, prius tamen, ut efficacius dicam, imploremus Dei auxilium per intercessionem Dei matris & Virginis immaculatè conceptæ, dicentes

### A V E M A R I A.

PARS I.

4. **D**isputari interdum audivi & controverti etiam à sapientissimis & religiosissimis viris, an populo de peccatis carnalibus, & modis quibus

in illa materia graviter peccant loqui expediat : audivi, inquam, hoc controverti pro & contra, & utraque pars suis fundamentis, suis non carebat rationibus; illi enim qui hoc illicitum vel saltem inconsultum æstimabant, dicebant hanc materiam magis confessionali quàm cathedræ convenire : indè enim animas innocentes offendi, sæpè doceri ea quæ antè nesciebantur, castas aures similia non ferre, sed potius indè scandalizari &c. Ex quibus omnibus hoc saltem meo iudicio colligitur, quòd illud non expediat, imò nec liceat, nisi prudenter, cautè, & valdè circumspectè fiat.

5. Alii è contra volebant istud non tantum licitum, sed etiam necessarium, hodierno præsertim tempore, quo innocentia è mundo exulasse videtur, quo vix amplius pueri inveniuntur, quin sciant ferè omnia & à primis juventutis annis in omni malitia videantur perfecti. Nec immeritò reverà illi hoc contendunt : cum enim omnia peccata carnalia sint contra jus naturæ, & multi hoc vel illud sic tantum ignorent esse peccatum, ut tamen in perpetracione serupulum aliquem, anxietatem seu mali alicujus in eo latentis suspicionem indè concipiant, ac eo non obstante ex verecundia in confessione equidem reticeant, consequenter peccatum esse vincibiliter ignorent : sequitur quòd peccent singulis vicibus mortaliter, & exindè infinita propemodum sacrilegia committantur.

6. Undè si obligationis uniuscujusque sit, quantum commodè fieri potest, tanta mala impedire & hujusmodi ignorantes docere, quanto magis prædicatorum est (qui vi muneris sui populum instruere & peccata eorum secundum posse impedire obligantur) illud non omittere? præsertim cum viri doctissimi sint, qui in hac materia non dari ignorantiam invincibilem, & quòd hùc, si alicubi, iniquitas mentiatur sibi, absolutè tenent : quòd eatenus saltem omnino verum puto, quatenus per experientiam constat, quòd quando pœnitentes profundius examinamus, ignorantiam illorum plerumque



culpabilem inveniamus. Si enim, ut communiter tradunt Theologi, illa sit ignorantia invincibilis, quæ nullo modo moraliter loquendo superari potuit, profectò illa est vincibilis, quæ sic aliquo modo potuit superari. Non sufficit ergo quòd dicatur, ego non scivi, numquam cogitavi, quòd illud fuisset peccatum, imò si scivissem, numquam hoc vel simile admissem &c. Scio non pauci illo forent contenti, dicerentque illud signum sufficiens ad judicandum illam ignorantiam fuisse invincibilem. Hoc tamen non sufficere, experientia me docuit.

7. Undè examinemus semel rem exactiùs, interrogemus similes, an saltem aliquem conscientie remorsum non habuerint, an non pudorem, an illa & similia à parentibus, magistris, vel aliis sciri non timuissent, an non aliquid in eo subesse cogitaverint, quòd illud non esset benè, quòd esset contra rectam rationem, &c. si prædictis non obstantibus in eo nihil esse mali apud se resolverint, quòd si fiat, ordinariè aliquid vel aliqua illorum subfuisse reperietur: quo casu jam ignorantia vincibilis adeòque culpabilis judicari debet, quia superari potuit. Ratio hujus est: quia unusquisque in conscientia obligatur, dum in materia juris naturæ verum dubium vel minimum oritur de honestate suæ actionis, hinc & nunc veritatem priùs indagare, quàm operetur: quòd si tali dubio non obstante, nihilominus pergat, temerariè procedit, & sic quamvis malum esse ignoret, vel etiam non malum esse putet seu judicet, ignorantia seu error est vincibilis. Si ergo ordinariè peccent, & sub titulo ignorantie in suis peccatis perseverandi, multaque sacrilegia committendi periculo exponantur, quis dicet veritatem debere occultari, ne indè fortè aliqui scandalizentur.

8. Sed de hac materia audiamus S. Chrysostrum. Ipse in concione populo suo protestabatur quòd sæpe intentionis fuisset abominaciones carnales ipsis manifestandi, sed, dicit, *verecundia & ruboris magnitudine desisti*. Post pauca sic pergit: *non itaque sè-*

lebo amplius, etiamsi millies & pudendum mihi & erubescendum sit. Rationem autem quare amplius tacere nolit, hac similitudine explicat: neque enim medicus, cum putredinem exprimere & extergere parat ex vulnere, ferrum manibus arripere devisat, atque in ipsum, ut ita dixerim, vulneris fundum digitos dimittere. Deinde pergit ad rem ipsam: quod ergo tandem est illud malum? morbus irruit acerbus & insanabilis, pestis teterrima atque omni pernicie immanior & gravior inuenta est. Tandem concludit quod sit certum peccatum carnale contra naturam quod suo tempore in populo grassabatur, & quod hinc specificare vel explicare (cum in hac patria regnare non æstimem) nec necessarium nec consultum iudico.

9. Sic ergo cautè ac parè de hac re agendum est, ut tamen non omnino taceatur, cum pollutiones inter corruptam juventutem nimis vigeant & parvi æstimentur, ubi tamen foetorem ad cœlum usque exhalant. Nemo ergo imprudentiæ arguerit S. Augustinum, qui sequentia dicere non erubuit. „ Confundor ego Episcopus talia loqui & enarrare, sed si tacero mors mihi est, si prædicavero non effugiam linguas vestras, audacter igitur damna- bo & prædicabo, quia ea operari non erubescitis. Emendate vitam, & ego emendabo verba, quiescite agere perverse, & quiescam mala vestra molitiei & sodomiae ( quibus proh dolor repletur mundus! ) impropere. “

10. Deinde eodem loco conquerendo sic exclamat: “ O quàm abominabilia vitia! ô quàm detestabilia crimina! ô quàm mortifera damna! has pollutiones Deus summo odio habet, has detestantur Sancti, odiunt beati, fugiunt illi, qui regnum consequuntur ætèrnum, has diligunt illi qui cruciandi & maledicendi sunt cum diabolo. O pessimi peccatores coram Domino, rationis dictamen considerate, divinæ lucis claritatem honore, Deum timete. Quid obsecro, ô miseri peccatores, quid consolationis in cordis penetralibus “

Aug. Serm.  
47. ad Fratres in Erem.  
mo.

„ affecuti estis , non dico consolationis , sed remor-  
 „ dentem animum , sed confusionem coram Deo &  
 „ Angelis ejus. Redite ergo ad cor , resipiscite à  
 „ diaboli laqueis , ne clamor Sodomorum & Go-  
 „ morrhæorum ascendat iterùm ad cœlum. Clama-  
 „ re namque dicuntur & peccata , quando non so-  
 „ lum cogitantur , sed quando ad actum sine ullo  
 „ timore perducuntur , & consuetudine intolerabili  
 „ multiplicantur. „ Hæc Aug. vel quisquis Sermo-  
 num illorum Auctor est.

Spero itaque fore ut nemo , qui hîc præsens est ,  
 mihi vitio vertat , si coner morbum hunc animæ pe-  
 stilentissimum , qui non tantùm in juventute , sed  
 etiam , quod multò gravius est , nonnumquam in  
 conjugatis regnat , omnibus modis persequi. Lo-  
 quor autem de peccato pollutionis , quod quale  
 peccatum sit ut ostendam , sit

## PARS II.

11. **C**erta & indubitata apud omnes sine excep-  
 tione est sententia quòd omnis pollutio  
 voluntaria sive in se, sive in causa, quomocumque  
 sumatur , gravissimum peccatum sit & contra casti-  
 tatem & contra jus naturale, de qua agens Aposto-  
 lus dicit : *nolite errare , neque fornicatores, neq; mol-  
 les regnum Dei possidebunt.* Et in hac materia nulla  
 ratio, nulla causa , nullum periculũ potest umquam  
 excusare , quin sit peccatum mortale gravissimum.  
 Quid verò velim sufficienter norunt juvenes, norunt  
 puellæ , norunt ipsi conjugati , & proinde ulterior  
 explicatio minimè est necessaria. Notent equidem  
 omnes, quòd hîc quàm maximè locum habeat illud

### Ad Rom. 3.

*Apost. non sunt facienda mala ut eveniant bona.* De  
 cætero non inconsultum videtur ea referre , quæ in  
 hac materia tradit Scriptura sacra.

12. Narratur Gen. 38. quòd duo filii Judæ , sci-  
 licet Her & Onan successivè in matrimonio habue-  
 rint Thamar , & uterque illud crimen commiserit ,  
 sed propter diversos fines. Her enim hoc faciebat ,  
 ne uxor conciperet atque ita pulchritudinem suam  
 per puerperia perderet. Onan verò ( erat enim Lex

apud Hebræos, ut frater defuncto fratre sine liberis uxorem illius acciperet, & proles ab eo suscitaret loco & nomine alterius fratris mortui in bonis & hæreditate succederent) faciebat hoc ex invidia. Hinc dicit Scriptura de primo: *nequam erat in conspectu Domini, & ab eo occisus est.* De Onan verò subdit: *ideo percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Audite hæc homines excæcati & voluptatibus vestris carnalibus dementati; audite hæc qui vix de eo videmini facere conscientiam: vultis scire quales sitis? Scriptura respondet: *nequam in conspectu Domini.* Vultis scire quid faciatis? Deus dicit *rem detestabilem.*

13. Numquid meritò N. N. hîc exclamare possem cum Propheta, *filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quaritis mendacium?* dicite quid habetis post momentaneam voluptatem nisi remorsum conscientiæ, rem turpem, pudorem, indignationem contra vos ipsos, dum pudet recogitare quod commisisistis? ergo *ut quid diligitis vanitatem?* dum autem vos ipsos decipientes naturæ infirmitatem esse prætenditis vel continere vobis impossibile dicitis, quid facitis aliud quàm *quaritis mendacium?* ô Deus bone qui patienter agis propter pœnitentiam! ô Deus qui dissimulas peccata hominum ut emendentur! ô si punires tantum crimen ut meretur, si punires ut in veteri lege punivisti, quis à punitione foret liber? clariùs loquor, si Deus modò omnes illos subitanè morte obrueret, ut fecit duobus fratribus illis Her & Onan, si inquam omnes sic puniret qui idem crimen committunt, dicite mihi, quot putatis ad adultam pervenirent ætatem? quot inirent matrimonium? quot non perirent secundùm corpus & animam? bone Deus quàm pauci ab hoc crimine planè immunes ad adultam perveniunt ætatem! quàm pauci eidem semel assuefacti, seriò agunt pœnitentiam & resipiscunt! quàm multi per hoc peccatum incidunt in laqueos diaboli, & de emenda ac de salute sua desperantes æternaliter damnantur!

14. Vultis plura? dico quòd hæc corruptio & immunditia inveterata sit unum ex evidentioribus signis reprobationis æternæ; de aliquibus enim reprobus Judas Apostolus loquens dicit: *Et hi quidam carnem maculant*, id est, se corrumpunt & commaculant. An exiguum vitium putatis, detestabili consuetudine Christi membra polluere, corpus suum impudicè profanare, Templum Dei & Spiritus sancti contaminare? certè hoc est ordinationi divinæ contravenire, & abuti geniturâ humanâ, quæ per providentiam ejus non est ordinata nisi operi humanæ generationis his, qui sunt conjugati. Videant ergo juvenes lubrici, qui hujusmodi vitii habitum contrahunt pessimâ consuetudine seducti, eoque modo sibi catenam connectunt, quam ubi voluerint dissolvere, non poterunt; sed illo libidinis vitio inextricabiliter obligati eâ ipsâ catenâ malitiæ quâ sibi fabricarunt, ad gehennæ incendia irrevocabiliter pertrahuntur. Unum horribile exemplum subnecto, & hanc partem finio.

*Cantip. lib.*  
2. apud c.  
30.

15. Refert Thomas à Cantiprato rem horribilem. Quidam, ait, huic pessimo vitio assuefactus, contrectationibus libidinem provocans, cum suo Sacerdote accedens ad me, rogabat ut eum absolverem? recidivantem per annos plurimos absolveram, & pœnitentiam salutarem ei injunxeram: quem cum ad Diocesenum Episcopum mittere vellem, quasi gravius affligendum, à Sacerdote rogatus sum, sub hac conditione pœnitentem absolverem, nempe ut flexis genibus coram me oraret Dominum, ut casu quo postmodum in idem scelus recideret, eum mox divina vindicta puniret. Consensu conditioni, & heu mihi misero quòd consensu. Mox ille flexit genua, & vindictam sibi imprecatus est si incideret. Absolvi eum, & recessit gaudens: sed feriâ tertiâ aut quartâ post Pascha instigante diabolo relapsus est, statimque horrificè clamans, *vindicta Dei super me*, amarissimâ morte mulctatus est, uti mihi postea ille Sacerdos narravit. Ita ille.

Qualis Dei punitio, qui quotidie miracula non facit, si hodie inter nos non appareat, eo magis huic vitio dediti deterreri debent, quo minus Deus illos hinc punit, quod ut ostendam, sit

16. **Q**Uamvis ita & Scriptura sacra, & SS. Patres PARS III.

in hoc abominabile vitium invehantur, ut partim vidimus, partim in subsequen-  
tibus videbimus, putem tamen quod multi cogitent, & taciti apud semetipsos dicant peccatum illud proprie infirmitatis naturæ esse, Deum illud non ad eum punire, quin imò misereri infirmitatis nostræ & naturæ humanæ ad eum depravatæ ac ad similia à juventute inclinatæ, Deum non difficulter similibus indulgere, quimet fatetur & dicit: *nequaquam ultra male-*

*dicam terra propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Sed ô cæci homines! nolite sic argumentari;

verum quidem est, infirmitati hominum compatitur Deus, sed non malitiæ eorum, qui toties admoniti detrectant sibi vim inferre, mediâ Confessariis prudenter præscripta adimplere, occasiones & peccandi incentiva fugere &c. nolite inquam sic argumentari, sed potius attendite quid dicat Spiritus sanctus per Sapientem: *ne dicas miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

Sap. 5.

Sed argumentum vestrum parum enucleemus.

17. Ecce ibi argumentum vestrum & impia fiducia: Deus misericors est & non amplius sic punit peccatores, quemadmodum in lege veteri solebat, non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Hæc vel similia de misericordia Dei impie præsumendo, *ne dicas*, ait Sapiens, sed quare hoc? rationem mox addit: *miser cordia & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Quasi diceret, ô peccatores! finaliter vos invenietis deceptos, imò verò vos ipsos decipitis. Verum quidem est, Deus misericors est, imò *miserationes ejus super omnia opera ejus*, misericordia ejus infinita est, ut misereatur nostri Deus ex natu-

ra sua inclinatur, non tamen solum misericors est, sed *miseriordia & ira ab illo citò proximant*. Quid hoc est *proximant*? quid illo intendit Sapiens? indubiè ostendere vult, quòd quando Deus peccatoris miseretur, & ex misericordia illi parcit, hic autem nihilominus in malitia perseverat, imò (quòd pejus est & contristans Spiritum sanctum) ex misericordia Dei sumit ansam magis magisque delinquendi, ac in peccatis perseverandi, quòd simul proxima sit ira illius & in peccatores respiciat ut illos puniat, ac sic effectu ostendat, (sicut de fide est) quòd non minùs justus sit quàm misericors.

18. Hoc est quòd omnibus seriò inculcare intendit Sapiens, qui proindè salutarem hanc subjungit admonitionem: *ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Q. D. Eo quòd scias Deum misericordem, noli propterea pœnitentiam & vitæ tuæ emendam tardare, sive quòd in voluptatibus carnalibus sis habitatus, sive quòd eas earumque occasiones non velis fugere, sive quòd infirmæ naturæ ad similia pronitatem timens cum effectu veram emendam desperes, noli differre de die in diem, noli semper ingeminare *cras cras*, ne invenias aliquando te deceptum, & cras illud dum petes non detur, eo quòd quando datum est, illius bonum usum neglexeris, & sic invenias te deceptum.

19. Sed quomodo deceptum? pergit Sapiens: *Subitò enim veniet ira illius & in tempore vindictæ disperdet te*. Horribilia sunt hæc, fateor, & valde horribilia. *Subitò veniet* quando minùs cogitabis, quando voluptatibus immerfus, corpore sanus, viribus integer, in flore ætatis, quando te quasi immortalem cogitabis, & non magis de morte quàm de vitæ emenda ejus sollicitus, *subitò veniet ira illius*, habebit finem tempus misericordiæ, incipiet tempus justitiæ, tempus iræ, tempus vindictæ, & *in tempore vindictæ disperdet te*, permittet te mori in pecca-

peccatis, & quemadmodum vixisti, non tamquam homo rationalis & verus Christianus, sed tamquam bestia sine ratione, sicut Paganus sine lege, sic morieris ut bestia, ut Paganus, sine præparatione, sine confessione, sine Sacramentis, sine cruce, sine luce: & disperdet te ira Dei ad æterna supplicia peccatoribus à Deo præparata. O miseram sortem hominum! nascimur, vivimus, morimur, tot media ad salutem animarum Deus nobis subministravit, & iis abutimur, ut magis in æternum damnemur!

20. Etsi ergo N. N. Deus peccata hominum videatur interdum quasi non videre, dum non punit, certè inde pessimè sumeretur occasio in peccatis perseverandi, sed magis ratio subministratur timendi: sic loquitur S. Chrysostr. his verbis: *multa perpetrantes, nec dantes poenas terri magis, & timere debent; quare? augetur enim eis supplicia, ait, propter impunitatem & Dei longanimitatem.* Capitulum quomodo? ecce explano, & dico quòd Deus peccatorem præsertim carnalem magis punire non possit, quàm si hinc non puniatur. Nostis statutam divinæ justitiæ regulam: *pro mensura delicti erit & plagarum modus*, consequenter quòd plura & graviora fuerint hominis peccata, eò plura & graviora in futuro infligentur tormenta; sic enim requirit Dei justitia, illudq; intendit citatus sacrae Script. locus. Hoc posito, subsumo: sed dum Deus hinc peccata non punit, homo se ordinariè emendare non solet, consequenter in plura & graviora decedit peccata, itè in omnis malitiæ abyssum, ergo dum Deus hinc peccata non punit, tunc quàm maximè punit.

21. Hoc est quod docet & intendit magnum illud Ecclesiæ Lumen S. Augustinus, dum dicit: *crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed etiam vitiorum incrementa.* Quòd quomodo fiat, sic explicat S. Gregor. *peccatum quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* Quod si in aliqua materia locum obtineat, singularissimè in vitio luxuriæ, quòd

Chrysostr.  
hom. 7. ad  
popul. Ant.  
rich.

S. Aug. 26  
Psalm. 57.

S. Gregor.  
lib. 25. 26.  
cap. 9.



tenaciùs hominem illigat, & peccato peccatum cumulat, quasi lapidem lapidi, cemento quodam glutinosissimo pravæ inclinationis & consuetudinis cōnectente. Undè idem Greg. sic ait: *cùm culpa in usum venerit, ei jam animus, etsi appetat, debiliùs resistit. Quia quot vicibus prava frequentationis adfringitur, quasi tot vinculis colligatur. Et iterùm: Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit. Ad reëitudinem conatur, & labitur: quia ubi diu sponte perstitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit.*

22. Sed quomodo, dicit aliquis, sic peccatum unum alterum trahit, sicut ansa ansam? respondet S. Greg. supra, dicens quòd *peccatum posterius non jam peccatum tantummodò, sed peccatum est, & peccati pœna.* Dicis iterùm quomodo hoc? iterùm cum eodem S. Gregorio respondeo, & consentiunt omnes Theologi, *quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut precedentis peccati merito in aliis cadat.* Quæ omnia rectè concludit hâc sententiâ: *quem enim liberare noluit, deserendo percussit.* Non quòd Deus auctor peccati constituatur, sed quòd illud propter peccatoris ingratitude & in malitia obstinationem iustè permittat, non tribuendo efficaces & copiosas illas gratias (quamvis sufficientes semper largiatur, dum ad evitandum novum peccatum sunt necessariæ) sine quibus quamvis absolute converti posset & tentationes etiam graves superare, numquam tamen tam obstinatus peccator convertetur, tantasque tentationes superabit, addeòque de peccatis in peccata & peccatorum barathrum decidet. Sed ut finiamus, sit

TRILOG.

23. **Q**Uæ cùm ita sint N. N. cùm peccata carnalia quibus juvenus & plurimi mortalium immersi jacent, adeò grassentur ac communia facta sint, ut de iis rarò verè doceant seseque emendent, & per consequens plurimi indè damnentur, numquid in hac materia nobis præceptum à Deo esse dici potest quòd olim mandavit Isaïæ Prophetæ his verbis: *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,*

*Et annuntia populo meo scelera eorum.* Quæ verba interpretans S. August. ea omnibus Prædicatoribus applicat, & dicit : *clamare jubemur & vehementer clamare : ne parcas peccatoris iniquitati , ne tacendo pereas , & dum verecundia ejus consulis , non consulas sanitati.* Utinam omnes Sacerdotes hîc ita clamare, quasi tubam vocem extollere possent , ut per omnes Christiani Orbis angulos audirentur , & peccatores gravi voluptatis sœmno submersos tandem aliquando excitarent ! & quid aliter clamare possumus , quàm vocem illam, quam olim Aug. sub ficu audivit, cum in summa lucta inter carnem & spiritum versabatur ? *tolle lege , tolle lege.* Q. D. si adhuc aliquis vestræ salutis amor supersit , si non penitus animæ vestræ status sit desperatus , si timor Domini non planè extinctus , tolle librum veritatis , tolle Script. sacram, tolle epistolas S. Pauli tubæ illius Evangelicæ : & quid aliud clamat , nisi *nolite errare , neq; fornicatores , neq; molles regnum Dei possidebunt?*

S. August.  
Serm. 106.  
de temp.

24. Scio N. N. non sine lucta vos resolvētis, non sine pugna vincētis, non sine victoriâ coronabimini: quia *caro concupiscit adversus spiritum*, & importunè ad Deum revertentem retinet. Hoc in seipso expertus est S. Augustinus, sicut ipsemet-fatetur. *Retinebant me*, inquit, *nuga nugarum, vanitates vanitatum, antiqua amica mea , & succutiebant vestem meam carneam , & submurmurabant : dimittis nos , & à momento isto non erimus tecum ultra in æternum, & à momento isto non tibi licebit hoc vel illud ultra in æternum ? & qua suggererant in eo quod dixi hoc & illud , qua suggererant Deus meus ! averzat ab anima servi tui misericordia tua : quas sordes suggererant, qua dedecora ? quid fecisset ille Sanctus in tantis tentationibus? cum tempore crescebat presura , pungebat lucta , certamen augmentabatur : sentiebam*, inquit, *me ab eis teneri , & jactabam voces miserabiles ; quamdiu , cras cras , quare non modo , quare non hâc horâ finis turpitudinis mee ?*

S. August.  
lib. 8. Conf.  
c. 11a

25. Sed quid tandem factum est ? statim ut cœ-

Q 2

lo audivit vocem illam tolle lege, tolle lege, librum inquit, arripui, aperui & legi in silentio capitulum quò primùm coniecti sunt oculi mei. Et quid ibidem legit Aug. ? ecce vocem tubæ : non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiiis, non in contentione & amulatione, sed induite Dominum Jesum Christum. Quibus verbis adeò commotus est, & tantum effecit Spiritus sancti gratia, ut protestetur quòd omnia libenter relinquens, id quod antea apparebat ipsi impossibile, factum sit suave.

O juvenus ! ô cæci filii hominum ! attendite vobis, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiiis, sed omnia illa relinquenda sunt, abrumpenda sunt, detestanda sunt, de iis pœnitentia agenda, Deus exorandus est. Sic gratiam, sic veniam, sic vitam christianam obtinebitis in hoc sæculo, & in futuro vitam sempiternam. AMEN.



## CONCIO LIX.

*De eadem materia.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exodi cap. 20.*

MEMOR.

1. **M**emorabilis & pulcherrima est historia quam refert Plutarchus part. 1. Moral. de Symmaco Rege, qui cùm undique ab hostibus cingeretur & urgeretur, ac spes evadendi nulla appareret, ipse interim intolerabili fitis æstu in tantum vexatus sit, ut indè se hostibus dedere coactus sit, qui cùm Regi ad sitim extinguendam scyphum aquæ obtulissent, videns quid fecisset, totus dolens, melancholicus ac plorans in hæc verba prorupit : *Dii boni ! quàm ob brevem voluptatem regnũ amisi, & ex Rege me servum feci !* non absimile videtur quod Script. sacra narrat de Esäu, qui jus primogenituræ vendidit Jacob pro pulmento, & qui ita ob rem adeò modicam & nullius pretii vel æstimationis jus primogenituræ perdidit, quod præcipuè illo tempore in his quatuor cõsistebat præeminentiis

seu privilegiis. 1<sup>o</sup>. Quòd primogenitus in hæreditate duplicem portionem obtineret. 2<sup>o</sup>. Quòd esset Princeps frater ac quasi Pater & Dominus aliorum fratrum. 3<sup>o</sup>. Post diluviū primogenitus erat Sacerdos Familiæ. 4. Pater moriens particulariter primogenito benedicebat. Ecce tot & tantas prærogativas fatuus Esaü non æstimans pro re tam vili vendidit.

2. Scitis quòd velim? contendo quòd sic faciant, imò multò dementiùs procedant omnes peccatores, ac inter eos singulariter voluptuosi carnalium desideriorum amatores. Ecce omnes Christiani habent jus primogenituræ, quod Christus eis suâ morte, Sanguine & SS. Passione emit, & jus ad hæreditatem cœlestem diabolo vendunt pro vilissima & momentanea delectatione. Vultis scire, ô homines voluptuosi, qualem cum diabolo ineatis contractum? eum describit Ant. in Melissa Part. 1. Serm. 16. his verbis: *Damon ait, da mihi presentia, Deo futura; mihi juventutem, Deo senectam; mihi voluptates, illi corpus inutile.* Uno verbo da mihi jus quod habes ad hæreditatem cœlestem. Homo consentit, & pro pretio quid accipit? nihil nisi *momentaneum quod delectat.*

3. Numquid ergo omnes voluptuosi meritò deplorare possent cum Symmaco Rege, *Dii boni! quàm ob brevem voluptatem regnum amisi, & ex Rege me servum feci!* servum meæ voluptatis, servum carnis meæ, servum diaboli! quæ omnia cum orientur ex libidine, etsi nulla alta ratio foret, numquid meritò præcepisset Dominus, *non mœchaberis?* non consenties carnalibus desideriis? Scio multa dixi præcedenti Concione, quæ meritò omnes à vitio tam horribili, exitiali, & cheu! communi adeò deterrere possent, restant tamen non pauca dicenda, undè hodie parte primâ ostendam, quòd pollutio ut peccaminosa sit, voluntaria esse debeat in se vel saltem in causa sua, quæ propterea est fugienda. Parte secundâ demonstrabo quòd quando illa nullatenus est voluntaria, sicut nullum est peccatum, sic nec prop-

terea sit omittenda sacra Communio. Superaddam ad consolationem multorum, quòd non sit efficacius remedium taliter afflictis quàm sæpè dignè communicare. Priùs tamen

## A V E M A R I A.

### PARS I.

4. **E**st articulus fidei ab Ecclesia definitus & à SS. Patribus ac Theologis communiter receptus, quòd omne peccatum, ut peccatum sit, debeat cõmitti voluntariè & liberè, & sicut S. Aug. notat, a deò debet esse voluntarium, ut si voluntariũ non sit, peccatum non sit, & sic pro tanto solùm peccatum est, pro quanto est voluntarium: proindè si plenariè voluntarium sit, plenariè peccatum est, si tantùm semiplenè, etiam tantùm semiplenè peccatum est. Et ratio naturalis hujus manifestissima est: quia si non est voluntarium, cùm sola voluntas sit potentia libera, etiam non est liberum, si non est liberum, nec est in nostra potestate: nullus autem peccare potest in eo, quod nullo modo moraliter loquendo vitare potuit; imò si aliquid sit quod necessitàe voluntatem, quidcumque demum & qualecumque illud sit, facit ut id, quod aliàs peccatum foret, peccatum non sit.

5. Proindè qui contrarium doceret, non tantùm refellitur, sed etiam à S. Augustino exploditur, qui dicit: *peccati reum teneri quemquam quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis est & insania.* Et iterùm eodem libro cap. 18. sic loquitur: *hoc brevissimè tene. Quacumque ista causa est voluntatis; si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur.* Rationem autem quare tunc sine peccato lex transgrediatur, addit dicens: *quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potuit? peccatur autem? cavere igitur potest.* Pluribus quoad hoc punctum supersedeo: fusè enim & peremptoriè illud probavi Tom. 1. Tract. 1. Conc. 2. Porro sicut hoc in omni peccato locum habet, sic etiam in peccatis luxurix, quod ideò prænotare volui, quia fundamentum

Aug. lib. 8.  
de lib. arb.  
c. 18.

est omnium, quæ doctrinaliter jam explicabo.

6. Ex his collige, quòd omnis & solus ille peccat peccato pollutionis, qui vel voluntariè eam procurat, vel in eam consentit, sive hoc directè fiat, sive indirectè seu in causa: directè quidem hoc facit qui motu, tactu, aliisque positivis modis eam procurat, & sic gravissimè peccat contra naturam ac Præceptum Domini, *non mœchaberis*: indirectè seu in causa se polluit, qui aliquid facit ex quo prævidet vel prævidere potest pollutionem secuturam, in quam consentiat. V. G. aliquis experientiã novit, quòd quoties legit tales libros, conversatur cum similibus personis, audit turpes cantilenas, &c. toties patitur voluntariè illam infirmitatem naturæ & consentiat: si eo non obstante prædicta faciat vel permittat, peccat mortaliter. Ratio est: quia qui vult efficaciter aliquam causam ex qua vel per experientiam, vel ex natura rei scit ordinariè vel saltem sæpè sequi illam infirmitatem naturæ, etiam censetur efficaciter velle & consentire in effectum.

7. Hinc consequens est, si quis habeat officium, vel aliam occasionem, quæcumque vel qualiscumque illa possit esse, per cujus vel quarum exercitium experientiã scit se similibus infirmitatibus subjectum esse & consentire, eo solo titulo obligatur prædicta deserere. Nec dicat talis, quod facio ex se honestum est, non intendo ullum malum effectum, sit præter meam intentionem, &c. quia hæc & similia non excusant. Sed dic mihi, quisquis sic loqueris, habere oculos & illis videre, estne malum? numquid est perfectio naturæ? tamen de illo dicit Salvator noster, *si oculus tuus scandalizat te*, illud autem dicitur scandalizare aliquem, quod ei occasionem præbet, vel quod eum trahit ad peccatum: si ergo oculus tuus tibi est causa peccati, ait Christus, *erue eum, & projice abs te*; quare præcipit quod adeò durum & naturæ repugnans est? respondet: quia *bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quàm duas oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

Math. 18;

Si ergo, o homo, sive locus, sive personæ, sive conversatio, sive lectio, sive aliud quodcumque vel qualecumque sit tibi occasio pollutionum, quibus consentis, omnes illas occasiones abscindere obligaris, aliàs omnia Sacramenta quæ suscipis sunt sacrilegia, & vivis in continuo statu damnationis. Quavis autem hæc dura appareant; dura certè minimè erunt, si considerare non pigeat quod Christus dicit: *quid prodest homini si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

8. Reperiuntur nonnulli, præferrim ex juventute, qui quando graviter in Confessionali admonentur, quòd debeant sibi ipsis vim inferre, quòd à tanto & tam abominabili peccato debeant omnimodè abstinere, quando illis, donec effectivè se emendent vel saltem media necessaria contra relapsum à prudente Confessario præscripta exequantur, absolutio suspenditur, reperiuntur, inquam; qui conqueruntur, qui sibi injuriam fieri æstimant, qui similes Confessarios; tamquam Rigoristas vel Jansenistas explodunt, qui prætendunt talia vitia esse effectus naturæ infirmæ, & corruptæ, & consequenter illi magis quàm ipsorum culpæ adscribenda esse, imò interdum non neminem reperias, qui sibi impossibile esse ab illis abstinere, aperte dicere non vereatur. O N. N. Confessarius vobis injuriam non facit, minùs in eo Rigorista vel Jansenista est, sed illud solum, ad quod ex officio suo graviter obligatur, adimplet: sed vos potius vosmet ipsos decipitis & finaliter deceptos vos invenietis, si in simili statu ex hac vita decedatis.

9. Verum quidem est, natura nostra infirma & ad similia ex prava radice admodum est inclinata, vehementissima est illa tentatio, sed audite simulque attendite, quid dicat Apost. *fidelis est Deus*, scilicet in promissis suis, quibus variis locis fidem suam interposuit de dando auxilio, dicens: *petite & accipietis*. Itaque nihil quod devotè & instanter peti-

tur, & spectat ad animæ salutem, quale indubiè est insurgentes vincere tentationes, Deus denegabit: quia *fidelis est Deus*, qui proinde ut Apost. subdit, *non patietur vos tentari supra id quod potestis*, sed si constanter in tentationibus imploretis, infallibiliter sentietis ipsius auxilium, imò qui hoc facit, ait idem Apost. *faiet cum tentatione proventum*. Scitis quomodo hoc? ecce *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, & per consequens eo magis & majori coronâ coronabitur, quo magis legitime certaverit; proindè sicut per vehementes tentationes crescit pugna, sic crescit victoria, palma & gloria, Undè rectè Concil. Trid. docet, quòd etiam in iustis tamquam effectus peccati originalis maneat quidem concupiscentia, de qua tamen verissimè dicit; *Trid. Sess. 9. qua cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus, non valet.* Can. 5.

10. Sed quid jam dicemus de his, qui innocentes docent ea, de quibus aliàs fortè numquam cogitassent? quid dicemus de his, qui vendunt instrumenta, quibus enormia peccata à juventute committuntur, qualia in certa Flandriæ Civitate in publicis nundinis venalia fuisse, ab oculatis testibus accepi? quid de his, qui similia ex officio impedire tenentur & connivent? quid inquam de his omnibus, nisi quod olim S. Joannes ex parte Dei exprobrabat Episcopo Pergami dicens: *habeo adversum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere & fornicari.* Apoç. 2. Narrari seu explicari potest historia de qua supra. Sed de his & similibus finem non facerem, si omnia enarrare deberem, quæ vel hîc non expediunt, vel pudor vetat. Pro nunc pono solum hanc regulam generalem.

11. Omnis pollutio voluntaria sive in se sive in causa, semper est peccatum mortale si ei consentiatur. Sed notate quòd dixerim, si sit voluntaria. Undè si sine consensu voluntatis eveniat, nullum



est peccatum. Hinc ea quæ homini sine sua culpa in somno evenit, non est peccatum, quia nullatenus est voluntaria, nisi scilicet ad eam antecederet culpabiliter sit causa posita, vel voluntas postea in eo quod sibi in somnis contigit complacet, & tunc illud quod in somnis contigit non tam in se formaliter peccatum est, quàm objectum peccati.

De cætero ut pias & timoratas conscientias quæ propter similes naturæ infirmitates, sæpè quàm maximè divexantur & anxiantur, quantum in me est consoler, inquiremus modò an propter illam similemve inculpabilem naturæ infirmitatem sacra Communio sit omittenda. Pro quo sit

## PARS II.

12. **D**ico generaliter: nemo propter similes naturæ infirmitates, quæ vel ex illusionem diabòli, vel naturaliter sine aliquo voluntatis consensu sive in sive extra somnum eveniunt, tenetur abstinere à sacra Communione. Ratio est: quia secundùm Concil. Trid. & SS. Patres ac Doctores passim, omnis ille est dispositus ad dignè communicandum, qui non sentit conscientiam suam aliquo graviore peccato infectam: in casu autem proposito ut diximus, nullum committitur peccatum, ergo &c. & sic intelligitur ac communiter explicatur illud, quod dicit Apostolus, *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.*

Trid. Sess.  
23. c. 7.

13. Idem ulterius dicitur recta ratio: quia nullus magno bono, quale certè maximum est percipere sacram Communione, privari debet sine sua culpa; quod tamen fieret si similibus communicare non liceret. Hinc refertur in collationibus Patrum quòd singulis solemnioribus festivitibus cuidam Monacho per dæmonis illusionem illa infirmitas evenire soleret, nempe ut ita ille ab efficacissima animæ medicina Corporis & Sanguinis Jesu Christi retraheretur, quod etiam aliàs sanctissimis posset contingere. Proinde S. Gregorius M. epist. ad S. Augustinum Anglorum Episcopum inter cætera sequentia scribit quoad hanc materiam: *cùm ex na-*

*tura superfluitate vel infirmitate pollutio ebenerit, omnino hac illasio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam ferisse. Ne dixerim tamen inconsultum & ad humiliationis exercitium, & ad maiorem conscientiae securitatem prudentem consulere Confessarium, & ipsius iudicio cum obedientiae merito vel percipere vel abstinere. Hæc pro bonorum consolatione.*

Collat. PP.

Coll. 12.

c. 6.

14. Si modo petas, quodnam efficacius auxilium pro iis, qui vehementibus carnis tentationibus vexantur, audeo dicere non esse efficacius remedium, ut constanter in Dei gratia perseverent, imò etiam infirmioribus, qui aliquando ex humana fragilitate tentationi succumbunt, ne amplius in idem recidant & sordescant, quam sæpius dignè communicare. Hoc autem ut clarissimè ostendam & evincam, prænotandum est ex S. Ambrosio, quòd sicut corpus diversis subjacet morbis ac febribus, à quibus ut infirmus sanetur, consilium medicorum implorat & præscriptas adhibet medicinas: sic & anima multis morbis, febribusque subjecta sæpissimè ægra decumbit; inter omnes autem animæ morbos, si aliquis communis, si aliquis periculosus, si aliquis sit pestiferus, profectò est stimulus carnis & concupiscentia nobis innata, ratione cujus nemo est, quin cum Apostolo deplorare debeat, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

15. Ut ergo ab hoc periculosissimo animæ morbo sanemur, consulere debemus spirituales medicos, qui non sunt alii quàm SS. Patres & Ecclesiæ Doctores. Consului ergo multos, nec aliquem invenio, qui meliùs radicem, malignitatem, periculū, & effectus hujus febris spiritualis describat, quàm S. Ambrosius, qui de hac materia sic loquitur: *diversarum cupiditatum diversa sunt illecebra, ecce radix hujus febris, nec minorem febrem amoris esse dixerim quàm caloris. Ecce ibi habes malignitatem, quia maxima diversitas inter illas, tantum se te-*

S. Ambr.

lib. 4. in

Luc.

net ex parte subjecti, undè ait, *hac corpus, illa animam inflammat*. Deinde pergit illum morbum specificare, dicens: *febris nostra libido est, febris nostra luxuria est*. Ecce ergo ibi morbum, ejus originem & qualitatem.

16. Inquiramus modò, quænam contra illum sit optima medicina & maximè curativa; juverit desuper audire S. Bern. utpote & ipsum in spiritualibus his morbis curandis medicum expertissimum, qui postquam cunctis luxuriâ febricitantibus quàm efficacissimam medicinam præscripsit communionem Corporis & Sanguinis Jesu Christi, statim efficaciam illius medicinæ describit, dicens: *duo enim divinum illud Sacramentum operatur in nobis, in minimis peccatis minuit sensum, & in gravioribus tollit omnino consensum*. Undè dicit idem S. Bern. si sentias hanc febrem diminui, si ejus symptomata non sint adeo violenta, si paulatim te convalescere sentias, noli tibi ipsi vel propriæ industriæ adscribere, quia falleris; sed, quisquis talis est, ait S. Bern. *gratias agat corpori Domini, quia virtus Sacramenti operatur in eo*.

17. Si hæc N. N. non sufficient, si uni vel alteri Medico spirituali non fidatis, credite saltem generali omnium Medicorum spiritualium consultationi, volo dicere Concilio Tridentino, quod re totâ secundum Regulas Script. sacræ & traditionis diligenter examinatâ, claris verbis approbat sententiam S. Bernardi, dicens: *sumi voluit Christus hoc Sacramentum tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis præservemur*. Certè concupiscentia venenum est pestiferum, quod simul atque concipitur, per omnes corporis & animæ vires mox se diffundit; sed Christus Jesus optimus & supremus Medicus *sumi voluit hoc Sacramentum tamquam antidotum &c.* quod variis experienciis & exemplis patuit. Notabile est exemplum quod refert Engelgrave Cælo Empyreo infra octavam Corporis Christi, folio mihi 760. quod brevitatis

S. Bern.  
Serm. 1. in  
cena Dom.

Trid. Sess.  
13, Cap. 2.

causâ omitto, & ibidem videri potest.

18. Denique ne ullus vobis dubitandi de hac hujus Sacramenti efficacia locus permittatur, S. Thomas id probat ex verbis Christi Joan. 6. *hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur. Quod quidem manifestum est, inquit, non intelligi de morte corporali, ergo intelligitur quod hoc Sacramentum præservet à morte spirituali, quæ est peccatum.* Et quomodo præservet à morte spirituali seu peccato, declarat: *nam per hoc quod Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis tamquam cibus & spiritualis medicina.* Sive ut idem S. Thomas dicit ibidem ad tertium, *Sacramentum hoc diminuit fomitem in quantum augeat charitatem: modum quo hoc efficitur, explicat S. Augustinus lib. 83. Quæstionum: quia, inquit, augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*

2. Parte  
21. 77. a. 6.

19. Capitis quorsum hæc velint? concipitis quid intendant hi SS. Patres? communiter dicitur, dum aliquis impuro amore agitur, illius cor ardet igne venereo. Duplex autem est ignis sibi planè & diametraliter contrarius, quorum unus alterum expellit, scilicet ignis amoris divini, & ignis libidinis; quando ergo ignis divini amoris in cordè humano accenditur, eo ipso expellitur vel saltem diminuitur ignis infernalis amoris carnalis, quia *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.* Quid ergo conquerimini, ô cæci mortales, à stimulis carnis vos nimium exagitari? cur dicitis impossibile vos continere? ad quid quæritis excusationes in peccatis? *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis, est & antidotum.* Het is de lesse van Alexander, *t'een senyn verjaeght het ander.* Sed finiamus, ac ita sit

20. Vidimus modò N. N. quomodo pollutio corporis, si voluntaria sit in se vel in causa, semper sit peccatum mortale. Vidimus quomodo nulla sit causa, quæ eam, utpote quæ manifestè juri naturali repugnat, possit licitam facere. Vidi-

EPILOG.

mus quomodo tentationes carnales graves quidem sint, sed tamen per Dei gratiam, quæ numquam denegatur, semper sint superabiles, idque à nobis sic tantum dependeat. Vidimus denique quomodo efficacissimum remedium ad illas superandas, sit frequens & digna Communio Corporis & Sanguinis Jesu Christi. Ut ergo finiam, & finiam cum fructu, non invenio aptiora verba, quam ea, quibus nos omnes admonet atque excitat S. Ambrosius: *omnia habemus in Christo*, ait, & *omnia est nobis Christus*. Utique quia qui Christum habet, Deum habet, qui Deum habet, habet omnia, undè consequenter subdit: *si vulnus curare desideras, medicina est*. Profectò natura humana per peccatum Adæ tam in intellectu quam voluntate, cæterisque animæ potentiis multipliciter vulnerata est, & ex natura sua vitiosè inclinata ad malum ac stimulis carnis subjecta est. Iterum quot peccata carnalia, ô homo, unquam totâ vitâ commisisti, totidem lethalibus vulneribus animam faucisti, & tecum geris pravæ inclinationis vulnus periculosissimum, undè *si vulnus curare desideras, medicina est*.

21. Pergit Ambrosius, & ego cum eo: *si febris astuas*, & igne illo infernali impuri Asinodæi interiorius accendaris, & aquas gratiarum sitias, eò curere, quia *sons est*. Deinde *si gravaris iniquitate*, ô peccatrices animæ, quæ adeo gravamini illo pondere iniquitatis, ut dicere debeatis & deplorare cum David, *iniquitates mea supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravata sunt super me*, sumite animos, nolite propterea desperare, currite ad Jesum in Sacramento Eucharistiæ, quia *si gravaris iniquitate, justitia est*. Necdum satis N. N. ? requiritis plura ? plura Ambrosius subministrat: *si auxilio indiges*, bone Deus ! quis non indigeat ? quis homo expers est infirmitatis ? nonne *homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* ? imò quid est totus vitæ nostræ decursus nisi theatrum miseriarum ? ergo *si auxilio indiges, virtus est*. Quis est in mundo, qui dum tantas mise-

S. Ambr.  
lib. 6. He-  
xam. c. 4.

rias, peccata, infirmitates, gratiæ Dei incertitudinem considerat, quis inquam est, qui non timeat mortem? quis non timeat incidere in manus Dei viventis, si attestante Apostolo adeo horribile sit? sed, ait Ambrosius, *si mortem times, in Eucharistia vita est. Finaliter cum eo finio, si cælum desideras, via est, si cibum quæris, alimentum est*, ipse est medicus, ipse est medicina, ut hic nos sanet sanosq; conservet in anima, & postea glorificet in cœlis. Amen.

\*\*\*\*\*

## CONCIO LX.

*De osculis & tactibus.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exod. cap. 20.*

1. **C**ommunissima esse solêt hominum excusatio, si fortè in aliquod gravius flagitium ceciderint, quòd culpam in diabolum conjiciant atque dicant, Diabolus decepit me. Quod quamvis sæpissimè fieri non diffitear, quòd tamen sic semper fiat numquam fatebor: quia sæpissimè diabolus homini nullatenus nocere posset, si ipse homo diabolo se tentandi occasionem non subministraret. Hinc rectè S. Augustinus, ut ostendat imbecillitatem, quam habet diabolus, ut homines tentet, & sic ad peccatum trahat, comparat eum cani catenâ alligato: qui, ut ait Aug. latrare quidem potest, mordere autem minimè potest nisi volentes, nisi spontaneè propiùs accedant, imò sæpè canis sic alligatus homini etiam propiùs accedenti non noceret, nisi ab eò exagitaretur. Juerit verba Augustini referre, qui de dæmone loquens sic pulcherrimè discurrit: *Dæmon, inquit, alligatus est tamquam innexus canis catenis, latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem.*

EXORD.

*August.  
Serm. 197.*

2. Sic ergo diabolus mala suggerere, proponere, & ad ea phantasiam excitare potest, sed ut consentiamus & ita de facto peccemus, efficere non

potest, nisi ipsi velimus & consentiamus: Unde ille leo rugiens qui circuit & quærit quem devoret, probè sciens suam infirmitatem, quod Marte non potest, arte efficere satagit, & imitatur aucupes ut venetur & capiat animas fidelium: quid autem faciant aucupes attendite: in campo expediunt sua retia, projiciunt grana ut aves illo cibo allectæ tamquam visco in retia ejus decidant ac capiantur; utque efficaciùs aviculas attrahat, habet unam excæcatam, hisque fraudibus assuefactam, quæ cantu cæteras alliciat, & sic misellas incautasque aviculas decipit, capit, occidit.

Non aliter, credite mihi N. N. non aliter diabolus incautos homines decipit, eorumque animas capit; ad quod respicere videtur Amos Propheta; dum dicit: *numquid cadet avis in laqueum terra sine aucupe?* Quasi diceret, nullatenus. Sic omnimodè fit cum diabolo.

3. Vultis hoc ad oculos videre? ecce expandit ille retia sua, quæ sunt occasiones & incentiva peccatorum: expandit viscum, & projicit grana, id est, persuadet hominibus in peccatis carnalibus maximam reperiri delectationem, sed ut efficaciùs pertrahat, habet aviculas excæcatas: & quænam, fortè cogitatis apud vosmet ipsos, sunt illæ diaboli aviculæ excæcatæ? respondeo quòd sint juvenes pariter & puellæ, qui à diabolo voluptatibus capti, & libidine excæcati, conversationibus suis periculosis & modis agendi scandalosis, alias innocentes animas in retia diaboli pertrahunt. Quid enim cantus puellarum, quid salutationes juvenum, quid in alterutrum amorosi respectus, quid litteræ & carmina amatoria, quid illa omnia nisi cantus, quo incauta & lubrica juvenus trahitur in retia diaboli? & eheu! ait Sapiens, *nescit quòd de periculo anima illius agitur!* hoc si in aliquo casu locum obtineat, præsertim in incautis juvenum puellarumque conversationibus, in osculis & tactibus, quamvis aliàs se etiam non inhonestis; à quo periculo ut om-

Prov. 7.

nes quantum in me est eripiam, ostendam hodie parte 1<sup>ma</sup>, quando oscula sint peccata, quando autem non. Parte 2<sup>da</sup> demonstrabo oscula quæ fiunt inter personas disparis sexûs ordinariè peccata esse mortalia, quod confirmabo ex natura rei, ex SS. PP. & ex Ecclesiæ definitione. Finiemus conformi exhortatione. Priùs tamen

A V E M A R I A.

4. Ingeniosus quidam ac famosus pictor ut ostenderet quam periculosum sit conversari juvenes cum puellis, & feminas cum viris, præsertim si familiaritas in tantû crescat, ut difficultatem amplius non faciant in osculis, tactibus manuum, faciei, depinxit ardentem candelam cum muscis undequaque circumvolantibus, ac supposuit hoc lemma, *tetigisse periisse est. Raectt ghy de handt, ghy zyt verbrandt.* Concipite quid velit: vidistis indubiè sæpius quomodo muscæ splendore ardentis candelæ allectæ, circumquaque volitent, & sine minimo instantis periculi timore circumvolitent: sed ecce dum seipso planè securæ sunt, attingunt flammam, comburunt alas, decidunt, & quid sit? *tetigisse periisse est.*

PAR 3

5. Numquid sic vobiscum fit, ô juventus lubrica? ô excæcatum mortalium genus! puellæ accipiunt visitationes, juvenes eas instituunt, vadunt, redeunt, confabulantur, litteræ amatoriæ mittuntur, recipiuntur, rescribuntur, omnia apparent suavia, crescit amor, familiaritas augetur, oscula permittuntur, choreæ instruuntur, & quid tandem fit? nimis sæpè experientia docet, *tetigisse periisse est.* Consentiant in peccata, si non externa, saltem interna, peccant mortaliter, & quæ ulterius fiant, non omnia voce præconis per plateas Civitatis publicantur. Et undè hæc omnia? *tetigisse periisse est. De mugghe vliegt in de keerse.* Sed plura de his postea.

6. Ut ad propositum veniam, anhelant fortè

R



multi scire, an oscula inter personas diversi sexus semper sint peccata mortalia. Ad quod antequam respondeam, notandum est cum Theologis communiter, quod oscula possint contingere tribus modis, vel si ita mavis, quod sint triplicis generis.

1<sup>o</sup>: Possunt fieri in signum amicitiae, qualiter Parentes solent osculari proles, amicus amicum, consanguineus consanguineam, v. g. in discessu ad alibi habitandum, vel in longi itineris reditu. Huc reducuntur oscula urbanitatis in illis regionibus, ubi moris est, quod amici invicem in adventu vel discessu osculentur, & ubi praxis illa floret, inducta est ad fovendam mutuam amicitiam & charitatem: sic osculabatur Isaac filium suum Jacob dicens:

Gen, 27,

*accede ad me, & da mihi osculum fili mi.* Et cap. 29: Jacob videns Rachelem filiam avunculi sui, *osculatus est eam, & elevatâ voce flevit, & indicavit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebecca.*

7. De his & similibus osculis, & idem est de tactibus partium honestarum, puta consanguineam manu domum deducere, &c. Dico quod nullum sit peccatum: quia hic nihil intervenit, quod sit contra Legem Dei vel naturæ, quin imò ipse Apostolus scribens ad Romanos dicit: *salutate invicem in osculo sancto.* Sed notate, quod non simpliciter dicat in osculo, sed in *osculo sancto*, ut omnem ansam fidelibus eripiat, seipso decipiendi vel putandi in nullis osculis reperiri malitiam: *in osculo sancto*, inquit, quod in primitiva Ecclesia fiebat, quando invicem salutabant & osculabantur dicentes: *Pax tecum*, & inde adhuc in Ecclesia ea viget consuetudo, quod in Missa solemnî Diaconus accepto osculo à Sacerdote (hoc modò tantum simulativè fit) ante Communionem, cum *Pax tecum*, ipse Subdiacono, Subdiaconus cæteris Clericis idem faciat. De hoc non est dubium quin liceat, imò quando fit eâ intentione, quâ inter primos fideles institutum est, & modò in Missa continuatur, quin sit osculum sanctum & meritorium. Sed de illo hodie agere non intendo.

Ad Rom, 16,

8. Secundi generis oscula sunt, quæ fiunt causâ delectationis carnalis & venereæ, quæ indè inter personas diversi sexûs oritur, vel saltem oriri nata est. Porro sicut de priori non est dubitum, quin bonum sit & sanctum, sic de hoc non est dubium quin malum sit & peccaminosum, & quidem peccatum talis speciei, qualis est persona osculans & osculata, si ad eam delectatio ex osculo proveniens dirigatur, quia si verum est, quod Christus dicit, *qui videris mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo*, quanto magis, si ad illum finem quis personam alterius sexûs osculetur? & de talibus osculis agens Apost. dicit: *omnis immunditia nec nominetur in vobis*, qualis indubiè simile osculum est: & quam grave sit peccatum ex se, secluso etiam ulteriori progressu, satis indicant verba quæ subsequuntur: *qua prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Tertii generis osculum est, quod fit causâ delectationis ipsius osculi, præcisè secundum se considerati, de quo varii dicunt illud libidinosum & semper peccatum mortale esse. Ut veritas profundius indagetur, & nec peccatum dicatur, quod peccatum non est, nec etiam à peccato excusetur quod mortaliter peccaminosum est, puto cum aliis Theologis hic adhuc faciendam distinctionem: vel enim illa delectatio, quæ oritur ex osculo, secundum se considerata, talis est, ut nulla indè oriatur, vel proximè nata sit oriri commotio carnalis, ut ordinariè fieri solet in matribus, ancillis, nutricibus, &c. quæ cum multa satisfactione, suavitate & delectatione osculari solent infantes, sine minima delectatione venerea vel periculo in illam consentiendi: nec putem quod aliquis inveniatur, qui illud aliquis saltem gravioris peccati condemnet.

10. Nullatenus etiam de similibus osculis hic ago, sed solum, & præsertim de iis quæ fiunt & fieri solent inter personas disparis sexûs, inter proco

& procatas, de quibus dico, quòd semper sùnt peccatum mortale, quando fiunt etiam tantum ratione delectationis, quæ oritur ex ipso osculo, ac tactu vel amplexu, etiam non intendendo ulterioris actus consummationem. Ratio est: quia in illis osculis semper vel est delectatio & cõmotio carnalis, vel ex natura rei nata est subesse: subsumo: sed omnis commotio carnalis quæ non ordinatur ad licitum concubitum, & voluntariè per actus positivos procuratur, semper est mortalis, ergo, &c. Quod ne alicui paradoxum appareat, stabiliamus illud auctoritate SS. PP. & Ecclesiæ, atque ita sit

## PARS II.

11. **Q**uamvis oscula, tactus & amplexus, uti jam explicavi, communiter præsertim à juventute æstimari non soleant, imò plurimi scrupuli materiam in iis non inveniunt, tamen esse peccata mortalia ex SS. PP. demonstrare intendo, ac primò in theatrum prodeat S. Basilius, qui dicit: *formosorum oscula cavere oportet, non secus quàm animalium venenatorum morsus.* Quantà curâ & sollicitudine evitet unusquisque morsus animalium venenatorum & canum rabidorum, melius omnes norunt quàm quòd ut hîc explicem necesse sit; & quis est ad eò vitæ suæ prodigus, qui in periculo quò à serpente vel rabido cane morderetur, & sic venenum per totum corpus ejus spargeretur, ac sic miserè periret; quis est, inquam, qui hoc periculum non effugeret? non minùs, inquit S. Basilius, oscula, præsertim si inter personas disparis sexus amor connaturalis interludat, caveri debent: & quare hoc? causam subdit idem S. Pater, dicens: *diffunditur enim virus ex osculo per totum corpus.*

12. Hoc est N. N. quod intendo, hæc est ratio nostræ doctrinæ, hoc est quod dixi & dico, nempe quòd, quamvis vos centies protestemini, quòd indè non commoveamini; quòd inquam ex natura rei nata sit subesse delectatio carnalis vetita. Undè sic rectè, & pulcherrimè inter hæc duplicis

generis oscula discernit S. Thomas, dicens: *si ista fuerint sine delectatione libidinosa, id est sine motione spirituum circa libidinosas partes, qua emotio non fit sine delectatione, & sine interventione talium, tunc acciperentur secundum se, & non essent mortalia.* Hoc est quod dixi de osculis matrum, ancillarum, &c. De iis autem de quibus nunc ago, sic pergit Doctor Angelicus, *sed hoc est difficile & periculosum, & ideo cavendum.* Addo ego (liceat mihi tantum) hoc est moraliter impossibile, loquendo de osculis personarum disparis sexus procantium, familiarium agentium, invicem adamantium, &c.

S. Thom.  
2. 2. q. 554.  
art. 2. in corp.

13. Scio quid similes cogitent, quid inter se dicant, rigorosum hoc nimium in hac materia dicunt, vel potius ut mihi semel nonnemo dicebat, Pater non scis quid sit procari (transeat) si illa omnia essent peccata mortalia, nemo unquam ad matrimonium perveniret, nisi sæpissime peccaret mortaliter: quod sic probabat: quia vix ullus eò pervenit nisi prius procetur, & vix ullus procatur nisi similia faciat. Hoc ergo vos prætenditis? non ego, transeat totum quòd ita ordinariè fiat, & quòd illud magis verum est, eò magis deplorandum est: & indè indubiè evenit, quòd tot infausta reperiantur matrimonia, nempè quia pauca sunt quæ verè cum timore Dei aggrediuntur vel perficiuntur. Sed, obtestor vos, an quia multi malè faciunt, indè illud facere minùs peccatum est? an quòd in Sodoma & Gomorrha ferè omnes essent Sodomitæ, ideò minus execrabiles fuerunt ante faciem Dei? an, quia dicit David *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ideò illi à peccato excusantur? ô frivolam excusationem!

14. Itaque propterea N. N. non relinquam dicere quod verum est, non relinquam veritatem, sicut à parte rei est, vobis aperire. Dicite ergo juvenes atque puellæ, dicite uxorati ac maritæ, dicite & clamate illud apud Belgas commune, *cusfen en is gheen sonde, het gheschiet al met de monde*.

ego nihil mali intendo, nihil mali sentio, est tantum recreationis & amicitiae gratia, de eo conscientiam facere solorum scrupulorum est, dicite hæc & replicate centies, ego dico quod vosmetipsos decipiat, quod iniquitas mentiatur sibi, uno verbo candidè dico, parcitis veritati. *Scio cui credidi & certus sum.* Malo credere SS. PP. malo credere Ecclesiae DD. malo & volo credere Decisionibus Romanæ Ecclesiae. Audiamus hos testes. Clemens Alexandrinus verissimè dicit, *oscula impudicitia sæpè virus immittunt.* Cur non reverà, quantum est ex natura rei, semper emittunt? & hæc videtur illius intentio, ut colligere possumus ex iis, quæ statim subdit: *an nescitis, quia etiam phalangia, si ore tantum tangant, graves dolores hominibus afferunt?* Q. D. non minus faciunt oscula libidinososa inter personas disparis sexus. Dicat ergo juvenis quod voluerit, rideant & explodant omnia hæc tanquam scrupulosa, clament continuo, *cussen an is gheen sonde, &c.* dico ego cum S. Clemente, *an nescitis quia etiam, &c.*

15. Hoc autem contigit mihi sæpius. & omnibus Confessariis apparet intolerabile, quod si in Confessionali à pœnitentibus, de quibus merito suspicantur, similia petant, eosque desuper interrogent, (pauci sponte fatentur) etiamsi Cicerones essent, vix illis persuaderent, quod similia sint gravia & periculosa peccata, quod illa & ista omittere debeant, quod nisi firmum & efficax se emendandi habeant propositum, incapaces sint absolutionis, &c. dicant inquam millies, & non persuadebunt. Undè autem hæc omnia? nisi, ut ait David, *noluit intelligere ut benè ageret.*

16. Hoc saltem vos rogo N. N. & pro amore Dei vos obtestor, nolite putare quod rem supra veritatem exaggeremus, non decipimus vos, nec in eo sumus Rigidistæ: si non creditis rectæ rationi, si non Theologis & DD. si non auctoritati SS. PP. saltem fideles estis & Catholici, proinde

*Blam. Alex.  
lib. Pedag.  
p. 11.*

ad minus credite decisioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matris vestræ : ecce Alexander VII. tanquam supremus & bonus Pastor , ne oves curæ suæ commissæ , ulterius hâc peste corrumpèrentur ac perirent , atque ita sub specioso hoc pallio deciperentur , tanquam infallibilis Ecclesiæ Doctor & Christi in terris Vicarius condemnavit sequentem doctrinam tanquam perniciosam , scandalosam , &c. eamque sub pœna excommunicationis doceri vetuit : *est probabilis opinio , qua dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem , qua ex osculo exitur secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis*. Ecce ibi est doctrina universalis Ecclesiæ , quam omnes Doctores modò tenent , & docere obligantur , quæ in Scriptura sacra , recta ratione , & SS. Patribus fundatur.

17. Vultis modò scire rationem fundamentalem , quare talia oscula à DD. dicantur mortalia , & contrarium à Sancta Sede damnatum sit ? ecce ibi quam summo ex natura rei , & explicatur à S. Bern. qui agens de delectatione venerea , sic dicit : *hæc pestis , loquitur autem de stimulo carnis , eò ad nocendum proclivior est , quò ad repellendum difficilior , subtiliter intrat & mentem occupat , & nisi citò repellatur , allicit & accendit*. Ecce loquitur de tentationibus carnalibus , quæ sponte & ex naturæ corruptione exurgunt , de quibus dicit quòd sine pestis , quæ facillimè mentem animamque per consensusm inscit ac necat , quæque ad curandum est difficillima. Sed quare hoc ? colligite ex eo , quòd dicat , *subtiliter intrat*.

18. Si ergo illa delectatio carnalis suâ sponte etiã sine occasione data subtiliter intret , & facillimè hominem accendat , ac ad consensusm pertrahat , quis sani cerebri poterit dicere , quòd ille qui causam naturalem & excitativam , uti sunt oscula , de quibus hîc agimus , voluntariè dat , undè ex natura rei natum est , ut motus & delectatio sicut & consensus ordinariè oriatur , non exponat se ma-

nifesto peccati mortalis periculo, nempe consentiendi, quamvis poenitentes seipsos palpantes millies protestentur contrarium? hinc enim ordinariè iniquitas mentitur sibi. Imò etiam secluso hoc periculo, secundum mentem Pontificis est mortale. Ratio est: quia omnis commotio vel delectatio venerea positivè procurata; nisi in ordine ad proles procreandas vel incontinentiam vitandam in matrimonio cohonestetur, semper est peccatum mortale, & prohibita hoc præcepto, *non machaberis*, nec eatenus in materia Luxuriæ datur parvitas materiæ, sed oscula talia, de quibus agimus, ex naturâ suâ ordinantur ad commotionem carnalem, ergo &c. & hæc est ratio, ut putem, fundamentalis, quare Pontifex contrarium damnaverit.

Exempl. 22.

19. Prudentes ergo omnes, præsertim juventutem, sic monet Sapiens: *fovea profunda os aliena, cui iratus est Dominus, incidat in eam.* Per os alienæ rectè hinc intelliguntur oscula vel tactus disparis sexus, sicut illum locum intelligit ac explicat V. Beda dicens: *qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsat, citòque mergitur, si pedem cautus non retrahit, si non membra reliqua à vicinia cohibet fovea pœnalis, in quam nullus omnino nisi stultus ira labitur.* Q. D. qui in foveam labi non vult, terrâ circumquaque existente lubricâ, procul ab illius ore recedere debet: sic qui non vult in fornicationis barathrum labi, vel saltem per libidinosum consensum animam mortaliter vulnerare, longè se coërceat à mulierum familiaritate, longius autem ab osculis vel tactibus. Alioquin sicuti qui incautè ad profundi alicujus putei oram accedere non veretur, propter terræ lubricitatem vento impellente vel capite ob profunditatem turbato impingere & irreparabiliter cadere sæpè solet, ita qui improvidè ad colloquium & familiaritatem mulierum, quasi ad os putei accedit, vento tentationum impelli, & osculis capi venenoque ex conta-

Quæ emanante infici non raro solet.

20. Subdit Sapiens : *cui iratus est Dominus , incidet in eam*. Quod dupliciter intelligi potest; semel, hæc omnia illis certius imminant , qui divinam iram per alia crimina vel excessus jam promeruerunt; sit enim sæpè, ut qui alia peccata admiserunt à quibus non esset adeo difficile resipiscere, in turpem amorem incidant , à quo vix emergunt. Aliter , & melius ad propositum meum : qui superbiendo colloquia , tactus , oscula & noxias mulierum familiaritates parvi faciunt , & tamquam levia juventutis vitia contemnunt , justè similibus Deus permittit, ut in hanc vel graviolem ruinam cadant & pereant. Ad quod facit illud Augustini : *nonnumquam dejicit Deus occultam mentis superbiam , per manifestam luxuriam ruinam*. Experti loquantur & patebit veritas. Sed hæc sufficiant ut finiamus, & sit

21. **V**idimus modò N. N. quàm periculosa sint & mortifera oscula inter personas discaris sexus; vidimus quomodò ad plurima & gravissima peccata deducant ; vidimus quandonam sint peccata mortalia , quandonam autem non. Quidnam ergo finiendo dicam melius , quàm illud Sapientis , *cum muliere aliena ne sedas omnino , nec accumbas cum ea super cubitum*. Sed quare hoc? prævidè dixerat : *quia vincula sunt manus illius*. Si vincula sint manus illius , prudenter & christianè inferamus : ergo non sunt attingendæ , ne capiamur ; nec sermones earum sunt attendendi , ne irretiamur ; nec faciei pulchritudo admiranda , ne excæcemur. Optimè , ait Sapiens , sic est : *quia favus distillant labia meretricis , non sferza autem ejus amara sicut absinthium*. Sed numquid miramini N.N. quòd labia meretricis favo nectis comparentur ? non miremini ; quia non ob aliud favo comparantur, nisi quòd propter suavitatem sermonum illecebra sint libidinosi amoris. In hoc loco hanc locum sic discerit Hugo Card. *si quis favo & ceram considero, mel & ceram, sic in fove meretricis visco*

EPILOG.

Eccles. 9.

Eccles. 7.

Prov. 5.



*decorem & gratiam; hoc est pulchritudinem oris & dulcedinem sermonis, Sed quomodo, dices, inde sequitur quod novissima ejus sint amara quasi absinthium? attendite.*

22. Experientia docet, quod cera succendat ignem, sed mel præbeat dulcedinem; sicut ergo cum dulcore mellis latet cera fomentum ignis, sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat corpus, blandimentis vero & lenociniis subvertit mentem. Stillat mel, dum meretrix blandiendo verba sua emollit; sed ignem accendit, dura suæ voluptatis stimulos immittit. Sed quid inde? *novissima autem ejus amara quasi absinthium.* Deciperis profecto ô cæca juventus! si omnes blanditias meretricias pro melle habeas: ad hoc enim diligit mulier ut decipiat, decipit ut capiat, diligit non tam quod es, quam illud quod habes. Ideo non illepide quidam dixit: vocativos oculos, ablativos oculos gerit mulier, dativus si fueris, genitivus eris. Unde hinc iterum usu venit illud:

*Premissas MELLIS sequitur conclusio FELLIS.*

23. Itaque N. N. si hæc omnia effugere velitis, *1. ad Cor. 7.* dico cum Apostolo, *fugite fornicationem.* Fugite occasiones, in fuga consistit victoria, numquam hic vanè timetur, quia numquam non homo hic periclitatur. Idcirco iterum dicit Apostolus: *bonum est homini mulierem non tangere, & è converso idem est de mulieribus respectu virorum.* Sed quate hoc? qui procul ab igne est, procul est & ab incendio; qui tangit picem, inquinabitur ab ea; & qui amat periculum, peribit in eo. Unde super citata verba Apostoli S. Hier. pulcherrimè dicit: *non dicit Apostolus, bonum est uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quod qui illam tetigerit, non evadat.* Nimis enim est proclivis natura ad carnalia, nimis facilè exurgit libido, ad minimam ignis scintillam in corde & in corpore ebullit libidinis impetus, & quasi violentè hominem ad delectationem carnalem trahit.

S. Hieron.  
lib. 1. com-  
tra Jovi-  
niam.

24. Igitur N. N. *fugite fornicationem*; fugite pericula, fugite quidquid latentem & medullitus insitum illum ignem valeat excitare, & quantumcumque fugeritis, credite mihi, tentationes sese satis ultrò ingerent, etsi per oscula & tactus eas non excite-  
tis, quod praticare, & in juventute sine tam communi juventutis vitio vivere, si durum & difficile appareat, non tamen erit Deum animæque salutem diligentibus, & cum gratia divina depravata naturæ pronitati viriliter resistentibus, quod ut durum non sit, imò ut leve & suavè reddatur, cogitate sæpè & seridò quod dicit Apost. *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*, & super hæc verba S. Gregorius, *delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum*. Quam victoriam, coronam & gloriam tribuat nobis Pater & Filius & Spiritus sanctus. AMEN.

S. Greg.  
hom. 37: in  
Evang.



## CONCIO LXI.

*De periculoso mulierum aspectu.*

THEMA. Non mœchaberis. *Exod. 20.*

I. Olim moris erat, ut in Amphitheatris gladiatorum spectacula exhiberentur, ubi circumquaque confluentè populo gladiatores se invicem vulnerabant, imò non rarò interimebant, quo miserabili & crudeli spectaculo insanus populus oculos animosque oblectabat: talia spectacula admodum suis temporibus publicè exhibita fuisse testis est S. Augustinus, & notatu dignum est, quod semel in iis intimo ejus amico Alipio contigisse idem enarrat: hic enim sive ex modestia, sive ex naturæ lenitate, numquam similibus spectaculis interesse volebat; semel equidem importunis amicorum precibus eò ductus, nunquam oculos aperire apud semetipsum firmiter statuerat, sed & religiosè observabat: & ecce unus ab alio fugatur, vulneratur, ceditur; extollitur vulgi clamor, excitatur strepi-

EXORD.

tus, Alipius curiositate victus oculos aperit, & quid inde? *percussus est graviore vulnere in anima*, ait S. Aug. *spectavit, clamavit, exarsit*.

2. Sic reverà, quod contigit Alipio, plurimis, quamvis in alia materia, contingere quotidie solet. O quot inveniuntur dum personas disparis sexus imprudenter, nimis curiosè, ac fixè aspexerunt, mox verissimè dicere potuerunt, spectavimus, clamavimus, exarsimus! meretur res ut similitudine explanetur. Considerate solum quomodò cuniculi subterranei pulvere nitrico repleti, unâ sæpè scintillâ imprudenter decedente in aërem excussi omnia circumquaque, homines, jumenta, ædificia subitâ clade, affecerint atque subverterint. Non aliter fit in præsentī materia: ô quot boni, sancti, casti, uno imprudente oculorum jactu ignem conceperunt, qui statim maximum excitavit incendium, illosque secundum animam miserimè perdidit! & quomodò hoc? *eenen dronck, eenen lonck, eenen vonck, Myne sponck*. Hoc est, quod communè intendit axioma, *parva sæpè scintilla contempta, magnum excitavit incendium*. Hinc rectè omnes monet Sapiens, *ne capiari oculis*.

2. Vidimus in præcedentibus Concionibus, quomodò Diabolus varia tendat retia, quibus incautorum hominum animas capiat, perdat, occidat. Inter omnia autem retia vix est unum quo plures hominum animas capiat atque decipiat, quam oculis humanis: undè benè dicit S. Ambrosius, *ipsi nobis oculi retia sunt*. Et iterum infra: *multa retia tenduntur à Diabolo, multa retia sunt, angulus meretricis, laqueus amatoris*.

Ne ergo N. N. his Diaboli laqueis & retibus imprudenter capiamur, hodie de iisdem agere intendo, explicando nempe quomodò rete Diaboli sit immortificatio oculorum, & ut (prout soleo) in hac materia ordinatè procedam, parte 1mâ ostendam quomodò, quando, & quale peccatum sit incautus sicutque alterius sexus aspectus. Parte 2dâ

S. Ambr.  
de Panit. c.  
24.

tot & talia motiva adferam, quæ ab immortalificatione oculorum, ne per illos miserè pereamus, efficaciter nos detertere valeant. Sed priùs dicamus

## A V E M A R I A.

PART I.

4. Scribæ & Pharisæi qui toties à Domino nostro Jesu Christo in Evangeliiis durè corripuntur, & ab eo cæci ac duces cæcorū appellantur, utpote qui Legem divinam explicabant ita, ut eandem in multis suis interpretationibus depravarent; quod sicut in multis materiis fecerunt, sic particulariter explicando hoc præceptum Dei *non mœchaberis*. Undè & illos Christus impietatis arguit, ac qualiter intelligendum sit illud præceptum evidenter docet, dicens: audistis quia dictum est antiquis, *non mœchaberis*, quod ipsi explicabant, quasi eo præcepto tantum peccata externa adulterii, non autem interna voluntas illud committendi prohiberetur: & præcepto *non concupisces uxorem proximi sui*, solùm aspectus, oscula & tactus impudici interdicerentur, non autem concupiscentia interna. Christus autem corripit eos, & ostendit Lege divinâ etiam voluntatem mali comprehendendi & prohiberi: quod adeò verum est, ut peccatum externum principaliter à Deo prohibeatur propter internam voluntatem; quia actus externus sine peccato potest subsistere, v. g. in dormientibus vel dementibus, numquam autem libera voluntas ad ipsum opus.

5. Audiamus ergo quid Salvator dicat: *ego autem dico vobis*, ait, Q. D. hoc quod vos ab antiquis vestris Doctoribus Scribis & Legis-peritis audivistis, & quod vos populum docetis, quasi opus externum tantum prohibeatur, falsum est: præindè ego dico vobis, *qui videt mulierem ad concupiscendâ eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Iterùm *Matthi c. 7.* idem adhuc clariùs docet, dum, ut testatur S. Marcus, Salvator turbas ad se vocavit: sed quid dixerit eis, attendite & considerate: *si quis habet aures audiendi audiat. Quid hoc, si quis habet aures*

profecto, non putem omnes ibidem presentes fuisse surdos, imò, probabilius neminem surdum fuisse, cum omnes Christum sequerentur, ut audirent verba ejus; quid ergo si quis habet aures audiendi audiat? utique significare volebat ut non solum aure carnis, sed maxime aure cordis audirent & intelligerent. Nec dubitandum est quin sit res summi momenti, ad quam audiendam Christus tot ante verbis eos provocat; & ut attentis sint admonet. Sed quid tandem hoc? *ab intus*, ait, *de corde hominum mala cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, impudicitia, oculus nequam.* Quid est impudicitia, nisi oscula, tactus & similia? quid oculus nequam, nisi oculus impudicus? *een dertel ooghe.* Et ne dubitemus hæc omnia peccata esse, & quidem talis speciei, qualis foret opus exterius, statim addit: *omnia hæc mala, notate, mala id est peccata, ab intus procedunt. & coinquinant hominem.* Notate *coinquinant*, nempe non tam corpus quam animam, utpotè quam Dei gratia privant, mortaliter lædunt, ream faciunt gehennæ ignis.

Sed videamus quomodo, quando, quale peccatum sit aspectus lascivus: quod ut fundamentaliter sciamus, prænotandum quòd aspectus disparis sexus possit fieri tripliciter, sive quòd ex aspectu creaturarum triplex possit percipi delectatio. De quo jam fufius ago.

6. Primò aliquis ex aspectu delectari potest spiritualiter, & sic dicit Propheta David: *Delectasti me Domine in factura tua.* Creaturæ enim sunt quasi liber scriptus digito Dei vivi, ex quo tamquam per scalam ascendere possumus ad Deum, & legere mirabilia opera divinæ potentie, providentiæ & misericordie, ut sic Deum cognoscentes Creatorem creaturarum adeò delectabilium & formosarum diligamus. Quod quomodo fieri possit ac debeat, explicat S. Hieronymus scribens super citata verba Psalm. 91. *quocumque aspexero, inquit, delectas me. intelligo enim factore & benedico Deum,*

*& in operibus manuum tuarum exultabo.* Quomodo autem, sic fieri possit ex omnibus creaturis, ostendit exemplo arborum. *Videō arborē, sic pergit, & considero quomodo cortex arboris est quasi tunica quā vestitur, & quasi germen viret: & deinde considero quomodo flos sit, quomodo flos cadat, & ipse flos vertatur in pomum.* Sed quid inde? *propterea, inquit, exultabo in te Domine.*

7. Nunc autem ad propositum. Si aliquis sic aspiceret personam alterius sexus, ut exinde exurgeret in laudem Conditoris, quis dubitat quin bene faceret, & delectatio quam inde hauriret bona & laudabilis foret? sed heus vos curiosi homines, nolite decipere vos ipsos, nolite dicere, mulieres, puellas, formosos adolescentulos aspicio curiosius, ut inde exurgam in laudem Conditoris; nolite inquam sic dicere, quia latet anguis in herba: non propterea aspicitis ut inde Creatorem laudetis, sed ut satietis oculos, nuntios impuri pectoris & affectus quem corde fovetis.

8. Ad propositum narrat Beyerlinck, quod, cum viro illustri adstaret alter in templo ei non inferior, & ingrediente puellā genere & formā nobili, iste illam undequaque fixis oculis aspiceret; alter hoc animadvertens, ostendit satis sibi displicere; quod ille non ignorans, mox illud Davidicum alteri objecit, *delectasti me Domine in factura tua;* ad quem non minus dexterē alter respondit; perge potro; bene argumentaris, sed perge obsecro in argumento, & quod idem David adjungit, *considera: vir insipiens non cognosces, & stultus non intelliget hac.*

Si & ego hodie vellem illos & illas reprehendere quorum capita etiam in Templo Dei, adinstar venti quaquaversum vertuntur, ut videant & satient oculos pulchritudine puellarum, mulierum vel juvenum intransantium & exeuntium, numquid nasuti & politici plerique hujus sæculi mihi occinerent, *delectasti me Domine in factura tua?*

9. Certè plerique, etiam puellæ, vel legunt, vel

legere volunt, & tamquam jus prætendunt legendi Scripturam Sacram, ut similibus sarcasminis verbum Dei irrideant eoque abutantur. Sed concedo vobis, bonus est ille aspectus, si propterea aspiciatis ut delectemini in factura Creatoris vestri, dummodo omne peccandi periculum absit: quod cum ordinariè adsit, imò plerumque aspiciant, non ut per creaturas tamquam per scalam ad Creatorem ascendant, sed ut creaturis, si non corpore, saltem mente & affectu cum injuria Creatoris abutantur, rectè dico vobis: *vir insipiens non cognosces, & stultus non intelliget hac.* Profectò insipiens & stultus ille convincitur, qui eandem viam voluntariè ingreditur, in qua millenos corruisse & periisse novit: hoc autem per curiosos similes & minùs castos aspectus quoad animam millenis contigisse & contingere in dies, non potestis ignorare, quod & ego statim clariùs ac fusiùs ostendam. Benè ergo David de vobis dixit: *vir insipiens non cognosces, & stultus non intelliget hac.*

10. 2dò. Potest ordinari aspectus ex mera curiositate, ut quis in creatura delectetur præcisè eatenus, quatenus est creatura gratiosa sine periculo alicujus consensùs in delectationem vel concupiscentiam veneream. V. G. aliquis curiosiùs respicit ad mulierem, ut vestitum ejus, gressum, ornatum, colores vestium & similia videat ibi sistendo, & delectatur in eo quòd mulier gratiosa sit: & tunc ad summum est peccatum veniale ob curiositatem & aliquale periculum, quamvis & hoc omnibus, qui salutem animæ suæ cordi habent, quàm maximè dissuadeam, utinam & efficaciter! nam Spiritus Sanctus non errat, dicens, *qui amat periculum, peribit in eo.*

11. 3tò. Ex visu personæ alterius sexùs percipi potest delectatio venerea, in quam si voluntas liberè consentiat, certum est quòd sit peccatum mortale, & quidem talis speciei, qualis es tu videns & persona à te visa seu concupita. Hoc clarè patet ex  
 verbis

verbis Christi jam citatis, *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Idque adhuc verum est, siue intendas per visum eam concupiscere, siue non: quia ut bene notat à Lapide super illà *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam*, *ly ad* non tantum denotat finem, quasi ad illum finem, scilicet ad concupiscendum aliquis deberet aspiciere, sed etiam sequelam, quasi sensus sit, qui viderit mulierem, ita ut concupiscat eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Unde tam bene peccat mortaliter, qui sine intentione eam concupiscendi mulierem videns concupiscit, quàm qui aspicit eo fine ut concupiscat, cum hac tamen differentià, quòd qui videt ut concupiscat, semper peccet mortaliter, siue postmodum a parte rei concupiscat siue non: alter verò tantum peccet si concupiscat, aliàs non, secluso scilicet proximo periculo concupiscendi & aliis circumstantiis. Exempla horum multa sunt in Scriptura Sacrà. Sic senes illi qui à Daniele vocantur inveterati dierum malorum, viderunt Susannam *in pomario viri sui*, Daniel. 132. & *exarserunt in concupiscentiam ejus: & observabant quotidie sollicitius videre eam.* Ecce illi intendebant concupiscentiam, imò, ut postea sequitur, etsi nulla amplius illis spes foret adulterandi, jusserunt tamen eam discooperiri *ut vel sic satiarentur decore ejus*, ait Sacer Textus. Ecce ex se est peccatum mortale, etsi ipsum opus desperares.

12. 2dò. Est peccatum mortale, si aliquis, dum fixè & ex proposito personas alterius sexus aspicit, per experientiam sciat inde oriri in se graves carnis tentationes, quibus sæpè solet consentire, & hoc siue in particulari casu consentiat, siue non. Ratio est: quia voluntariè se exponit proximo peccandi periculo, ubi tamen regula generalis & certa est, *qui amat periculum, peribit in eo.* Unde meritò omnes præmonet Sapiens, *averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi pe-*

Eccl. 32



Ecl. 9:

*vierunt. Et iterum eodem capite, virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius, sive ille naturalis, sive fucatus sit, ne scilicet eam videns, simul concupiscas, atque ita mœcheris.*

13. Dicitis forsitan, Pater, si hæc vera sint, ergo deberemus clausis oculis ineedere. Hoc non dico N. N. sed nec necessarium est. Quid autem velim, vobis melius quam ego explicabit S. Chrysostr.

S. Chrysostr.

Hom. 3. de

verb. Isaiæ.

*Non dixit, ait, ne videas, id enim nonnumquam fit ultrò, sed nè cognoscas: illud tollens, ne studio animadvertamus, ne curiosè intuearis, ne contemplationi immoreris. Et adhuc clariùs S. August. Reg.*

3. c. 21. *Oculi vestri, inquit, etsi jacentur in aliquam scæmularum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, scæmas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminofum est. Unde visus inanimadvertenter factus, non censetur culpabilis, quia non est voluntarius, sed qui fit ex proposito, qui fit cum periculo concupiscendi.*

14. De cætero quòd omnis curiosus mulierum intuitus viris indecens sit, quodam die edocuit S. Ephrem, mulier quædam procax casu ei occurrens, aut potiùs divino impulsu: cùm enim ille singulari quodam instinctu ad pietatem majorem sublimioremque vitam complectendam moveretur, eoque studio Edessam tenderet: sic secum dixit, sic precatus est: *O Jesu Christe, omnium Domine, concede ut Edessam civitatem ingrediens, in talem virum statim incidam, qui sit idoneus ad differendum mecum de iis, qua ad anima adificationem pertineant, & utilitatem. Cùm sic orasset, atque ad portam Civitatis pervenisset, cœpit cogitabundus secum attento sollicitoque animo expendere, quomodo virum illum optatum accederet, & quænam ex illo ad majorem utilitatem vitæque perfectionem esset interrogaturus. Cùm sic cogitabundus incederet, ecce illi mulier quædam levicula & meretrix, in ipso portæ introitu facta est obviam. Cùmque defixis in eam oculis quasi emotæ mentis subsisteret,*

& tristi perturbatoque animo totqueretur, quod non ut precatus fuerat, sed contrarium potius votis ipsius accidisset; coepit & illa eum sic stantem acerrimo obtutu contemplari. Postquam verò sic diu se invicem aspexissent, volens eam pudore afficere & ad verecundiam adducere magnus Ephrem, *quid verò*, inquit, *non erubescis mulier, tam fixis oculis nos intuens?* illa autem: *michi convenit sic te aspicerere, ex te enim sumpta sum, & tuo latere. Te verò non nos, sed terram potius oportet aspicerere, ex qua ipse sumptus es, & in quam rursus revertèris.* Hæc cum audisset, magnas mulieri retulit gratias, propter eam quam ab ipsa acceperat utilitatem. Ita Surlius Tom. 1. Feb. ex Metaphrast. Ut autem clariùs videamus quàm periculosus sit incautus mulierum aspectus, aliqua exempla proferemus, quibus S. Scriptura abundat, pro quo sit

15. **S**I indagarem originem omnis miseræ, cui humanum genus subjacet, & peterem ab uno quoque vestrum quænam sit prima causa seu potius occasio illius, nemo adeo idiota est, quin statim responderet, quod sit peccatum originale, quod sit transgressio præcepti divini, quod sit culpa primorum nostrorum parentum: & benè diceret, sed rem hanc & curiosius & auctius indagare volo & scire, quænam fuerit occasio, quod primi Parentes nostri tam facile mandatum Dei transgressi sint, non oportet longius quærere, Scriptura Sacra fatis innuit; loquens enim de fructu vetito, dicit: *vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile.* Sed quid inde? quid in eo mali quod videret? videre certè non erat ei vetitum. Sed eheu! quid inde provenerit experimur tantum nimium! inde lethale illud venenum visu haustum per totam generis humani massam fuit dispersum, vidit, & statim, ait Script. *tulit & comedit, & comedendum viro obtulit.* Ex quibus sic argumentor. Si Eva pomum non vidisset, nunquam concupivisset, si non concupivisset, non

PARS II.

Genes. 7.

decerpisset, si non decerpisset, viro non præsentasset, nec ambo comedissent, tot miseris humanum genus non subjaceret, ergo à primo ad ultimum, si Eva pomum non vidisset, nec nostri protoparentes, nec tota illorum posteritas maledictioni divinæ subjaceret.

16. Quæ cum attentè considerat mellifluus Doctor Bernardus, se continere non potest quin Evam his verbis alloquatur: *quid tuam mortem tam attentè intueris? quid spectare libet quod manducare non licet? oculos, inquit, tendo, non manum: non interdixit ne videam, sed ne comedam.* Numquid justa excusatio? quid in eo mali quòd Eva pomum videret, quòd in pulchritudine illius delectaretur? numquid inde poterat sumere occasionem Creatorem illius laudandi? poterat utique: quid ergo in illo mali? audite eundem Bernardum: *etsi culpa non est, inquit, culpa tamen occasio est.* Clamate modò, ô effrænes homines, clamate, ridete & exhibilate Prædicatores, tamquam de culice camelum facientes, allegate excusationes in peccatis ut vos ipsos decipiatis, dicite quòd visus gabellis non subiaceat, quòd in se malus non sit, &c. quidquid dixeritis, oppono vobis Bernardum: *etsi culpa non est, culpa tamen occasio est.* Ex quibus omnibus rectè concludo cum S. Hieronymo; *hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter vivimus, si Mater viventium per oculos ad mortem venit.*

S. Hieron.  
in c. 3.  
Thren.

17. Sed progrediamur ulteriùs, nec tamen extra S. Scripturam currere debemus. Ecce S. Chrysostrmus ducit nos ad theatrum, sed tragœdiam proponit nimis deplorabilem. *Contigit, inquit, ut David meridie deambularet in solario domus Regiæ, qui curioso oculo eminèns vidit mulierem lavantem se ex adverso super solario suo. Erat autem mulier pulchra valde: sed pulchritudo non est in culpa, quia pulchritudo Dei donum est.* Nonne hoc vobis placet?

hoc est quod & vos dicitis ; numquid ergo S. Chry-  
 sost. vestræ favet curiositati ? numquid vult licitè  
 curiosis aspectibus indulgeri posse ? attendite : ecce  
 hîc S. Pater vos alloquitur : *audiant curiosi*, inquit,  
*qui pulchritudines considerant alienas , audiant qui*  
*ex spectaculis insaniant theatralibus.* Si hoc misero  
 & depravato tempore viveret S. Chrysofostomus ,  
 adderet indubiè, qui frequentant *de ballen en assam-*  
*bleen , de dans Scholen* similesque congregationes ,  
 audiant, dicit, *qui ad excusandas excusationes in pec-*  
*catis dicunt: spectavimus quidem, sed nihil nocemur.*  
*Cantavimus , saltavimus , sed nihil nocemur.* Ride-  
 re videmini & vobis ipsis applaudere ac ablandi-  
 ri : sed necdum statim finis, audite totum. Sic per-  
 git , *David talis ac tantus lusus est , & tu putas te*  
*non posse ladi ? ille natus est , qui tantam habebat*  
*Spiritus gratiam : & tibi quomodò credere potero te*  
*sine vulnere evasisse ? & quare hoc non crederes*  
 Sancte Pater ? dicunt , protestantur , malè sumunt  
 in confessionali si Confessarius simplici eorum ver-  
 bo non assentiatur , ipsis credi debet qui pro se &  
 contra se in illo sacro Tribunali agunt. His non  
 obstantibus , S. Chrysofost. dicit quòd credere non  
 valeat , *cùm tanta sint*, inquit , *corruptela , tanta*  
*precipitia , quomodò possum tibi credere quòd à tali-*  
*bus bestiis vulneratus non sis ? numquid lapideus es*  
*aut ferreus homo communis natura subditus infirmi-*  
*tati , igni collaqueris & non ardebis ? pone lucernam*  
*in fœnum , si poteris dicere, quoniam non exuritur ?*  
*quod ergo est fœnum , hoc est natura nostra , & con-*  
*cupiscentia nobis innata , ignis est devorans usque*  
 ad perditionem animæ.

18. Sed si fortè S. Chrysofostomo soli non creda-  
 tis , de hac materia & S. Augustinum audite , qui  
 in ea priori non cedit , dum dicit : *David illo san-*  
*ctissimus in mille passibus mulierem nudatã vidit, &*  
*statim homicidium fecit & adulterium: ô David, si*  
 & mihi tibi verbum dicere liceret , fateor vir san-

S. Aug. ser.  
 250. de  
 temp.

Diffimus es, & Deo testante vir secundum cor Dei, fortissimus es, qui numquam in urgentissimis quantumvis periculis trepidasti: sed quid agis? quando ursum & leonem dilacerasti, magno expositus videbaris periculo, sed tunc non eras, sed modò rem summi discriminis aggredieris, *averte faciem tuam à muliere compta*. Ah David! agitur de animæ tuæ salute, agitur de gratia Dei ejusque amicitia perdenda, & tu non animadvertis? quando cum immani illo gigante Goliath decertasti, non erat tantum tibi periculi, quia accedebas ad illum in nomine Domini exercituum, sed modò res plena periculi, unde *averte faciem tuam à muliere compta*; sed heu! ecce *eenen dronck, eenen lonck, eenen vonck, de myne spronck*, consentit David concupiscentiæ, corde mœchatur, opere adimplet, innocens occiditur.

Numquid hîc meritò David deplorare posset, quod in persona similibus deploravit Jeremias? ostendo quòd sic & finio.

EPILOG.

19. **A**scendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Hoc fit, ait S. Gregorius, cum per corporis sensus concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Heu quot sunt qui idem deplorare debent? quot sunt in inferno qui in æternum deplorabunt, *ascendit mors per fenestras nostras*? hæc legitis, hæc auditis, hæc prædicantur, hæc töties inculcantur, hæc ex Scriptura Sacra clarè demonstrantur, & homines insani, quos malitia & concupiscentia excecavit, audientes sunt surdi ac videntes cæci, iisque, convenit illud Psalmi, *noluit intelligere ut bene ageret*. Hoc erat quod sibi accidisse in juventute sua narrat Augustinus, sed & deplorat his verbis: *per quales imagines ibant oculi mei, per tales ibat & cor meum*.

20. Et quid putatis N. N.? si non adè periculosus esset incautus mulierum aspectus, quare præcepisset Apostolus ut *mulier in Ecclesia habeat velamen super caput suum propter Angelos*? sed quid hoc propter Angelos? vult dicere Apostolus propter reve-

S. Greg,  
lib. 2.  
mor; 2

Psal, 35,

1. ad Cor, 11,

rentiam Sacerdotibus debitam, ne fortè facie mulierum inspectâ, alicujus concupiscentiæ vel tentationis subeant periculum; qui proinde diligenter oculos custodire & avertere debent, ne videant vanitatem: quia cùm nec virorum sit mulieres intueri, multò minùs servorum Dei, qui secundùm monitum Apostoli per Angelos intelliguntur loco citato, conformiter ad illud Malachiæ Prophetæ, *labia Sacerdotis custodiunt sapientiam, & legem requirunt de ore ejus, nempe fideles. Quia, inquit, Angelus Domini exercituum est.*

Malach. 2.

21. Maneat ergo hoc, quòd sæpè ascenderit & quotidie ascendat mors per fenestras nostras; quod benè hac similitudine explanatur. Sicut Arci vel fortalitio nihil profunt qualescumque muri, si fenestras habeat apertas, per quas hostis intrare possit; sic animæ munimen divinæ gratiæ non proderit, si fenestras oculorum aliorumque sensuum teneat apertas, per quas carnalia spectra & desideria tamquam animæ hostes intrent, eamque Diabolo prodant, sic ut cum eodem Propheta deplorare debeant, *oculus meus depradatus est animam meam.* Intelligitis quid velim? ecce latrunculi sunt oculi nostri: considerate nunc praxim latronum & prædonum; ubi hi in castrum vel amplas ædes penetrare nequeunt, habent paratum parvum latrunculum, quem per cancellos & crates immittunt, ut ostio aperto illos intromittat. Sic quamvis Diabolus *tamquam leo rugiens circuit querens quem devoret*, equidem in cor hominis vi irrumperere non potest; homo enim apertas nequitias & gravia primitus crimina ordinariè non admittit, sed Diabolus immittit per fenestras oculorum latrunculos, imò verò ipsi oculi latrunculi sunt, qui portam cordis aperiunt & Diabolum intromittunt, omnesque thesauros virtutum, divinæ gratiæ & meritorum furantur, & sic in similitum persona Jeremias lamentatur, *oculus meus depradatus est animam meam.*

22. Unde N. N. si sint aliqui, qui per oculos si-

cut David sæpiùs lapsi sunt, saltem suo periculo edocti sapiant, & ut imposterum meliùs illas fenestras claudere ac oculos cautiùs custodire valeant, ad Dominum Deum cum eodem Davide confugiant, quia eodem attestante, *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, proinde orent illum, *averte oculos meos ne videant vanitatem*, Et iterùm, *custodi me ut pupillam oculi*. Sic tuti & à periculis peccatorum elongati, securè vivemus, non poterit fur Diabolus thesaurum gratiæ deprædari, adeoque nec in futuro thesaurum gloriæ, quam nobis largiatur Pater & Filius & Spiritus Sanctus. A M E N.

Psal. 108.  
Psal. 10.



## C O N C I O L X I I .

*De turpiloquio & cantilenis inhonestis.*

**T H E M A.** Corruptunt mores bonos colloquia prava. I. *ad Cor. c. 15.*

**EXORD.**

1. **M**irabilis admodùm, si Naturalistis credere liceat, est natura basilisci, qui adeo venenatum animal dicitur, ut sibilo & flatu sibi circumadjacentia inficiat, & venenum suum per totum corpus humanum dispergens, homines non rarò interimat. Quis est autem vestrum hæc audiens & credens, qui locum illum, ubi basiliscum latere sciret, omni studio & diligentia non vitaret? quis adeo evidens mortis periculum non fugeret? profecto neminem adeo sensibus privatù facile reperias.

2. Interea hodie dum non paucos similes basiliscos etiam in hac civitate reperiri ostendam & convincam, non loquor de serpentibus & basiliscis, imò verò loquor de serpentibus, loquor de basiliscis, sed hominibus qui naturam rationalem pro tanto exuentes, naturam serpentinam & basilisci assumpserunt, & ut clarè dicam quid intendam, loquor de prava societate, ubi in consortiis verba inhonestà proferuntur, loquor de hominibus qui litteras ama-

torias scribunt, legunt & recipiunt, loquor de puellis & mulieribus quæ indecentes & libidinosas cantilenas canunt, loquor denique de pictoribus & impreforibus qui picturas nudas & inverecundas depingunt, vel similes imagines exprimunt, de quibus omnibus dico, quod veri basilisci sint & quidem pestiferi ac venenosissimi, imò basiliscis multò deteriores.

3. Audiamus ad nostrum intentum loquentem S. Cyprianum, qui dicit: *mulier nunc in risum dissolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur*, tunc immediate subdit id, de quo sermo est, *cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem*; & optimè dicit: quia basiliscus tantum corpus veneno inficit & occidit, illæ autem animam. Basiliscus tantum causat mortem temporalem, illæ sempiternam. Basiliscus tantum inficit quos halitus afficit, juvenis impudicus per inhonesta verba tot quot sunt præsentis. Basiliscus tantum occidit præsentis, lubrica juvenis per litteras amatorias etiam absentes. Denique basiliscus tantum dum vivit alijs lædit, pictores etiam post mortem in picturis scandalosis viventes, venenum mortiferum libidinis propinant. Numquid ergo rectè dicit S. Cyprianus, *tolerabilius est audire basiliscum sibilantem*?

S: Cypri. de  
sing. Oler.

Hoc est N. N. quod intendit Apostolus dum tam sollicitè Corinthiis suis inculcat, ut à similibus sibi caveant, dicens: *corrumpunt mores bonos colloquia prava*. Quid est corrumpere, nisi efficere ut animam per venenum peccati, quod talia colloquia infundunt, corrupta foeteat coram oculis divinis, & Deo & Angelis ejus fiat abominabilis? hoc pestiferum venenum ut vitemus, ostendam hodie quantum peccatum sit proferre verba inhonesta, & erit pars Ima. Parte 2dâ. idem declarabo quoad cantilenas lascivas. Parte 3tiâ. adferemus remedia aliqua contra tam pestilens venenum. Prius tamen

**A V E M A R I A.**



PARS I.

4. Sicut arbor, qualis sit an bona an mala, an sterilis an fructuosa, ex fructibus illius cognoscitur; sic qualis sit homo, an bonus an malus, an castus an verò impudicus, ex actionibus illius & operibus dijudicatur. Undè rogo vos omnes ut notare velitis ad quid lingua humana, cùm de usu & directione illius híc singulariter agamus, à Domino Deo creata sit, quod paucis tradit Hugo Cardinalis, dicens: *loquela data est homini ad Deum laudandum, ad edificandum proximum, ad accusandum seipsum.* Qui taliter & ad hæc utitur linguâ suâ, hoc facit, ad quod illa à Domino Deo creata est, & ex linguæ suæ usu se verè Christianum, & quid intus in corde lateat demonstrat, quia *ex opere ipsorum cognoscetis eos.*

5. Si hoc ita sit, quid ergo de illis dicendum, qui in consortiis, in congregationibus, in procationibus tot verba impudica effutiunt? ego huc usque iudicium meum suspendo, sed audite quid de similibus iudicet S. August. qui petit à vobis singulis, an illum Christianum putas, cujus labia non nisi indigna & obscœna & scelestâ loquitur? ex lingua cognoscitur qualis quisque sit, an Hispanus, an Gallus, an Italus, Flander vel Wallo, sic ex lingua cognoscitur an aliquis sit Christianus, vel Paganus, an filius Dei vel filius Diaboli, an homo castus & pudicus, vel potiùs Idololum Veneris, uno verbo errare non potest illud Salvatoris, *ex operibus ipsorum cognoscetis eos.* Quisque ergo per linguam suam prodit seipsum: ita clarè docet S. Cyprianus his verbis: *de ore ac verbis suis quisque proditur, & utrùm Christum in corde suo, an verò Antichristum habeat, loquendo detegitur, secundùm verba Christi, Matthæi c. 3. progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? de abundantia enim cordis os loquitur.* Interim ut doctrinaliter procedamus, inquiramus quale peccatum sit turpiloquium.

6. Dico imò, si verba turpia proferantur ex animo libidinoso & cum intentione ut aliquis alium

S. Cyprian.  
Epist. 3.  
ad Papam  
Cornel.

pertrahat ad peccatum, hoc certum est quod præter malitiam quam continent verba turpia ex se, peccatum mortale sit talis speciei, quale est peccatum, ad quod quis alium verbis suis pertrahere intendit. Ratio est manifesta: quia media præter malitiam quam ex natura sua habent sibi propriam, induunt etiam malitiam finis, ad quem ordinantur.

7. Dico 2<sup>o</sup>. si quis proferat verba inhonesta vel turpia in consortiis præsertim personarum disparis sexûs, ita ut periculum sit ne saltem aliqui vel aliquæ, quale subest ordinariè, si non opere exteriùs, saltem cogitatione vel desiderio mortaliter peccent interiùs, peccat mortaliter. Cùm ergo ordinariè tale periculum subsit, quod inhonesta loquens potest, adeòq; debet prævidere, ordinariè etiam judicandum est, saltem quando verba sunt valdè turpia, quòd peccet mortaliter: quia ut bene notat S. Athanasius scribens in illa verba Apostoli ad Ephesios 6. *surpitude aut stultiloquium non nominetur in vobis*, quia, ait, *præbent verba ad res ipsas ingressum*; & S. Basilius, *pravis assuescens sermonibus, via est ad rem ipsam*.

S. Basl. de  
legend. lib.  
genl. pag. 2.

8. Vultis nunc scire N. N. quare & quomodo? dicam quod sentio. Multi reperiuntur qui à sollicitandis puellis deterrentur, & multæ sunt quæ nihil admittere vel permittere audent quod contra honestatem sit, sæpè non tam ex timore Dei, ne scilicet eum offendant, quàm ex respectu humano, quòd invicem necdum fidant, nec sciant utrùm placiturum sit. Nunc autem quando puella vel mulier juvenem obscœna loquentem audit, vel juvenis illam similia non illibenter audire animadvertit (hoc autem foemineus sexus ostendit, quoties non corrigit, vel saltem sibi similia displicere austeriori agendi modo non indicat) statim colligitur, quòd persona quæ talia loquitur vel libenter se audire ostendit, similibus sit addicta: aliunde autem cùm per similia colloquia natura accendatur, & internus ille concupiscentiæ ignis, quamvis aliàs sopitus foret, flatu

Job. 21.

tam vehementi accendatur, ac in eo negotio Diabolus partes suas egregiè agat, utpote cujus *halitus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur*, his & similibus efficitur ut pudor utrimque paulatim deperdatur, quo semel amisso, bone Deus, quæ non fiunt! quàm turpia, quàm abominabilia non committuntur! quæ quamvis modò lateant, fient tamen semel publica coram Deo, Angelis & hominibus in die revelationis. Ex quibus patet quàm verum sit, *pravis assuescere sermonibus, via est ad rem ipsam*. Ex his simul deduco, quare turpia similia colloquia tam in loquentibus propter scandalum ac sui turpitudinem, quàm in libenter audientibus propter malitiæ alterius participationem, imò ad pravas sollicitationes tacitam instigationem, ordinariè saltem practicè à Confessariis peccata mortalia judicari debeant.

9. Dico 3<sup>o</sup>. Verba seu colloquia inhonesta ex mera loquacitate, secluso periculo delectationis in rem veneream, scandalò proximi & similibus extrinsecis circumstantiis, ex se tantùm sunt peccata venialia, præsertim si fiant inter personas ejusdem sexus & conditionis. Ratio est: quia tantùm parvam habent deordinationem contra castitatem & rectam rationem, & per consequens contra legem divinam, quamvis simul nemo negare possit, quin sint admodum periculosa & manifesta latentis animi non satis casti indicia, ac proindè ab omni castitatis amatore, tamquam castimonix pestes, similia colloquia sunt fugienda, specialiter autem Religiosis personis, devotis, & qui profectum spirituales cordi habent: quia si verum sit, quod, nisi fallor, in S. Bernardo legisse me memini, scilicet quòd nugæ in ore sæcularium, blasphemix sint in ore Religiosorum; si inquam S. Bernardus hoc sentiat de jocis, inutilibus verbis, risibus & cachinnis, aliundè fortè ex se indifferentibus, quid sentiret de verbis turpibus & inhonestis? sed progrediamur ad cantilenas, & sit

10. **S.** Jacobus in catholica sua Epistola in malitiam linguæ humanæ, pessimosque effectus, quos producit, vehementer invehitur, dicens quòd parvum quidem sit membrum, sed *plenum veneno mortifero*, pro ratione habens, quia *in ipsa benedicimus Deum & Patrem; in ipsa maledicimus homines qui ad imaginem Dei facti sunt; ex ipso ore procedit benedictio & maledictio*. Sed quomodo plenum veneno mortifero? venenum eò magis mortiferum dicitur, quòd ipsum est dulcius palato humano. Sic turpia colloquia venenū quidem sunt mortiferum, sed incomparabiliter magis cantilenæ inhonestæ, quia quò dulcius humanis sensibus sese insinuant, eò gravius animam fauciant, & quasi, ut ita dicam, ad turpia atque inhonesta adeo accendunt, ut violenter trahere videantur.

11. Hinc sentit S. Hieronymus, quòd qui similibus canticis assuecunt, diabolis magis quàm hominibus comparandi sint, utpote qui officium diaboli subeunt: nam hic nihil aliud quærit, quàm animas Christianorum seducere, & in barathrum carnalium voluptatū detrudere. Imò pejores dixerim diabolo; diabolus enim omnibus suis artibus & fallaciis naturam nostram corruptam, & sponte ebullientem juventutis sanguinem non potest adeò ad venerea accendere & quasi irritare, quàm illi diaboli venatores & venatrices per suas inverecundas cantilenas faciunt. Itaque rectè monet S. Hieronymus, ut tales cantilenas diligentissimè evitemus, *tamquam cantatoris diabolici venenatam dulcedinem*: quod idem confirmat S. Leo Papa dicens, quòd *similes insidioso illo sono & illecebrosâ modulatione, lethales suavitates infundunt*, quibus scilicet incauta & parum sobria juventutis corda, quæ similia parum æstimant, & velo relaxationis animi eadem involvunt, decipiuntur & ad turpia quæque prorumpunt. Ergo non immeritò repeto illud S. Cypriani: *tolerabilius est audire basiliscum sibilantem*, licèt solo halitu inficiat ac interficiat.

S. Hieron.  
Epist. 9.

S. Leo sermo.  
4. de jejunio.

Ecl. 9

12. Hoc autem adhuc magis verificatur, si cum cantu lascivo non abfimilis adhibeatur saltatio, juventuti adeò communis, adeò delectabilis. De hac materia Sapiens juvenes monet & præmonet, dicens: *cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forè pereas in efficacia illius*: solent enim saltationibus intermisceri varia, quæ animū ad lubrica vehementer accendunt, sicut blanditiæ, colloquia lubrica, oculorum nutus, fixus intuitus, amplexus, contactus, gesticulationes & his affinia, ac cætera peritura pudicitia præludia, incentiva ac irritamenta.

Isaia 131

De similibus ergo non incongruè intelligitur illud Isaia, *respondebunt tibi ulula in adibus suis, & Sirenes in delubris voluptatis*. Ululæ autem, ut interpretatur Hugo Cardinalis, aves sunt magnitudinis quasi Corvinae maculis respersæ, quæ rostro fixo in palude strident potius quàm canunt. Ecce numquid totum aptissimè adscribitur dissolutis juvenum animis, qui dum cantica inhonesta ac libidinosa canunt, numquid rostris limo paludis infixi hærent, id est luxuriæ foetori?

15. *Et Sirenes in delubris voluptatis*, quid per eas aliter intelligitur quàm filia illæ cantatrices, quæ loca illa, ubi similes illæ vanitates exercentur, ubi luditur, saltatur, chorifatur, & canitur, pro templis suis & delubris habent, & ibi voluptatem tamquam idolum pro Deo suo habent? hinc est ubi Veneri psallunt eique voces suas prostituunt, ibi & suas habent processiones diabolicas; quid enim aliud choreæ sunt, quàm *circulus, cujus satan est centrum, & circumferentia Angoli ejus?* quid aliud quàm processio infernalis, ubi choragus est Diabolus? illi serviunt, illi obsequuntur gestu, manu, pede, voce, toto denique corpore. Hæc sunt delubra & loca sacra, quibus in Babylone & in sæculi hujus confusione juventus se devovet: & quod magis est deplorandum, ad similia Diabolus ordinariè illos dies designavit & introduxit, qui ab Ecclesia Sacri & festivi habentur, & sicut tunc in Ecclesia cantus Sacer

delium animos provocat ad devotionem, ſic profanus ille cantus in choreis provocat ad luxum & diſſolutionem ac graviora peccata.

14. Quid mirum ergo, quòd S. Auguſtinus de ſimilibus dicat, quod tamen foris pro pagis & oppidulis magis uſu venit, *praſtaret ſapientius vel juveneſſimam aratri ducere* (loquitur de diebus Dominicis & feſtis, quibus juventus choreis indulgere ſolet) *vel puellas lanam facere & colum trahere, quam in his ludis periculoſè saltare.*

*Aug. lib. de 10. chordis.*

Dicuntur autem ſimiles choreæ originem ducere ab Iſraëlitis Idololatris, de quibus Exod. 31 dicitur: *& ſedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, id eſt choreas ducere circumcirca vitulum aureum. Dicuntur autem ulterius primi hujus auctores & inceptores fuiſſe de Tribu Dan, & ad hoc fortè reſpicit vocabulum Flandricum *Danſen*. Sed quid tandem indè provenit? quid luçantur ſimiles ſimilium vanitatum & periculorum amatores? innuit Job quòd tam diu cantent, ſalent, choreas ducant, donec tandem Diabolus eos ad infernum perducatur: *ducunt in bonis dies ſuos, tenent tympanum & ciſſaram, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Hoc intendens S. Ephrem ſic Chriſtianos alloquitur: *undè ſuas deduceret choreas? quis talia Chriſtianos edocuit? non Petrus, non Joannes, non alius divino numine aſſatus, verùm iſte draco antiquus ſuis voluminibus docuit.* Ita ille. Ex his iterùm doctrinaliter deduco.

*Job. 21.*

*Ephrem in 1 lib. interrog. & reſp.*

15. 1º. Sicut inhoneſta valdè loquentes, conformiter ad antediſta, ordinariè judicandi ſunt ſaltem practicè peccare mortaliter, quod etiam ad lubenter audientes extenditur, ſic à fortiori eodem modo diſcurrendum eſt de turpibus canulenis, laſcivis ſaltationibus, &c. propter eaſdem rationes ſuprà allatas & quæ à fortiori hîc currunt. Deduco 2º. Neminem mirari debere, vel Confefſarios nimii rigoris arguere, ſi pœnitentibus abſolutionem denegent, niſi firmiter promittat, præſertim in con-

fortiis disparis sexûs se similes cantilenas nunquam ampliùs cantaturos; vel si in promissis Confessarios decipiant, si absolutionem tamdiu suspendant, donec efficaciter se emendent, & cantilenas similes, si in scripto vel impressas habeant, comburant. Ratio est: quia Confessarii tantùm faciunt illud, ad quod conscientia vi muneris sui obligantur graviter, ut potè qui numquam prudens possunt formare iudicium, quod tamen ad licitè absolvendum requiritur, pœnitentem efficax de non peccando de cætero habere propositum, quando efficaciter non relinquit, vel saltem se relicturum firmiter promittit occasiones ad libidinem adeò vehementes, atque ex natura adeo scandalosas.

16. Deduco 3<sup>o</sup>. Quòd similibus pœnitentibus non sufficiat simpliciter confiteri, ut tamen ordinariè solent, toties cantavi inhonestas cantilenas, toties habui turpia colloquia, toties saltavi indecenter, &c. sed debent addere quot personæ adfuerint, quæ indè fuerunt scandalosæ graviter, vel scandalosari sic potuisse merito prævideri potuit adeoque debuit, ac præterea suam, & illorum vel illarum conditionem qui adfuerunt. Ratio est, quia hæc omnia necessaria sunt ut Confessarius cognoscat speciem & numerum peccatorum, & secundùm Concilium Trid. pœnitentes obligantur ita peccata sua explicare, ut Confessarius iudicium æquum formare possit de illis, illasque circumstantias cognoscere, quæ peccatis vel novam peccati speciem superaddunt, vel eorum numerum formaliter in se virtualiter adaugent.

17. Dicit fortè aliquis, Pater quomodo possum scire, quòd alii præsentis indè fuerint scandalosati? respondeo: si agas de scandalo activo, ex ipsis verbis vel cantilenis inhonestis hoc patet; quia cum possint alios scandalosari & ordinariè scandalosæ sint, ac ex natura sua sint tales, & aliundè tu illud sciveris ac prævidere debueris, certò eatenus peccasti scandalo activo. De passivo autem si agas, hoc ex eo colligere

colligere potes, quòd inde præsertes vel fuerint moti ut similia verba sive cantilenas pariter proferrent, vel arridendo seu non corripiendo ubi obligabantur, ostenderint sese tui peccati esse participes. Videant ergo quot peccatis & peccatorum periculis sese involvant, & coram divina iustitia sese reos constituent, qui similibus assuescunt, floccique faciunt, & tamquàm juventutis ordinarias levitates vilipendunt.

Petes ulterius quid faciendum iis, qui similibus occasionibus sæpè interfiunt, nec honestè eas devitare possunt? pro eo sit

18. **A**D quæsitum respondeo, vel similes sperant **PARS III.** fructum, & corrigere obligantur, quod quomodo, & quando currat, vide ad longum Tom. 1. fol. 341. vel non sperant fructum, & tunc obligantur vel similes occasiones devitare, vel si sine notabili incommodo non possint hoc facere, debent saltem austeriori facie, agendique modo ostendere, illa & similia sibi displicere, & sic, saltem tacitè delinquentes charitative corripere. Ut autem N. N. minus laudamini, & longius à lapsus periculo absitis, propono vobis sequentia remedia.

19. Primum remedium salutare, & antidotum, ne venenum illud mortiferum per aures intret animamque inficiat, est id, quod tradit Sapiens: *sepi aures tuas spinis.* Aures enim ad audienda omnia, maximè illicita prurire solent, ut venenum animæ cum jucunditate hauriant, & proinde, ne illud inficiat animam, monet Sapiens aures spinis sepiendas. Sed quid hoc? quomodo possunt aures spinis circumcingi, vel si spinis circumcingantur, quid id proderit, ne quis turpia cum delectatione audiat? itaque metaphorica est locutio, cujus mysterium ut concipiat, eam sic explièo. Anima non incongruè comparatur horto, qui dum virtuosè vivit homo, fructus bonorum operum profert, & virtutum flores Deo in odorem suavitatis: atque ita à Deo gratiæ ipsius rore pluviamque irrigatus, crescit in virtutibus, crescit & meritis: hic hortus quinque habet portulas, vobis

Tom. II.



to dicere quinque sensus exteriores, sed sicut hortus ne à bestiis, equis, vaccis, bobus, &c. conculcetur ac omnia devastentur, spinis circumcingi solet; ita & anima spinis sepienda est, *sepi aures tuas spinis.*

20. Sed quænam sunt illæ spinæ, quænam seps spinea? rectè timor Domini, meditatio acerbæ Passionis Jesu Christi, consideratio extremorum & æternitatis spinæ sunt, quæ bestias infernales detinent & arcant, ne per turpia colloquia vel similes cantilenas hortum animæ intrent, thesaurumque divinæ gratiæ, virtutum & meritorum deprædentur.

Totum hoc negotium pulcherrimè explicat S. August. quamvis ad litteram agat de vitio detractionis. Verba ejus sunt: *ô qui accipis verbum sanum in domo disciplina, sepi aurem tuam spinis, ut ille qui importunè intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam repelle illum à te*, qui inhonesta loquitur vel cantat, *dic: Christianus es, Christianus sum, non hoc didicimus sub illo magistro, cujus cathedra in Cælo est: noli mihi ita dicere, aut noli ad me accedere.* Adhuc clariùs & conformiùs ad similitudinem

S. Paulinus  
Epist. 21. ad  
Aurum.

idem docet S. Paulinus, dicens: *aures spinis sepiamus, id est verbo Dei & fide verbi, quæ vitis nostra segetem firmissimâ innocentia atque patientia sepe defendunt, & Diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi furibus spinæ resistunt.* Et nisi sic aures cæterosque sensus nostros exteriores sepiamus, animam nostram impuro Asmodæo cum omnibus turpitudinibus suis apertam exponimus: turpia enim verba & maximè cantilenæ, suavitate suâ certò decipiunt animamque interimunt, idque eò certius atque lethaliùs, quò suavitate suâ imprudentes magis alliciunt, sive, ut rectè monet Valerianus Episcopus Cemeliensis: *nemo insidiosis cantibus credat, nec ad ea libidinosa vocis incitamenta respiciat: quæ cum oblectant, saviunt; cum blandiuntur, occidunt.*

Valerianus  
Hom. 6.

S. Chryst. in  
Psal. 117.

21. Hinc patet quòd non immeritò S. Chrystostomus similes cantilenas vocet *diabolicum melos*: & in Psal. 117. *satanicas Odas.* Quam pessimam cantandi consuetudinem & effrænem juventutis impuden-

tiam si suo tempore deploraverit Cæsarius, quid non faceret corrupto hoc sæculo? *quàm multi*, sic exclamat, *cantica diabolica, amatoria & turpia decantant!* dum hæc scribo, occurrit, quòd semel fuerim in aliqua occasione, ubi cantabatur cantilena turpissima: cum persona illa corripere à nonneminde, defendebat omnia bona esse, & in ea nihil esse quod castas aures posset offendere, mutatis enim solum commatibus sensum non malum præ se ferebat, sed sicuti cantabatur priùs, putem quòd ipsemet Diabolus turpius & impudentius canticum excogitare non posset. Heu! *quàm multi cantica diabolica, amatoria & turpia decantant!*

22. O cæca & lasciviens juvenus, quid vos ipsos decipitis? intrate conscientias vestras, & fateri debetis, quòd necdum centesimam partem malorum, quæ ex similibus oriuntur, attigerim. Audite pro amore Dei, quàm seriò vos moneat S. Augustinus, *quid prodest delectari canticis ad tempus dulcibus, imposterum amaris? talibus enim turpitudinibus cansionum, animi humani illecti enervantur, & decidunt à virtute defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt quod cum magna dulcedine biberunt.* Et quomodò illud libidinis venenum per aures attractum undequaque diffundatur, similitudinem explanat S. Basilius his verbis: *veluti lapis in aquam cisterna coniectus, non tantum adjacentem aqua partem in quam decidit, agit, verum & orbem alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad ultimas lacinae margines producit: ita sermo lascivus in animam castam, velut in undam purissimam vehementer coniectus alias post alias amatorias cogitationes excitat, totamque animam voluptatibus fluctibus agit.* Hæc ille.

Aug. lib. de  
10. cordis.

S. Basili. lib.  
de virginis.

23. Nec habent juvenes vel puellæ undè sibi abblandiantur propter vocis fortè dulcedinem, sed undè potiùs habent undè meritò timeant, si vocis suavitate ad inhonesta abutantur. Nam ut bene notat

Antonin. p.  
3, Tit. 13,  
6, 5, 6, 7,

S. Antoninus, *difficile invenitur aliquis levis vocis. & gravis vita.* Auditis hoc? sed quid inde? ab experientia rem probat: *videt*, inquit, *infinitos tam viros quam mulieres tanto peioris vita, quanto melioris vocis.* Nimis longè res illa excurreret, ut exemplis probaremus. Historiæ undique his plenæ reperiuntur, & notabiles colligit Engelgrave.

S. Ambr. in  
Psal. 43,

24. Sufficiat nobis, quòd Scriptura S. & SS. PP. ut dicit S. Ambrosius, similes adeo suaviter cantantes assimilent sirenibus, quæ, ut fabulantur Poëtæ, dulcisono & suavitate vocis trahunt navigantes ad scopulos, ubi naufragium faciunt & misere pereunt. Sic, dicit hic S. Pater, *inverecundi cantatores & cantatrices animos audientium quasi fascinant & suâ suavitate ad illicita carnis desideria ac opera trahunt & millenarum animarum causant interitum.* Testis hujus rei est, sed suo infortunio sapientissimus Salomon, qui cùm in illas Sirenes incidisset, uti ipse testatur, *feci mihi cantatores & cantatrices, delicias filiorum hominum.* Bone Deus! quàm profundè in voraginem omnis malitiæ & libidinis decidit! quantorum bonorum fecit naufragium! ita ut usque hodie de ipsius salute dispuretur ac dubitetur. Ecce lenocinio vocis puellaris & suavitate illius quasi intoxicatus à cultu veri Dei recessit, & qui dono Dei fuerat sapientissimus, turpibus cantibus emollitus & effeminatus, ac cæco mulierum amore, carnalibusque voluptatibus totaliter infatuatus fuit. Sed tempus est ut finiam, & sit

Eccl. 2,

EPILOG.

25. **Q**Uæ cùm ita sint, cùm periculosissima sint, ut jam vidimus, verba turpia, sicut & cantilenæ inhonestæ, cùmque præsertim juventutem adeo inficiant & tot diversis peccatorum generibus involvant, addo alterum, etiam efficacissimū contra similia remedium, scilicet in illis periculis confugere ad Dominum Deum. Diximus ibi de Sirenibus, quomodo præternavigantium sensus animosque fascinent, verbum his addendum est. Narrant Poëtæ,

sic refert S. Ambrosius supra, quod Ulysses præternavigans locum ubi sirenes illæ morabantur, nè earum cantu inficeretur, ac sic cum omnibus suis deceptus periret (nam dicuntur ita fascinare dulcisono suavique cantu sensus animosque hominum, ut eo attracti sese in mare præcipitent, & sic ab iis devorentur) sociorum aures cerâ obturavit, se autem malo navis immobiliter alligari præcepit, & sic sine periculo pertransiit.

26. O N.N. si aliquando non possitis non esse in occasionibus, ubi inhonesta dicuntur vel cantantur, ubi similes Sirenes inveniuntur, si non velitis animas vestras perdere, obturate aures vestras ad similitum Basiliscorum venenosum sibilum, ad lascivientes similitum voces quantumvis dulcisonas, obturate aures vestras firmissimo proposito millies potius moriendi & quodcumque ac qualecumque malum sustinendi quam graviter Dominum Deum vestrum offendendi, & ne à corruptæ naturæ vitio trahamini, ut ita dicam, etiam quasi invitè, alligate vos malo Jesu Christi crucis, cui fidem & nomen oppignoraftis, quando in Baptismo vos ei devovistis & abjurastis Dæmonem cum omnibus pompis ejus, ita agite, ut verè cum Apostolo dicere possitis, *Christo confixus sum cruci*, vinculis timoris Dei, funiculis charitatis, *vivo ego, jam non ego*, vivo infirmitatibus carnis expositus quidem, sed *jam non ego*, ubi corrupta illa radix per Dei misericordiam sopita & superata est, amorque carnalis per amorem divinum extinctus est. Indè *vivis verò in me Christus*.

Ad Gal, 2.

27. De cætero, quia commune apud medicos axioma habet, *contraria contrariis curantur*, si aliquando in decursu vitæ prava loquendo & inhonesta cātando peccaverimus, *emendemus in melius quam ignoranter peccavimus*. Lingua nostrā, quæ prius fuit instrumentum ad Deum offendendum, animam lædendam, & proximum scandalisandum, eā imposterum utamur, & tantum utamur ad Deum laudandum & benedicendum, ad proximum ædificandum

& instruendum, ut sic in cœlesti gloria pro tota æternitate canere possimus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* A M E N.



## CONCIO LXIII.

*De inhonestis Picturis.*

**T H E M A.** Væ homini illi per quem scandalum venit. *Matth. c. 18.*

**Resp.**

1. **S** Paulus Apostolus Prædicator veritatis, Doctor gentium, tuba illa Evangelii, ut hominibus salutarem divinæ justitiæ incutiat timorem, sic suos alloquitur: *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Sed quare Dei viventis? scilicet quia non est Deus noster sicut Dii gentium, qui à Davide dicuntur aures habere & non audire, oculos, & non videre; sed est Deus vivens ut videat & audiat injurias sibi illatas, & in tempore vindictæ disperdat eos, qui illas intulerunt. Profectò si aliqui in Deum sint injuriosi ejusque vindictam irritent, sunt qui gregem Domini subvertunt, & animas Dei sanguine redemptas in injuriam Creatoris illarum perdunt, ac à Creatore suo avertunt: quæ est malitia planè diabolica. Et quinam hoc faciunt magis, quàm qui lapidem offensionis & petram scandali ponunt ante pedes pusillorum?

2. Cupitis scire, contra quos specialiter agere intendam? dico apertè, contra pictores, qui inhonestas picturas depingunt, & impressores qui similes imagines imprimunt, contra homines voluptuosos, qui easdem retinent ac in deliciis habent, contra omnes qui imaginum nuditatem vel penicillo vestiri non curant, vel illas picturas, imagines, sculpturas impudicas non destruunt aut comburunt. Illi sunt N. N. quibus Deus & Salvator noster *væ*, & *væ* æternum comminatur. *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Et *væ* in Scripturis SS. ut Tomo 1. agendo de scandalo ostendimus, divinæ & sempiternæ maledic-

tionis signum est. Undè Isaias dicit : *va impio in Isaiâ 39, malum; & Job, va mihi si impius fuero; hoc autem de Job, 10,* Salvator nullis sæpius, nullis certius prædixit, quàm scandalosis; & meritò : Pater enim omnium scandalisantium à principio fuit Diabolus, vè illud proprium fuit & est Lucifero, qui caudâ suâ trahebat tertiam partem stellarum Cœli, ut dicitur Apoc. cap. 12. & hunc tamquam genuinæ & legitimæ proles omnes scandalosi sequuntur.

3. Si omnes scandalosi sequantur, præsertim in materia libidinosa, ubi minimum scandalum sæpè occasionem præbet maximæ ruinæ, quod proinde ferio deplorat S. Bernardus dicens : *utinam nos soli Bern. Serm. 1, in Sep- nihil nocerent homines perniciosi exemplis, persuasio- tibus importunis, atque aliis mille modis.*

Vos itaque alloquor inverecundi pictores, vos libidinosi homines, qui talia vendentes vel ementes retinetis; *vos ex Patre Diabolo estis, ait Christus, & desideria Patris vestri vultis facere, qui nihil aliud quærit quàm lædere, occidere, mactare animas Christi sanguine redemptas; ille homicida erat ab initio, ab Adam & Eva incepit & tam per se quàm per suos usque hodie non cessat illud perficere. Ut ergo hoc tam pestiferum malum à Republica Christiana exulet, ostendam parte 1. m. quàm abominabiles Deo sint similes pictores & similium picturarum emptores & venditores, sicut & libidinosi amatores. Parte 2. indagabimus qualiter similes peccent, simulque omnes vanas excusationes in peccatis, quas prætere solent, detegam, & iis larvam detraham, & ad quid in conscientia obligentur ostendam, finiemus conformi exhortatione, prius tamen*

## A V E M A R I A.

4. **Q**uomodò ars pictoria inventa fuerit, variant **PARS I.** quidem Auctores qui origines artium inquisiverunt; plerique tamen, quos citat & sequitur Guinifius allocutione 4. contendunt eam primitivè

inventā à Pastore, qui umbras oviū suarū, quas splendēte sole in meridie projiciebant, observasse pede pastoritio & sic in arena extremas lineas enotasse dicitur, quas deinde homines etiam aliarum rerū exprimere inceperunt, deinde alias etiam corporis partes delineare, ulterius quoque coloribus adumbrare, donec experiētiā & industriā semper de novo aliquid inveniēte & addente, vivis coloribus ad vivum quæque exprimere consueverunt. Quidquid sit de origine hujus artis, hoc certum est, & esse antiquissimam, & picturas quā maximè ad bonum, si bonæ sint, ad malum, si sint malæ, esse motivas ac hominum mentes voluntatesque excitivas.

5. Porrò Sacrarum Imaginum usus in Ecclesia Sancta Dei à principio fuit usitatissimus, uti ex Ecclesiasticis historiis manifestum est: quare autem sit usitatissimus & ab Ecclesia approbatus, tradit S. Thomas Aquinas, dicens: *fuit triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia. 1. ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur, 2. ad ut incarnationis Mysterium & Sanctorum exempla magis in memoria essent dum quotidie oculis representantur. 3. ad excitandum devotionis affectum qui ex visu efficacius excitatur quàm ex auditu.* Hæ fuerunt rationes quare à principio Ecclesiæ usus sacrarum imaginum semper à SS. Patribus fuit commendatus, hæ fuerunt rationes quare Ecclesia S. Dei semper detestata fuerit Iconoclastarum imagines Sacras destruentium impietatem, pro cujus veritatis confirmatione tot sanctissimæ & sapientissimi viri fortunas, sanguinem, vitam, omnia exposuerunt, & martyrio gloriosè coronati sunt.

6. Nunc ergo sicut imagines hos pios & Sanctos effectus habere solent, sic picturæ & imagines turpes atque perversæ, turpes & perversos effectus non possunt non habere, idque ob rationes jam assignatis diametraliter oppositas.

1. Quia illis pusilli ac innocentes animæ tanquam in quibusdam libris malitiam edocentur.

6, Thom, in  
2, dist, 9,  
q, 2, ad 1,

2dò. Quia omnis turpitudinis & luxuriæ incitamenta magis in memoria manent, dum quotidie oculis repræsentantur.

3tiò. Quia maximè excitant libidinosos affectus & accendunt stimulum carnis, qui ex visu efficacius excitatur quàm ex auditu: quia, ut benè notat S. Gregorius, *quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Et post id clariùs exponit: *adulterium, ait, discitur, dum videtur.* Ejusdem sententiæ est Quintilianus dicens: *pictura tacens Opus, sic intimos penetrat affectus, ut ipsam vim dicendi nonnumquam superare videatur.*

S. Greg. 1,  
9, Epist. 9,  
ad Sirenum,

Quintil. 1,  
11, c. 3,

7. Hinc patet quòd pestilentissimum venenum sit, innocentes animas seducens & necans, ac fortes emolliens, atque ita in Republica mores bonos maximè corrumpens, nec non sæpissimè causa, origo, & incitamentum tot fornicationum & adulteriorum, ac quod indè consequens est, tot prolium publicæ misericordiæ expositarum, quam corruptelam Reipublicæ toties, Regesque & Magistratus severis legibus irritò conatu eradicare conati sunt. Quid mirum? frustra extrinsecùs incutitur punitio- nis timor, dum interiùs peccandi, quântum fieri potest, non amovetur incitamentum.

8. Utinam! utinam, ex corde dico, Magistratus severissimis pœnis rerum inhonestarum pictores co- cererent, eorumque abolerent impudentiam! uti- nam gravissimis multis picturas turpes, nudas & inverecundas tementes, vendentes vel retinentes damnarent! hoc Reipublicæ necessarium esse non Christianus Christianè docuit Aristoteles in politi- cis. Juerit audire verba illius. *Omninò obscœnitas verborum, inquit, exterminanda est ex civitate; ex turpiter enim loquendi licentia sequitur & turpiter facere. Cùm verò dicere quidquam interdici- mus, clarum est quòd & aspicere, sive picturas, aut actus de- formes prohibemus. Sit ergo cura Magistratibus, nul- lam neque picturam, neque statuam esse in Urbe ta- lium rerum imitatricem. Sed cur hæc non fiunt? cur,*

Aristot. 1. 7,  
polit. 4, ult,



nisi quia non rarò illi similium picturarum maxime sunt amatores, qui talia pingentium & habentium jure divino & naturali deberent esse justii vindices?

9. O si Magistratus hoc facerent, si ad hoc ferio incumberent, si ad hoc omnes cogerent, quanta mala in Republica impedirent! quantam prædam impuro Asmodæo eriperent! quam securâ conscientia aliorum malitiam & peccata minimè participarent, imò quantam hinc & in futuro, tamquam zelantes honorem Domini Dei sui, benedictionem & remunerationem ab eodem non reciperent! verum-enim-verò cum Concilium Trid. prohibeat ac proscribat omnes libros, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant vel docent, tamquam morum Christianorum corruptores; cumque majus periculum animarum ex obscenis tabulis quàm libris immineat, prout jam vidimus, quid de his sentiat Tridentinum, cuique ratione utenti planum fit.

10. Deinde in Concilio Constantiensi 6. Can. 110. à Patribus ibidem congregatis similes picturae prohibentur & damnantur, tamquam *oculorum prestigiatrices*: quia fascinant oculos eorum, qui curiosius illas intuentur; *mentis corruptrices*: quia blando suo veneno, quod quasi insensibiliter plenis oculis hauritur, corrumpunt mentes & castas animas; & *ad inflammationem ad turpes voluptates inclinatrices*: quia dum venerea oculis aspiciuntur, mente perpenduntur & curiosè investigantur, alliciunt voluntatem per naturalem voluptatem ad fræna laxanda omni luxuriæ. His similibusque rationibus permotus Clemens VIII. in judicio expurgatorio Rom. anno 1596. in regulis generalibus prohibuit omnes picturas & imagines impudicas ac inverecundas, quæ non tantum mala sunt, quia prohibita, sed ex genere eorum quæ prohibentur, quia ex natura sua mala sunt: ut proinde merito exclamet Joannes Molanus lib. 2. hist. SS. Imagi-

num: quis nescit obscœnas imagines jure nature perinde prohibitas esse atque libros, sive hæreticos, sive obscœnos? rationem dedi supra ex S. Gregorio, quia in illis legunt, qui litteras nesciunt.

11. Profectò si justè, benè & providè per decreta Concilii Trid. omnibus libros imprimere prohibeatur sine censura Theologorum & Censoris ab Episcopo deputati approbatione, ne scilicet quid hæreticum, piarum aurium offensivum vel contra bonos mores contineãt, si tales libros prohibitos retinere sub pœna excõmunicationis interdicitur, profectò eodem, imò verò priori jure statuendum videtur, ne quis inhonestas picturas habere vel retinere, vendere aut emere præsumat, pariformiter loquendo de impudicis imaginibus, nisi prius à viris piis & prudentibus examinentur ac approbentur. Sic in Lusitania piè & cautè lege statutum est, utinam ubique foret!

12. **V**ideamus modò qualiter homines in hac materia peccent, & excusationes frivolas, quibus peccata sua palliare & excusare conantur, refutemus. Doctrinaliter ergo ex visceribus rei & jam dictis deduco sequentes conclusiones, &c.

PARS II.

Dico imò. Pictores, & idem est de impressoribus imaginum ac sculptoribus, qui invêrecundas imagines depingunt, qui membra humana quæ natura velare & naturalis pudor imperat, nudè delineant, ac oculis intuentium subjiciunt, & peccant contra castitatem, ut patet, & gravissimè peccato scandalii. Ratio est: quia ut ex dictis clarum est, ex natura rei natum est fieri ut similia videntes, indè ad venerea excitentur, & si non opere externo, saltem cogitatione & impuro affectu consentiant. Deinde eò gravius peccant, quò minùs ipsis etiam jam pœnitentibus damnum spirituale quòd tot animabus intulerunt, pòstea est reparabile; quòd damnum potuerunt, adeòque debuerunt prævidere, & per consequens tot peccatorum saltem in æquivalenti coram Deo in divino judicio rei agen-

tur, quot homines similibus picturis scandalisati mortaliter peccaverunt.

13. Ex quibus ulteriùs deduco, talibus pictoribus, impressoribus, &c. absolutè denegandam absolutionem, nisi firmiter promittant sese imposte- rum nudas personas non picturos vel impressuros, & quas penes se habent, se easdem penicillo, quan- tum honestas requirit, tecturos. Nec excusat ipsos, quòd prætendant in illis maximè elucere artis ma- gisterium; quia si teste Apostolo, non sunt facien- da mala, de quorum genere esse inhonestas pictu- ras & imagines supra probavimus, ut indè eveniant bona, quantò minùs illud licet, ut artis elegantia ac excellentia indè pateat, cum certa ruina spiritua- li tot innocentium & pusillorum?

14. Dico 2dò. omnes ementes, vendentes aut apud se retinentes similes picturas vel imagines pec- cant mortaliter, nisi vel comburant, vel intra ho- nestatis limites nuditatem coloribus vestiri procu- rent. Ratio est: quia indè natum est oriri scanda- lum in se vel in aliis. Nec excusat illos quòd dicant se esse conjugatos, & indè similibus non moveri, quòd tantum retineant propter artis curiositatem, &c. sunt enim excusationes in peccatis; nam præ- terquàm quòd sæpè in hac materia iniquitas mētiatur sibi; equidem natum est fieri ut tempore vitæ suæ, vel saltem post mortem ad aliorum manus deve- niant, cum eorum vel aliorum scandalo indubita- to, quod unusquisque vi Legi charitatis Dei & proximi, quantum potest, evitare obligatur. De hoc fusiùs egimus Tomo 1. de scandalo.

15. Scio N. N. quid similes his opponant, & quæ apud ipsos excusatio soleat esse palmaris: un- dè eam examinemus. Pater, inquiunt, illæ picturæ nobis seu parentibus nostris tanti constiterunt; si tegamus nuditatem, destruimus artem; tantum deberemus perdere, non intendimus scandalum seu ruinam spiritualem proximi, optaremus indè non scandalisarentur, si autem contrarium fiat, ipsorum

culpa est præter nostram intentionem, nos stude-  
mus solum indemnitati nostræ, &c. intelligo totum  
N. N. dicitis quod non intendatis scandalum proxi-  
mi, & ego dico quod intendatis quàm maximè &  
efficacissimè, si non intentione operantis, certè in-  
tentione operis, si non directè & expressè, saltem  
ut Theologi loquuntur, indirectè & interpretativè:  
quia cùm ex venditione, emptione, vel similia  
imagineum retentione proximi scandalum aliquan-  
do oriturum prævideri possit ac debeat, si eo non  
obstante vendantur, retineantur, &c. ipso opere  
ruina proximi saltem interpretativè intenditur.

16. Nec ullatenus juvat prætenfa hîc excusatio,  
nempè si non liceat tibi vendere, quod multum pec-  
cuniarum perditurus sis: quia inhonestæ picturæ apud  
me sunt, & apud unumquemq; esse debent de nu-  
mero illarum rerum, quæ non nisi ad malum usum  
inferviunt, & quæ proinde (prout docuimus & pro-  
bavimus Tom. 1. Tract. 4. Conc. 25. fol. 382. &  
383.) vendi non possunt, nisi de non abusu positi-  
vè constet. Subsumo: sed numquam præsumi po-  
test bonus similia usus, imò constat de abusu sal-  
tem aliquando effectum habituro, cùm propter na-  
turæ ad venerea proclivitatem, dum positiva ratio  
ad illa subministratur, qualis est vel maximè visus  
rerum inhonestarum, vix alium usum habere va-  
leant, ergo, &c. Ad cuius confirmationem fatit,  
quod interdum justa ratio dari possit aspiciendi et-  
iam alterius sexus partes corporis inhonestas, puta  
ad necessariam curationem, vix unquam autem vel  
potius numquam voluntariè contemplandi picturas  
inhonestas, cùm ad hoc necessitas rarè vel num-  
quam detur, quæ sola talem visionem posset redde-  
re inculpabilem. Apage ergo frivolas has excusatio-  
nes in peccatis!

17. O pictores! pictores inquam atque sculpto-  
res! quid in die iudicii respondebitis Domino Deo  
vestro, qui tot animas pretioso sanguine Jesu  
Christi redemptas ad æternam pertraxistis perditio-

nem? quomodò in hac vita dignam poenitentiam agere, vel damnum tot animabus illatum reparare poteritis? Deus bone! quoties verecundiæ metas transilitis? quoties pudicitiae & naturæ leges violatis? quoties nudas feminas, investes homines, Veneres, Floras, Æsculapios aliorum oculis subjicitis animasque necatis? quoties uxorem Putiphar Josephum ad stuprum sollicitantem inverecundiùs, quod ipsa inverecunda quantumvis & effrons erubisset, delineatis? quousque ergo libidinosa vestra licentia perget? ergone nec Sanctis quidem parcitis? quid hoc? quomodò hoc ferendum, quòd Sancta Magdalena meretricio planè habitu & formâ depingatur, expapillata, rubentibus buccis, cerusata facie, calamistratis capillis ante Crucifixum tamquam meretrix in prostibulo? siccine sancta illa peccatrix infra crucem stetit? siccine in deserto peccata sua planxit? ô quantam injuriam! hoccine inter Christianos tolerabile? quid? quousque vestra impudentia progredietur? quomodò non formidatis nuda meretricum corpora, loco animarum, quæ Christum Dominum ab inferis ascendentem comitatae sunt, summâ artis industriâ depingere?

18. Sed & vos ô N. N. qui Christiani nominis professionem facitis, quomodò similibus picturis conclavia, cubicula, musæa vestra exornare, dicam potius deturpare & inhonestare audetis? quid conquerimini Parentes filios luxuriosos, filias vestras incontinentes? quid degeneres & familiæ probum deploratis, ubi fortè vos ipsi per similes picturas ad tam licentiosam vitam illis primitus latam portam aperuistis? non timetis ergo Dei judicium super vos, non illius vindictam? certò scitote si hîc vindictam differat, & connivere videatur, profectò eò gravius judicium vos manet in futuro sæculo. Vultis horum probam? attendite.

19. Sanctus Gregorius Nyssenus inquirens rationem, quare Ægyptii tantâ sanarum multitudinis

à Deo puniti fuerint , prout habetur Exodi cap. 3. in tantum ut ascenderent & ingrederentur domos atque cubicula , ac super strata eorum atque ciborum reliquias , dicit hujus plagæ causam fuisse , quòd impuri Ægyptii ad concupiscentiam excitandam haberent domos & cubicula fœdis imaginibus repleta. Verba ejus sunt : *nam & in muris & in aulis diversa ad luxuriam animi pictura , & in vasis sculptura impressa , nequitiam predicant , quibus cogitatio ad cupiditates revocatur , vituperosi spectaculi visione ad animam usque passionum aestu perveniente , ne scilicet cupiditatum ardor extinguatur .* Ut autem ostendat quàm vituperabile sit , præsertim Christiano , similes picturas habere , absolute sustinet similes se prodere quales interius sint , scilicet incontinentes , luxuriosi , &c. *modesti enim hominis , ait , oculus mundus est , & hac qua ad luxuriam excitant , spectacula respicit , & mavult jacturam facere perituri coloris , quàm in se vel proximo castitatis .*

Nyssen<sup>us</sup> in  
vita Moysi.

20. Hæc ergo ranarum plaga , teste Nysseno , Ægyptiis propter adeò inhonestas tabulas contigit , sed terribiliorem ob eandem Deus plagam , non ranas , sed infernales dæmones immisit. Famosus Scriptor Ordinis Carmeli Joseph à S. Maria narrat virum religiosum sui Ordinis , dum iter ageret , à nobili perhumaniter hospitio receptum , nocte verò precibus intentum , turbam dæmonum conspexisse cum thuribulo & incenso , è quibus unum in nomine Dei viventis adjuravit , ut quò irent panderet ; qui respondit , ad interius conclave , ubi Imago erat lasciva Veneris aquilam amplexantis ad omnem venerem incentiva , se eò tendere ut eam thure succenderent . Quo dicto omnia evanuerunt . Mane factò , visum aperuit , & ut eam aboleret exhortatus est . Sed ( prout hodie fieri solet , quando ad similia Religiosi aliquos exhortantur ) nihil effecit , sed tamquam scrupulosus irrisus est : prædixit tamen domino illum terribilem à Deo manere vindictam , nisi tolleret : effectum exitus probavit ;

Joseph. à S.  
Maria lib.  
de Cast.  
Tom. 1. lib.  
4. c. 15.  
Deaponse in  
Sap. c. 4.  
n. 20. Hom.  
62.

nam paucos post dies miserè trucidatus est, & sine luce, sine Sacramentis expiravit, qui tabulam animâ suâ pretiosiore & chariorem habens, animam æternis flammis consecravit.

21. Timeant ergo similem exitum, & qui similibus picturis insano, cæco & diabolico afficiuntur amore. Proinde hanc malorum Christianorum cæcitatem, hanc malitiam, hanc adeò attractivam scandalorum materiam multum deplorans S. Chrysologus lachrymabundus dicit: *formant adulteria in simulachris, fornicationes imaginibus mandant, incesta picturis, in tapeisibus cupidines qui tela vibrēt.* Tela utique concupiscentiæ, luxuriæ, libidinis, quibus homines semel faucii, quod præsertim quoad juventutem locum habet, se in voraginem omnis impudicitæ præcipitant, libidinoso affectui sic fræna relaxant, ut luxuriæ collotenus immerfi, sæpè de cætero toto vitæ decursu, nisi potenti gratiæ divinæ auxilio efficaciter extrahantur, emergendi non inveniant potestatem. Sed finiamus & sit

EPILOG.

22. **V**idimus modò N. N. quàm abominabile sit coram Deo pingere inhonesta & quàm nocivum proximis. Vidimus quàm graviter peccent pictores, emptores & venditores turpium similibus picturarum vel imaginum, frivolasque quas prætere solent excusationes refutavimus. Quæ cum ita sint, alloquor vos omnes verbis Isaïæ Prophetæ, quibus olim ex parte Dei Judæos, qui Idolatriæ dediti statuas colebant & imagines, exhortabatur, dicens: *auferite offendicula de via populi mei*, scilicet Idola, Deos & Deas vestras, lucos quos posuistis in excelsis, altaria in quibus sacrificastis diis alienis, illa enim fuerunt offendicula quibus cecidit Israël & ad Deos alienos dilapsus est. Idem vobis dico, ô pictores, sculptores, & rerum turpium impressores, idem inquam vobis dico, & ex parte Dei vobis annuntio, si æternum perire non velitis, si super vos & super familias væ Dei viventis æternamque maledictionem trahere formidatis,

*auferite*

& Chrysol.  
serm. 155.

Isaia 27.

*Auferte offendicula de via populi mei.* Omnes inhonestæ illæ picturæ, nudæ statuæ, imagines inverecundæ sunt offendicula, quibus tot innocentes animæ ceciderunt & perierunt, illa proinde auferenda sunt. Hoc natura dicit, hoc recta ratio exigit, ad hoc amor proximi urget, hoc Deus ipse præcipit.

23. Deinde vos divites, qui tot pecunias, ut similia vobis acquiratis, impenditis, qui tam carè venenum mortiferum in perniciem animarum vestrarum, familiæ vestræ, omniumque intuentium emere soletis, *auferte offendicula de via populi Dei.* Profectò prudenter illud & efficaciter semel persuasit Robertus Bellarminus Cardinalis, qui cum inviseret virum Principem, atque in cubiculis videret multas nudas & scandalosas imagines, inter alia dixit illi Principi se pauperes aliquos nudos habere, quos ejus commendatos optaret liberalitati: quò eleëmofynam promittente, jube ergò, respondebat ipse, nudas illas imagines vestiri, quæ mihi nunc à vicina hyeme algere ac tremere videntur. Quæ admonitio tantùm valuit, ut penicillo quæ inhonesta erant, tegi curaverit. Ego vicissim rogo omnes N. N. rogo vos inquam omnes, si quis Adamum & Evam, si Bethsabeam aut Susannam se lavantem, si Venerem & similes nudas imagines habeat, rogo vos inquam pro amore Dei, & per salutem animæ vestræ vos obtestor, ut eas tegere & vestire curetis.

24. Si verò in nudis corporum articulis maximæ artis elegantia reperiatur, sint Aristidis, Apellis, Pausaniæ picturæ, prævaleat animæ vestræ salus, vestite nuditatem. Nec putetis vos obligationi vestræ satisfacere, si nudis his tabulis cortinam sericam protendatis: hoc enim intrantium curiositatem magis accendit, ut eâ deductâ, quid lateat aspiciant; sed coloribus vestite, seu quod melius est, comburite Deo in odorem suavitatis. Nullum sacrificium poterit ei esse gratius, vobis honestius, proximo utilius. Hoc necessario requiritur ut fru-



Joan. 4.

Quosam poenitentiam de peccatis agere valeatis, auferte offendicula de via populi mei. Quod si feceritis, audite quid liberalis vobis promittat Deus per Jeremiam Prophetam, si abstuleris offendicula tua à facie mea, non moveberis in hora mortis, in hora illa terribili, in hora quâ omnia quæ mundi sunt relinquere debebitis: non movebimini conscientiarum vexationibus, mortis horrore, diaboli insidiis & illusionibus, sed spe bonâ pleni, & confidentes de misericordia Dei, eò quòd misericordiam nudis illis imaginibus hâc præstiteritis, volo dicere misericordiam proximis vestris feceritis auferendo offendicula, quæ ipsos scandalizare potuissent; poteritis sperare etiam à Deo misericordiam in hoc sæculo, & in futuro vitam sempiternam, quam, &c. A M E N.



## C O N C I O L X I V .

*De nudo, vano & inverecundo mulierum ornatu & incessu.*

THEMA. Væ homini per quem scandalum venit. Matth. c. 18.

EORD.

I. **M**emorabilis est, sed tragica historia, quæ narratur Num. c. 25. de qua & alibi sæpiùs mentio facta est, scilicet quomodo Balaam Propheta quidem, aliundè autem vitâ pessimus, cum populo Israël maledicere non posset, prout volebat atque urgebat Balac Rex Madianitarum qui filios Israël debellare non poterat, suggererit Regi consilium certè pestiferum, nempe quòd illum populum superandi spes nulla superesset, nisi efficeret ut Israël à cultu veri Dei discederet, & ad cultum Idolorum dilaberetur; nec ad hunc effectum efficacius mediùm ad manum esse, quàm si cum filiabus Madianitis filii Israël fornicarentur. Undè suadebat Regi ut omnes venustiores populi sui puellas & virgines ad exercitum

Israëliticum ablegaret, easque instrueret quomodo per puellares blanditias & voluptates carnales illos ad cultum Idolorum suorum inducerent, quod ita factum est, ac fornicati sunt cum illis filii Israë, illarumque Deos coluerunt.

2. De illo agens S. Joannes in Apocalypsi vehementer corripit Angelum Pergami, id est, Episcopum, ut expositores communiter explicant. Sed quare corripit? *quia habes, inquit, illic tenentes doctrinam Balaam qui dicebat Balac mittere scandalum coram filiis Israë, edere & fornicari.* Cogitabitis fortè, ad quid hæc historia? dicam paucis: Propheta revera pessimus, qui & olim Magister in eo consilio Balaam fuit, est ipse diabolus: videt astutus ille vulpes quod per violentiam & omnem suam industriam non sit potens superare castra Dei Israë, volo dicere Ecclesiam Dei sanctam, seu potius filios illius, quamdiu manent in vera Fide & Christiana pietate, quamdiu colunt solum & verum Deum suum; ut ergo à cultu veri Dei eos avertat & ad cultum Idolorum Veneris & Asmodæi inducat, & sic penitus eos debellet ac perdat, emittit omnes filias, mulieres & puellas vanitatem amantes, ut cum eis, si non semper exteriùs per ipsa opera, saltem interiùs corde & affectu fornicentur; quæ vano suo ornatu, blanditiis, cerusata facie, fectis & cultis capillis, brachiorum, pectoris, uberrum nuditate alliciant filios Israë, id est Christianos, ut in concupiscentiam earum exardescant, fornicentur & adulterentur.

3. Quid dicitis N. N. quis hoc ferat? quis non excandescat? quis zelum Domini Dei sui non habeat, ut hoc tantum scandalum de medio populi Dei amoveat? numquid nobis Sacerdotibus & omnibus Prædicatoribus Deus meritò exprobrare posset, *habeo adversus te panca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, &c.* De vobis itaque hodie agere intendo, ô vanæ Domicellæ, ô mulieres inyerecundæ: vobis dico, vel potius dicit vobis

Salvator noster, *va homini per quem scandalum venit.* Quod ut tandem aliquando à Republica Christiana amoveatur, hodie parte imà ostendam, quàm graviter peccent omnes qui tam vanè & inverecundè ornatae incedunt, sic nempe ut faciliter inde pusilli scandalisari valeant, & vanæ excusationis in peccatis larvam detraham. Parte 2dâ efficaciter omnes, quantum Deus dederit, à similibus deterere conabor, ad quem proinde prius recurramus per intercessionem Virginis & Matris Dei immaculatè conceptæ, dicentes

## A V E M A R I A.

**PARS I.** 4. **A**ngelus Domini S. Joanni olim mirabiliter ostendit visionem, vocabat enim eum ut videret, intelligeret, & quod vidisset hominibus annuntiaret: *veni, inquit, & ostendam tibi damnationem meretricis magna... cum qua fornicati sunt Reges terra, & inebriati sunt qui habitant terram.* Possemus putare inebriatos à fortitudine vini, nisi Angelus statim adderet *de vino prostitutionis ejus.* Sed quænam fuit illa meretrix, cujus conditionis & figuræ? non posset magis ad vivum depingi, quàm Angelus faciat; protestatur enim S. Joannes, *vidi mulierem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemia, &c.* utique omnes peccatis carnalibus indulgentes, iisque proximos scandalisantes, blasphemare faciunt nomen Domini Dei sui, prout olim Davidi exprobrabat Propheta Nathan. Sed ex quo cognosci poterat illa meretrix? pergit S. Joannes: *mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis.* Numquid hîc depictas vivis coloribus diceremus hujus temporis vanas puellas atque mulieres? necdum planè adumbratas: quid si addidisset cerusatam faciem, quid si crines fictos, quid si nuda brachia, collum, pectus, ubera, uno verbo si vidisset illas *hoel openhertigh*, an à vero aberrasset? quod mi-

aimè, patet quotidie in plateis, in foro, in Templo, in quibuslibet congregationibus publicis.

5. Itaque illæ & similes sunt, quibus prædicta, quamvis odiosa appareat, adscribitur comparatio: illæ sunt quæ blasphemare faciunt nomen Domini, dum scilicet Ethnici, Infideles, Hæretici, qui ipsimet in hoc puncto modestiores sunt, videntes tam exorbitantem vanitatem & levitatem, omnes pudicitiaæ leges ex Orbe Christiano-Catholico exulasse meritò suspicantur, dum sic Fides Catholica contemnitur, & illorum conversio sæpè impeditur. Illæ Veneris nymphæ sunt, quæ efficiunt ut Idolis Veneri nempè & Asmodæo tot animæ infernali libidinis igne concrementur & sacrificentur. Ergo ne dicas, vanus ille mulierum ornatus & incedendi modus, qui inter homines, etiam illos, qui in locis famosis pro honestissimis reputantur, adeò communis est, tam grave peccatum censerì debet: quòd debeat declarabo.

6. Imprimis omnia quæ dixi in præcedentibus Concionibus de inhonestis verbis, cantilenis, Imaginibus, picturis, &c. à fortiori locum habent in lascivo mulierum & puellarum incedendi modo, in vano illarum ornatu, præsertim nudis brachiis, collo, pectore, uberibus: eò etenim magis jure naturæ & divino-charitatis proximi præcepto illa & similia vitari debent, quò sunt magis scandalosa, quò magis sunt incentiva ad libidinem; sed talis incedendi modus est magis incentivus ad libidinem, ut patet & ab experientia & ratione, quòd ipsæ res magis moveant quàm picturæ, imagines, cantilenæ, &c. ergo certum est, quòd omnes illæ quæ sic scandalosè ornatae & vestitæ incedunt, peccent mortaliter, & in continuo versentur statu peccati mortalis, adeòque omnes confessiones ac communiones, quæ eo tempore instituuntur, judicandæ sint sacrilegæ.

Sed de cætero videtur sexus ille lubricus & vani-

catibus similibus adeò deditus Creatori suo esse injurius, quod rectè Sanctus Petrus Eremita, ut in historiis SS. Patrum Theodoretus refert, ad quamdam mulierem huic vestium vanitati & corporis ornatui fastuosæque pulchritudini nimium studentem, in spiritu Dei sic locutus est non sine efficacia: dic mihi filia, si quis pictor in arte bene exercitatus aliquam pinxisset imaginem, in qua totaliter artis elegantia eluceret, eamque proposuisset omnibus videre volentibus, veniret autem aliquis alius in arte pictoria parum exercitatus, & temerè ac inconsultè, ut sibi videretur, vellet contra pingere: deinde illam artificiosam reprehendens picturam superciliis quidem & ciliis lineas superadderet longiores, faciem autem efficeret albiorem genisque rubrum adderet colorem: nonne tibi videretur prior ille pictor jure offendendus, quòd imago ejus probro esset & contumeliâ affecta, & eorum, quibus opus non erat, additamentum à manu indocta accepisset? ergo universonum quoque opificem & naturæ nostræ effectorem ac pictorem, jure irasci credite, quòd illam imaginem suam naturæ inditam & sapientiam accusatis inscitiae. Non enim rubrum, aut album, aut nigrum colorem vobis compararetis, si vobis opus esse hâc additione non existimaretis. His autem corpus egere arbitrantur, imbecillitatis dampnatis Creatorem. Deinde dixit: *nolite ergo corrumpere ejus imaginem; neque tentetis ea addere, qua sapienter non dedit: neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, qua vel pudicis affert exitium, videntibus insidians.* Ita ille.

8. Scio, ô Domicellæ, quid cogitatis. Scio quòd Concionatores, qui similia proponunt, ut scrupulosi & rigoristæ irrideantur. Scio, ait S. Bernardus, similes solent dicere, nùm de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? rectè dicis Bernarde, illas similesque rationes, dum corripiuntur, allegare solent, ut vanitates suas specioso pallio liciti ornatus defendant; undè vide ne & ipse ab iis ut rigori-

S. Bernardus,  
Hom. 5.  
Apol. de vitiis  
& moribus  
Relig. c.  
9.

ita traducaris, si minùs illis faveas: quid ergo S. Bernarde? *ut forma hac vestium*, respondet, *deformatatis mentium & morum indicium est*. Auditis hoc domicellæ? ecce de exterioribus vestris iudicat S. Bernardus, & ex levitate vestium, minùsque honesto incedendi modo, colligit ille levitatem mentis animumque non satis castum. Reclamatis, sic audire mihi videor, asseveratis, juratis vos nihil mali intendere, vos honorem & castitatem cordi habere, vos centies mori malle, quàm vel minimum committere seu permittere quod castitati vel honori vestro maculam ullam inurere posset. Numquid hoc satis est? numquid in vanum vos admoneamus & injustè reprehendimus? numquid sine ratione sic vos exagitamus, aërem verberantes? dicam quod sentio: sic clamate, sic dicite, sic jurate quantum lubet, verba & voces sunt, præterea nihil: quia quod verbis adstruitis, factis destruitis & vobismet ipsis contradicitis, quod ut ostendam, sit

9. **N**otandum hîc est quòd juxta Theologos PARS II. communiter duplex detur intentio, una quæ dicitur explicita seu formalis, altera implicita seu interpretativa. Explicita seu formalis est quando aliquid facimus eo præcisè finè, ut inde proveniat id quod intendimus. Maneamus in nostra materia, v. g. aliqua mulier dulciter cantat, superbè se exornat, scribit litteras amatorias ut aliquem juvenem, quem cæco amore deperit, ad mutuam amorem & sui concupiscentiam trahat. Hæc explicitè & formaliter intendit peccatum & scandalum proximi, neque de eo dubitari potest quin semper peccatum mortale sit, etsi id, quod ad talem finem fit, aliàs foret indifferens, vel etiam aliundè bonum, quia media induunt malitiam finis, ad quem ordinantur.

10. Intentio implicita seu interpretativa est, quando aliquis aliquid facit, absque eo quidem quòd interiùs in mente sibi proponat illum finem, ex quo tamen prævidet vel prævidere potest adeòque debet, talem finem seu effectum inde consecutu-

rum; undè si ille effectus sit peccatum mortale, illud facere ex quo prævideri debet talem effectum futurum, est peccatum mortale: quia etiam in hoc casu media induunt malitiam finis, & ejusdem speciei peccatum est, quod indirectè, sicut quod directè intenditur. Sic v. g. aliquis defert in cubiculum fœno vel stuppâ repletum ignem, ex quo prævidet vel prævidere potest oriundum incendium, licèt illud explicitè & formaliter non intendat, intendit tamen implicitè & interpretativè. Nunc autem ad propositum sic subsumo: omnes mulieres satis prævident vel saltem prævidere possunt, cùm toties dicatur, proclametur, & annuntietur ab illis, qui per experientiam hoc meliùs scire possunt & sciunt, quòd ex vana, superba & indecora vestium pompa, ex nuditate membrorum, quæ honestas muliebris tegere imperat, multi infernali concupiscentiæ carnalis igne interiùs saltem incendantur, ardeant, imò & pereant; ergo quando his non obstantibus ita se exornant & denudant, ipso opere seu interpretativè intendunt illud scandalum: atqui hoc intendere etiam tantùm interpretativè est peccatum mortale secundùm omnes Theologos, ergo omnes tales mulieres in die judicii coram Deo tot peccatorum mortaliter reæ agentur, quot præviderunt vel prævidere potuerunt scandalifandos, etsi indè scandalum effectivè non esset secutum, nempe passivum.

11. Porrò quòd sic peccetis; ô mulieres, si non mihi, credite saltem SS. Patribus; imprimis nemo id clariùs ostendere posset, quàm faciat noster S. Bernardinus, ipsius est doctrina, undè ipsum audite: *in mulieribus, inquit, tantus est apparatus & pompa vestium, &c. ut incentivum concupiscentia hauriant decepti oculi insipientium; sed forsitan dicet: non hâc malâ intentione me orno, Deus mihi testis est & conscientia mea. Statuamus hoc verissimum esse; non tamen ex hoc excusabilis es apud Deum, nec etiam apud mundum.* Deinde rem explanat similitudini-

S. Bernardinus  
Tom. I.  
Serm. 46.  
c. 2. c. 2.  
& Ser. 44.  
47.

bu s, & ita pergit : *si aliquis non prudenter præcavens, lapidem projiciens hominem interfecerit, nonne reus mortis à legibus justo judicio condemnatur ? nonne fodiens cisternam, nec etiam præcavens, si bestia in illam ceciderit, justè exsolvet pœnam ? sicut Exod. 21. si quis aperuerit cisternam, & non operuerit eam, ceciderisque bos vel asinus in eam, reddet dominus cisterna pretium jumentorum.*

12. Tunc ad nostram materiam & confirmatiq-  
nem eorum, quæ ante diximus, subdit : *cisterna quippe qua aquas habet in remedium sitientis, occasio tamen incautis esse potest. Sic utique tu, ô mulier vana, qua viro tuo remedium esse potes fragilitatis humana : hîc ostendit, quod non tantùm de puellis & virginibus, sed etiam de maritatis agat ; quia utrobique eadem militat ratio, nisi quod magis peccent peccato scandali maritatæ quàm liberæ, dum hæ fornicationum tantùm, illæ autem adulteriorum saltem internorum præbent occasionem. Repeto, sic utique tu, ô mulier vana, qua viro tuo remedium esse potes fragilitatis humana : alteri incauti præparata occasionem præstas damnationis æternæ. Sic utique uxor viro Proverb. c. 5. nuncupatur, ubi dicitur, bibe aquam de cisternâ tuâ, sed talis cisterna incauti aperitur, quando mulier cultu meretricio exornatur. Talis profectò cultus meretricius verè & meritò ab omnibus judicatur vanus & parum honestus mulierum incedendi modus, hodie dum cheu tantùm nimis communis. In illam utique non opertam bos vel asinus cadit, quando occasione indebita vanitatis aliquis per concupiscentiam ruit. Et nè vos ipsas decipiatis, dicentes hoc non intendimus, meritò addit hic vîr sanctus. in quo casu, ejus anima de mulieris manibus requiritur, cum des ad hoc efficacem causam non præcavendo ruinam ? Ergo peccant mortaliter & horribile super se Dei judicium habent expectandum, dum aliquandò cadent in manus Dei viventis, in quas incidere horrendum est, ait Apostolus, & hoc vel ob id solùm,*



quòd ruinam proximi non præcaverint.

13. De cætero quòd similes peccent mortaliter, quamvis de facto nemo scandalisaretur, seu etsi scandalum passivum non sequeretur, manifestè tradit S. Hieronymus, dum inverecundas vanasque similes mulieres comparat vendentibus venenum mortiferum. Vultis videre quomodò hoc sequatur? diximus jam sæpiùs, quòd venena & alia similia, quæ ordinariè non nisi ad malum usum cedunt, alteri dari vel vendi non possint, nisi constet de non abusu: nunc autem talis inverecundus incedendi & sese exornandi modus, non potest inservire, nisi ut videntium animis lethale concupiscentiæ virus infundat, quòd eò pestilentius & detestabilius est veneno terreno, quòd illud inficiat & perimat animam, hoc autem solum corpus. Nunc autem subsumo: sed qui dat vel vendit venenum illi de quo suspicari potest adeòque debet, fore ut illo abutatur ad proximum perimendum, peccat mortaliter, etsi de facto non abutatur: ergo etiam mulier sic se exornando, dum se oculis omnium exponit, peccat peccato scandali, etsi neminem effectivè scandalisef.

14. An mentem ac intentum S. Hieronymi affectus sim, vos ex verbis ejus dijudicate. *Mulier, inquit, si se exornaverit, & oculos intuentium ad se traxerit*, scilicet per talem ornatum vel incedendi seu sese tegendi modum, qui consideratâ communi hominum fragilitate incentivus sit ad libidinem, de quali hîc tantùm ago, *etsi plagam non intulerit, vindictam tamen solvet extremam*; nemo autem hâc vindictâ plectetur nisi propter peccatum mortale, & tamen hanc vindictam solvet, ait S. Hieron. *etsi plagam non intulerit*, id est etsi passivè neminem scandalisaverit: quare? *venenum enim obtulit, etsi nullus, qui biberet, inventus sit*. Ad hanc citationem alludit Sanctus Thomas Aquinas, quando dicit: *etiamsi nullum pulchritudine sua potuit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia*:

S. Thom. 2.  
2. q. 43. a. 4.

paravit quippe virus, temperavit venenurum, porra-  
xit poculum, etiamsi nullus, qui biberet, inventus  
sit. Qui plures auctoritates SS. Patrum de hac ma-  
teria desiderat, inspiciat libellum flandricum P.  
Francisci Cauven, vulgò teghen-vergift. Inspiciat  
Cœlum Empyreum P. Engelgrave in festo S. Mar-  
tini. Inspiciat Fabrum Dom. 2. Adventus tam in  
parte Hyemali quàm Auctuario; ego autem hîc so-  
lum referre volo mirabilem loquendi modum &  
exactam descriptionem, quam in hac materia tenet  
Isaias Propheta.

15. Ecce Propheta à Domino Deo inspiratus de-  
scribit mulierum ingressum & incessum in oculor-  
um & corporis affectatione, in omnimoda vani  
ornatus varietate cæterisque hujuscemodi vanita-  
tibus, quæ omnia interioris hominis depravatio-  
nem & deformitatem, elationem ac superbiam de-  
signant, & ex parte Dei sic eis minatur: *pro ea*  
*quod elevata sunt filia Sion, & ambulaverunt ex-*  
*tento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant,*  
*ambulabant pedibus suis, & composito gradu incede-*  
*bant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion,*  
*& Dominus crinem earum nudabit. In die illa aufer-*  
*ret ornamentum calceamentorum, & lunulas, &*  
*torques, & monilia, & armillas, & mitras, &*  
*discriminalia, & periscelidas, & murenulas, &*  
*olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in*  
*fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, &*  
*linreamina, & acus, & specula, & sindones, &*  
*vittas, & iberistra, & eris pro suavi odore. fœtor,*  
*& pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvi-*  
*zium, & pro fascia pectorali cilicium. An quidquam*  
*omissum, quod ad vanitatem ornatûs conferre vel*  
*spectare posset?*

16. Verum quidem est, hæc Isaias ad uxores &  
filias dicebat, quæ ut pretiosè se exornarent, viros  
fecerunt exactores & sanguisugas pauperum, quo-  
rum illæ sudore & sanguine ad lasciviam comptæ  
luxuriabantur & splendebant: sed ad omnes fœ-

minas scandalosè vestitas & in publico incedentes, optimè applicari potest, quæ, ut Propheta ait, *nusibus oculorum* incedunt sibi applaudentes, sicut tantùm nimis fieri solet quotidie etiam in templo, ut salutatæ & resalutantes obliquè oculos janciant in juvenes & amafios, idque petulanter in omnes quibus placere prætendunt. Sed scitis puellæ & domesticellæ, qui tali ornatu incedentes, tam petulanter vos gerentes & annuentes oculis, an scitis, inquam, quid faciatis, & quid homines de vobis judicent? colligite ex verbis S. Hieronymi. *actus, joci, nutus, sibili, moritura virginitatis sunt principia*, & vestitus ille non solum vanus, sed & nuditate inverecundus ac pudendus nihil aliud est, quàm superbix vexillum & nidus luxuriæ. Plura de hâc materiâ dicenda reservo pro Concione sequente, pro nunc ut finiam; sit

S. Hieron. in  
vita S. Hi.  
lar.

## EPILOG.

15. **Q**Uæ cum ita sint, cum vobis ô vanæ & impudentes mulieres. sic superbè, ridiculè, nudè, & inverecundè exornatæ sine peccato mortali incedere non liceat, cum nihil vos juvet, minus excuset, vel in die Judicii excusare possit illud frivolum, quod ad omnia dicta objicitis *non intendimus malum*, quæ omnia cum ita sint, quid est quod à similibus levitatibus & tam periculosis vanitatibus tandem aliquandò non terreamini? quid est, & unde hoc, nisi quod malitis præsentissimo vos damnationis periculo exponere potius, quàm vanitatem nimis altè imbibitam, nimumque adamatam deserere? sed nec vos magis coram Deo excusabit, imò verò ad majorem vobis inserviet confusionem & damnationem, quod hodie illa pestis sit, & in dies magis magisque communis fiat.

18. Proinde verissimum puto quod à suo tempore dixit noster S. Bernardinus: *si Angelus de Cælo descenderet, ait, vel Paulus, fortè vel Christus, & contra hac talia vestimenta & supersua ac inverecunda predicarent, credo quod victoriam non haberent.* Quid ergò vanitatis amatrices, horribile

Dei iudicium non timetis? nonne satis difficile ac durum vobis erit, ut de propriis peccatis, cogitationibus, verbis & operibus Deo rationem reddatis, nisi de tot animabus, quas per levitates vestras & scandalosos agendi & incedendi modos perdidistis & Diabolo sacrificastis, simul vobis ratio reddenda sit? veniet aliquando dies, veniet hora illa terribilis, hora fatalis, quâ coram Deo & Angelis ejus convictæ, levitatem vestram & duritiem cordis detestabimini, quâ verecundiâ suffusæ, quæ modò sine fronte videmini, erecto collo, oculis scintillantibus incedentes, tunc, sed seriùs animæ vestræ nuditatem deplorabitis, ejulabitis, clamabitis, atque dicetis *montibus cadite super nos, ne vultum irati Judicis videre cogamini.* Luc. 23.

19. Quid ergo vos movebit, vel movere poterit, si hæc non moveant? ergo N. N. per salutem animæ vestræ, per sanguinem Jesu Christi & ejus passionem ac mortem, vos omnes oro atque obtestor, sed & adjuro, *auferte offendicula de medio Populi Dei, vestite vos honestè, modestè, christianè, uno verbo vos verbis S. Petri alloquor: non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjecit propriis viris. Sic in die Judicii vestitæ innocentie & gratie divinæ indumento sperare potestis, fore ut tandem audiatis jucundum illud, venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. AMEN.* 1. Petri 3.

CONCIO LXV.

*De eadem Materia.*

**T**HEMA. Væ homini illi per quem scandalum venit. *Matth. c. 18.*

8. **I**Nter cætera Orbis Miracula non videtur mihi **EXORð.** famosus fuisse, quàm celeberrimum illud

Dianæ Ephesinæ Templum, cujus pulchritudinem, magnitudinem & pretium vel ex eo solo intelligere possumus, quòd in eo ædificando centum viginti annis laboratum sit totâ Asiâ concurrente & expensas contribuente. Bone Deus! quale Templum debuit fuisse, quàm latum, quàm pretiosum, quod sustentabatur centum viginti columnis marmoreis, quarum singulæ sexaginta pedes habebant altitudinis, taceo pretiosissima ornamenta, laquearia, rarissimos lapides, divitias totius Asiæ. Hoc tamen Templum adeò famosum unâ nocte incendit & igne consumpsit impius Erostatas, ut eo facto nomen suum æternum faceret, ac toto mundo foret famosus. Similes incendiarios, seu potiùs incendiarias non paucas futuras prævidit in spiritu Prophetæ David, de quibus conqueritur, *incenderunt igne Sanctuarium tuum in terra, polluerunt Tabernaculum nominis tui.*

Psal. 37.

2. Sed quodnam est illud Sanctuarium & Tabernaculum Dei in terra? quodnam est quod incenditur & polluitur, nisi illud in quo Deus habitat, qui tique non habitat in Tabernaculis manu artificis fabricatis, sed in Templis Dei vivis, in animabus justis, in quibus habitat per gratiam sanctificantem, & libenter habitat, ipsomet attestante, *delicia mea esse cum filiis hominum.* Quænam sunt illa sanctuaria & Tempia Dei, nisi illa de quibus Paulus loquitur, dum dicit: *Templum Dei sanctum est quod estis vos; & iterum, vos estis Templum Dei.* Ecce quantum scelus N.N. *incenderunt igne sanctuarium tuum in terra.* Sed quomam hoc faciunt? quoniam magis, quàm mulieres vanæ, inverecundæ in vestibus ac indecoro modo procedendi, de quibus in Concione præcedente, quæ igne infernali libidinis succendunt animas juvenum & virorum eas concupiscentium, & Templum illud quod Fide, Spe & Charitate ædificatum, & gratiâ sanctificante donisque supernaturalibus exornatum, penitus destruunt, ut nominentur in populo, & ab

omnibus tamquam famosæ ornatûs decore ac pulchritudine habeantur : sed sicut nomen Erostatî omnibus gentibus & hominibus propter tantum scelus fuit abominabile , sic coram Deo & Angelis ejus abominabile ac execrabile est nomen illarum incendiariarum. Ut ergo à tanto scelere vel deterreantur necdum infectæ , vel jam infectæ resipiscant, ostendam iterùm parte 1. earum malitiam , reliquasque vanas exusationes refellam. Parte 2. omnes efficaciter à similibus conabor deterrere. Priùs

## A V E M A R I A.

3. **N**emo negare potest , quin verissima sit visio **PARS II**  
 olim S. Antonio Abbati cœlitus demonstrata , dum vidit mundum repletum undique laqueis Diaboli , quibus capti immundi mundanorum animi à dæmonibus decipiebantur , & tamquam victimæ ad æternam damnationem reservabantur. De hac astutia dæmonumque sævitia conqueri videtur Propheta David , dum dicit : *laqueum paraverunt pedibus meis*. Sed quinam sunt illi laquei ? certè debent esse plurimi , cùm iisdem S. Antonius totum mundum viderit repletum : utique totidem reperiuntur , quot occasiones dantur & incentiva ad peccandum , de quibus cùm jam sæpè tam in hoc quàm primo Tomo fusè egerimus , solùm nunc inquirere volo, de quo laqueo principaliter David agat , dum dicit : *laqueum paraverunt pedibus meis*. Quid vobis videtur ? an à veritate aberrarem , si illum laqueum Diaboli dicerem esse mulierem vel adèò vanè ornatam , vel non satis honestè testam in illis membris , quæ natura & pudor muliebris plenariè tegere docet & imperat ? nolite mihi irasci Dominæ & Domicellæ , vestrum imploro iudicium , ex dicendis proferte sententiam.

4. Sapiens dicit , & ab experientia protestatur , *vidi mulierem* , inquit , *quæ laqueus venatorum est* , scilicet Dæmonum , qui venantur animas hominum ut eas perdant , mactent , & æternum excrucient.

Vidit itaque Sapiens mulierem , non omnes, nec de omnibus loquitur , sicut nec ego , multæ enim honestissimæ interiùs simul & exteriùs reperiuntur , si ergo scire velitis, de quibus loquatur Sapiens , lumen dat , remque planam facit Hugo Cardinalis , dicens : *mulier laqueus venatorum est , id est , demonum, qui venantur animas hominum ad mortem. Hunc laqueum tendunt Demones, ubicumque mulieres preparant & exornant.* Videamus nunc an de hoc laqueo David agat, dum dicit : *laqueum paraverunt pedibus meis.* Nota nimis est historia , quomodo David ceciderit in adulterium , quàm ut hîc eam ad longum commemorem. Paucis tantùm necessaria accipite. David post meridiem recreationis causâ ambulabat super solarium suam , respiciebat undequaque , interim laqueum animæ illius pedibus , id est , affectibus paraverat Diabolus , videbat *ex adverso super solarium suum mulierem formosam lavantem se.* Ecce laqueum Diaboli. *Ebullit sanguis ejus , concupiscentia stimulat , concupiscit, accersit, adulteratur.*

5. Peto jam à vobis , an mulier illa non fuerit laqueus Diaboli? an Bethabee , in meridie, in loco aperto, ubi undequaque videri poterat , an non dederit scandalum ? an coram Deo rea non sit illius peccati ? hoc à vobis peto , ô mulieres vanæ & inverecondæ puellæ ? nequaquam , dicetis , ipsa malum non intendit. Sic credo facitè & sic fit : numquid Concione præced. patenter ostendimus , quòd sufficiat implicite seu interpretative intendere , quando potuit adeoque debuit prævidere , prout in præsentî casu factum esse contendo.

6. Reponetis , scandalum quidem fuit , non datum, sed acceptum, & ex Davidis malitia processit, quòd eam concupierit , quòd curiosius aspexerit , quòd peccaverit. Davidem nec Scriptura S. nec Deus, nec Nathan Propheta , nec ipsa recta ratio excusat, peccavit David. Sed quis in culpa fuit , nisi laqueus Diaboli ? nisi mulier formosa imprudenter

ter

ter & nimis inverecundè se denudans in loco, ubi à multis poterat videri, & prævidere quòd moraliter certò si vidèretur ita, ab aliquò saltem concupisceretur. Quòd autem Betsabæe fuerit laqueus Diaboli & causa lapsus Davidis, sic demonstro: si Betsabæe de meridie in loco publico se non lavasset, David eam non vidisset, si non vidisset, non concupivisset, si non concupivisset, non adulterasset, adeoque in laqueum hunc Diaboli non incidisset, consequenter hæc mulier fuit laqueus Diaboli, & causa peccati Davidis. Ex quibus, o mulieres vanæ, & inverecundæ puellæ, colligere potestis quorum ministræ, canes venatici & laquei facti sitis, nempe Dæmonum, ut hi capiant & venentur animas ad earum damnationem, quas ut venaretur Jesus Christus ad salutem, è Cœlis descendit homo factus, quæsiuit & venatus est hominès per tot persecutionum, flagellorum, & tormentorum spinas & tribulos, ex iis totus sanguine cruentatus. Ergo vobis, *ve homini per quem scandalum venit.*

7. Sed quid solent dicere illæ Veneris nymphæ ad similes vanitates & scandalosos incidendi modos nedum inclinatæ, sed etiam quasi intoxicatæ, quid dicere solent, dum desuper corripuntur? prætendunt nempe illam esse communem Patriæ consuetudinem, occasionem illam non esse proximam, peccata solum oriri ex malitia videntium, se jus habere, ut exornent se conformiter ad statum suum, ita facere quæ ejusdem, imò inferioris status & conditionis sunt, &c. Omnibus his prætensis excusationibus objicere solam auctoritatem Salvatoris nostri, *ve homini per quem scandalum venit*; objicere Legem divino-naturalem, quæ dicit etiam illa aliquando omittenda quæ ex se mala non sunt, imò aliàs bona esse possent, nempe ne inde proximus scandalifetur, peccet, & fortè æternum damnetur: qualia semper relinquenda sunt, si proximus inde ex infirmitate cadat, uti in hac materia ordinariè fieri, & in Davide patet, & ex cer-



tâ experienciâ constat : quia talis scandalosus incendi modus apud omnes est *illicium Diaboli*, & apud Tertullianum *naturalis invitatio libidinis*.

8. De cætero consuetudo, quamvis immemorabilis foret, hîc vos juvare minimè potest, quia nulla consuetudo præscribit contra legem Dei vel naturæ, sed potius corruptela quàm consuetudo dicenda est. Aliunde autem communem esse consuetudinem nego omnino, plurimæ enim passim reperiuntur matronæ honestissimæ, quæ nobiscum damnabilem illam atque diabolicam consuetudinem condemnant atque deplorant. Quòd verò non remota dumtaxat, sed proxima peccandi occasio sit, & exemplum Davidis conyincit, & communis experientia clamat, ubi omnes, præsertim juvenes fateri debent, quòd talem ornatum & nudum incedendi modum videre non possint, quin vel inviti libidinosè moveantur, & per consequens non ex malitia, sed ex fragilitate naturæ corruptæ similibus tentationibus succumbant, quarum causa efficax non est alia, quàm vestra, ô mulieres, malitia & in amore vanitatis obstinatio.

9. Denique ex dictis minimè sequitur, quòd mulier ex natura sua formosa, aliunde tamen honestè vestita, in publicum licitè non procederet; quia ipsa tunc ad scandalum aliorum non concurrit positivè, cum nihil facere supponatur, nisi quod ex se licitum sit, nullâque lege prohibitum; contrarium autem fit quoad illas, quæ se adeò leviter & indecore exornant (quamvis quoad casum propositum & hoc in particulari casu, non tamen frequenter, posset pro aliquo tempore vi charitatis proximi fieri illicitum) & proinde si quis scandalifetur in tali casu ex naturali foeminae pulchritudine, est planè scandalum acceptum & ex malitia, quibus proinde convenit illud: *perditio tua ex te Israël*, & proinde nos seriò monet Sapiens, *averte faciem tuam à muliere compta*, sive naturaliter, sive artificialiter. Sed ad vos me converto, ô mulieres, & pro eo sit

10. **V**idete vos adeò vanitatibus vestris immer-  
sæ & quasi intoxicatæ quid faciatis, non  
proderunt vobis in die iudicii vanæ & inutiles simi-  
les excusationes in peccatis; videte, inquam, vos  
quæ in fenestris jacetis non satis testæ, quæ sic statis  
ad ostium, quæ ita perambulatis forum & publicas  
vias, quæ sic acceditis ad Ecclesiam Sanctam Dei  
ubi tremenda perficiuntur mysteria; ut salutemini  
& videamini, salutetis & videatis: videte, dico  
iterum, quia laquei estis Diaboli, nec sufficere exi-  
stimetis, si tali telâ membra tegatis, ut furtivè ap-  
pareat & dispareat nuditas: solent enim, ut expe-  
rientia testatur, vehementiùs ad libidinem incita-  
re tenuia ac perlucida talia siparia, per quæ, velut  
refractis radiis & quasi per rimam se pectoris can-  
dor aperit, de quibus sic loquitur S. Hieronymus:

S. Hieron.  
in c. 1. Ser-  
mon.

*abroganda sunt ea indumenta, quibus amictu corpo-  
ra nudantur potius quàm operiuntur.* Sed pergamus  
ad praxim, & videamus quid faciendum sit.

11. Dicite mihi N. N. si aliquis similes Veneris  
nymphas *lichtedanten* repelleret, atque absolutio-  
nem denegaret, donec efficaciter se emendassent,  
quàm essetis offensæ N. N.? quomodò similem  
Confessarium tamquam idiotam, scrupulosum &  
Rigoristam exagitaretis, imò verò exploderetis!  
si Sacerdos similibus, nisi honestè testis S. Eucha-  
ristiam denegaret, ac in scamno Communionis eas  
pertransiret, numquid lis ipsi ad reparationem ho-  
noris intentaretur? sed an malè illi facerent? an po-  
testatem suam excederent aut injuriam inferrent?  
meretur hoc fusiùs examinari.

12. Certum est apud omnes Theologos incapacem  
esse absolutionis, quisquis non tollit commu-  
ne scandalum dum potest: sed vidimus jam sæpiùs  
& clarè demonstravimus talem sese exornandi mo-  
dum mortaliter esse scandalosum. Item docent  
omnes, & docet Concilium Trid. incapaces absolu-  
tionis esse, qui non habent efficax propositum se  
emendandi de cætero; sed quomodò tale proposit-

tum habere potest illa, quæ sic ornata confitetur, ut taliter incedere sit peccatum mortale? Regula est generalis quod sit magnum sacrilegium absolutionem dare illi, de qua Confessarius non potest prudenter judicare. quod sit sufficienter disposita: quomodo autem hoc judicare potest de persona, de qua ex Regulis Theologiæ, & ex auctoritate SS. Patrum constat similes versari in continuo statu peccati mortalis? quid ergo jam judicatis? an male faceret Confessarius si similes sine absolutione dimitteret? unusquisque fateri debet, quod bene faceret; & tantum obligationem officii sui adimpleret.

13. Cogitabitis fortè apud vos ipsos, si hoc ita sit, undenam ergo provenit, quod similes paucas & rarè videamus dimitti inabsolutas? nescio ego, videant illi, quorum interest. Putem interim illos judicare, ut eos excusum quantum possum, vel excessum in vestium pompa non esse gravem, vel modum sic incedendi non esse graviter scandalosum. Equidem videant illi ne iniquitas mentiatur sibi, & ne timor offensionis vel respectus humanus prævaleat fortè zelo honoris Dei & salutis multarum animarum, quod conscientiarum eorum, quos tangit, relinquo.

14. Profectò zelosissimus ille amator Dei, & salutis animarum zelator S. Carolus Borromæus ordinavit, ut similibus confessiones non exciperentur. Alexander VII. omnes Præsules, Confessarios ac Prædicatores vehementer exhortatur, ut omni modo hunc abusum tollant. Denique Innocentius XI. felicitis memoriæ in Brevis non ab adeò multis annis dato, tales non tantum Sacramentis Ecclesiæ indignas censet, sed & excommunicatione dignas. Utinam in mulieribus hujus temporis zelus honoris atque pudoris exurgeret, quo motæ Domine & Domicellæ ad instantiam Episcopi sui votum emisissent dimittendi omnem ornatum & modum vestium scandalosum, quod certè nemo refugere (sic credo & spero) si majorum suorum vestigia

Avorum, Aviarum, Abaviarum, &c. Principum, virorum & matronarum imitari non detrectarent, quorum & quarum depictas ad vivum tabulas tam sollicitè ad perennem unusquisque suæ familiæ memoriæ conservat. Utinam inquam eorum modesto atque honesto, quamvis etiam pretiosiori quàm hodie vestitu & incedendi modo confunderentur, ea ipso profectò omnes illi vani, indecori & ridiculi novi modi *nienvv moden* exploderentur.

15. Certè deberent Magistratus illum honoris Dei & boni publici, quod inde non parum dependet, zelum habere, ut similes abusus efficaciter impedirent. Utinam in illis zelus ille exurgeret, quo permota serenissima & prudentissima Respublica Veneta decrevit, & sub gravissima multa prohibuit cujuscumque conditionis mulieribus, puellis & maritatis, *sine velo in capite, seu cultu ipsi solis meretricibus congruente* Ecclesias ingredi: gravissimamque pœnam determinat maritis nobilibus & ignobilibus hoc non impediens, quod decretum & ejus executionem ad longum refert Engelgrave.

Si hoc ab omnibus Magistratibus, conformiter ad decretum Caroli V. gloriose memoriæ decerneretur & executioni mandaretur, quàm securè in hora mortis, tamquam fideles Dei sui dispensatores ex hac vita discederent! quanta morum honestas & mutatio subitò appareret! quot fornicationes & adulteria, & inde quot proles publicæ misericordiæ exponendas præcaverent! quantam benedictionem à Domino Deo & hîc & in futuro meritò expectarent! quantum floreat, & ab antiquo floruerit Respublica Veneta, tot prodigiöse de Turcis victoriæ, tot divitiæ quibus abundat, tanta toto Orbe hujus Reipublicæ fama & gloria, non immeritò piissimæ & prudentissimæ hujus Serenissimi Senatûs administrationi adscribitur.

16. Sed ad vos redeo, ô vanæ mulieres, quæ obstinatæ in vanitatibus vestris perseveratis, quæ

quæcumque & qualiacumque dicantur vobis, si vestro infecto per vanitates palato minùs sapiant, reficitis, contemnitis, eridetis. Miseret me vestri & compatior vobis, quæ indubiè ad summum sanctitatis apicem ascenderetis, si ea faceretis & pro amore Dei pateremini, quæ præjudiciis vestris præventæ, & vanitatibus vestris excæcatæ cum gustu suffertis. Compatimini Domicellæ non raro, & compassionem vestram exterius proditis, dum Religiosos etiam nobiles & delicatos per nivem & glaciem, sæpè cruentatis & congelatis pedibus incedere videtis, volo vobis vicem reddere, compatior & ego vobis sed magis animabus vestris, dum tenellulas puellas, & domicellas delicatissimas asperri-  
mo hyemis tempore intectis brachiis, collo, pectore, vel saltem taliter tectis per plateas & fora incedere video, qualiter Seneca loquitur: *video fericas vestros, si vestes vocanda sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus potest.* Compatior vobis, dilectissimæ filix, videor enim mihi vos videre stridere dentibus & præ frigore totas obrigescere. Compatitur etiam vobis S. Hieronymus, qui ex compassione vos monet, & adjuras, ut citò tegatis nuda brachia, colla, pectora, nisi citò cœlitùs vapulare velitis, *ableganda sunt, ait, ea indumenta, quibus amicta corpora nudantur magis quam operiuntur.*

Seneca lib.  
7. de Benef.  
6. 9.

Isaia 56.

17. Demique compatitur vobis Isaïas Propheta, undè clamat ad vos, *cùm videris nudum operi eum, non tantum pauperes, sed & carnem tuam ne despexeris.* Quod nisi feceritis, ne malè sumatis si vos *martyres Diaboli* dixerim, quæ utique ut Diabolo serviatis, id facitis, id patimini, quod nec pro amore Dei, nec ad satisfactionem peccatorum vestrorum faceretis. Quàm barbarus, quàm inhumanus, quàm rigorista haberetur, & undequaque exploderetur ille Confessarius, qui simili Domicellæ in salutarem peccatorum suorum poenitentiam injungeret, ut certis horis sola in horto mediâ hyeme, nudis brachiis, collo, pectore, &c. deam-

bularet ? hoc tamen in Templo , in plateis , in publico , ut videatis & videamini , ut salutemini & ſalutetis , non illubenter facitis. O excæcatum vanitatis amorem ! ô martyres & canes venaticos Diaboli ! ô ſacrificulas Aſmodæi ! quæ ſuper altare nuditatis veſtræ tot animas puſillorum vos concupiſcentium ſacrificatis Veneri & Aſmodæo ! ſed ſtringo calamum , ne extra metam ſaltem.

18. Utinam N. N. Concionatores adèd in verbis ſuis forent efficaces , ſaltem quoad aliquas , quàm fuit S. Bernardus quoad Sororem ſuam , de quo narratur quòd cùm illa in divitiis & deliciis ſæculi perſultaretur , eidem Deus inſpiraverit , ut fratres ſuos viſitaret. Cùmque veniſſet quaſi viſura venerabilem fratrem ſuum , & adeſſet cum comitatu ſuperbo & apparatu magno , ille deteſtans & execrans eam tamquam rete Diaboli ad capiendas animas , nullatenus acquievit exire ad videndam eam. Quod audiens illa confuſa , & compuncta vehementer , cùm ei nullus fratrum ſuorum occurrere dignaretur , cùmque à fratre ſuo Andræa , quem ad portam invenerat monaſterii , ob veſtium apparatus *ſtercus involutum* argueretur , tota in lachrymas reſoluta , *etſi peccatrix ſum* , inquit , *pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum , idcirco conſilium & colloquium bonorum requiro. Etſi deſpicit frater meus carnem meam , ne deſpiciat ſervus Dei animam meam. Veniat , præcipiat , quidquid præceperit , facere parata ſum.* Hæc ergo promiſſionem tenens , exiit ad eam cum fratribus ſuis frater ejus. Et quia ſeparare à viro non poterat , primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu veſtium , & in omnibus ſæculi pompis & curioſitatibus interdixit ; formam vitæ matris ſuæ , in qua multo tempore vixit cum viro , ei interdixit , & ſic eam à ſe dimiſit. Illa autè obedientiſſimè parens præcepto rediit ad propria , mutata repente ſecundum omnipotentiam dexteræ excelsi. Stupebant omnes adoleſcentulam , nobilem , delicatam , ſubitâ mutatione in habitu & viſtu , in medio ſæculo vi-

tam ducere eremiticam, donec post binos annos, licentiâ à marito obtentâ, se totam Deo dicavit, & sicut sanctè vixit, sic sanctè creditur mortua. Ita Guilielmus, l. 1. c. 6. vitæ S. Bernardi, sed finio.

Epil. 96.

19. **V**idimus modò N. N. quàm periculosus & damnabilis sit status illarum, quæ in vestij pompa & indecoro modo incedendi adedò excedunt. Vidimus quomodò omnes jam dictæ & similes excusationes, quas Domicellæ prætereunt solent, ut vanitates suas defendant, iis in die Judicii nihil profuturæ sint. Quæ cum ita sint N. N. rogo vos pro amore Dei, & per salutem animæ vestræ vos obtestor, descendant ea quæ jam diximus in cor vestrum, non agitur de re exigui momenti, dum de felici vel infelici æternitate agitur. Nolite dicere, quid mea interest, aliorum animos ad concupiscentiam vel libidinem non provoco: nolite dicere cum impio Cain, *numquid custos fratris mei ego sum?* credite mihi N. N. non sunt nugæ vel fabulæ quas dicit S. Augustinus agens de honestate mulierum: *quia illorum anima, inquit, qui perierunt in die Judicii requirenda sunt ab iis, qui illis exemplum perditionis ostendunt, vel incentivum præbent delinquendi.* Ecce si vos viris vel juvenibus perditionis exemplum, libidinis præbeatís incentivum, animarum illarum damnatio vobis imputabitur, & quamvis aliud nihil commississetis, vel ob hoc solum in æternum damnabimini.

20. Si verò putetis vos causam perditionis illorum minimè esse, vel jam dictis, similibusque vanitatibus ac nuditatibus vos ignem libidinis in cordibus illorum non accendere, vel vos erratis, vel (quod blasphemum est vel cogitare) Spiritus S. qui per Sapientem attestatur: *propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit.* Notate verba, signate Mystera. Causa propter quam multi periére & damnati sunt, est vanitas & excessivus mulierum ornatus, *propter speciem mulieris, & ne hoc raro admodum contingere,*

Epil. 9.

adeoque occasionem remotam dumtaxat esse pute-  
tis, dicit: *multi perierunt*, non aliqui, non pauci,  
sed *multi*. Sed an vos illius culpa & occasio? an vo-  
bis, ô mulieres, hoc imputandum est? inquiramus  
ergo quomodo perierint: & *ex hoc*, inquit, ex vi-  
su illius vanitatis & nuditatis, *concupiscentia*, pes-  
sima illa peccati originalis radix aliunde sæpè sopi-  
ta, ex attractu & flatu scanda**losæ** nuditatis, inferna-  
lis ille concupiscentiæ ignis *exardescit*, & totum  
spirituale animæ ædificium destruit.

21. Finio ergo hanc materiam N. N. verbis S.  
Chrystostomi, & cum eo rogo singulas vestrum Do-  
minæ, Domicellæ, puellæ, mulieres, & obtestor  
unamquamque vestrum, *vocis illius recorderis quam  
in baptismo professus es, professa: abrenuntio tibi Sata-  
na & pompa tua*. Hoc promisisti, hoc vovisti, hoc  
jurasti per Patrinum & Patrinam; illi testes erunt  
in die Judicii, sed & Angelus vester custos, testis  
tunc erit contra te, si non feceris, si promissionem  
non tenueris, si ejus admonitionibus, correctioni-  
bus, inspirationibus non obtemperaveris. Undè N.  
N. si hîc in terris vocem Domini Dei vestri audire  
non velitis, ut obediatis voci ejusdem, si potius  
eam contempnatis, & sitis de numero illorum, qui-  
bus S. Stephanus exprobrabat, *vos semper Spiritus S.  
resistitis*, nihil vobis aliud restat expectandum, quàm  
exprobratio illa divina, *perditio tua ex te Israël*.  
Nihil aliud vobis restat in die Domini, in horribili  
Dei judicio, quàm audire formidabilem illam, &  
totâ æternitate numquam finiendam sententiam,  
*discedite à me maledicti in ignem æternum*, &c. quod  
à me & vobis omnibus avertat Deus benedictus Pa-  
ter & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.





# CONCIO LXVI.

## De Otio.

**THEMA.** Hæc fuit iniquitas Sodomæ , superbia , saturitas panis , & abundantia , & otium ipsius & filiarum ejus. *Ezech. c. 16.*

EXORD.

1. **Q**uomodo Sodoma , Gomorra , & tres vicinæ Civitates igneo ac sulphureo imbri à Cœlo cadente à Deo punitæ penitusque deletæ sint , ita ut cum adultis simul parvuli & lactantes , bestię terræ cum avibus Cœli eadem ruinâ & divinâ maledictione involverentur , non putem aliquem vestrum ignorare , idque ut Angelus testabatur Abrahæ , eò quòd clamor iniquitatis eorum ascendisset usque ad Thronum Dei. Possemus hic inquirere quænam fuerit illa tanta istarum Civitatum iniquitas , propter quam tam severè & exemplariter punitæ sunt , nisi id Ezechiel Propheta claris terminis explicaret , dicens : *hæc fuit iniquitas Sodoma , superbia , saturitas panis , & abundantia , & OTIUM ipsius & filiarum ejus.* Cœrtum autem est quòd incolæ illarum Civitatum sic à Deo puniti non sint , nisi propter gravissima peccata carnalia contra naturam , propter Sodomiam , quæ ibi passim grassabatur , & vindictam clamabat in Cœlum.

2. Quomodo ergo , dicit aliquis , Propheta asserit quòd iniquitas Sodomæ fuerit illius superbia , abundantia rerum , otium ejus & filiarum ejusdem? Sic loquitur Propheta , & optimè quidem , non quòd prædicta illa omnia causa destructionis Sodomæ fuerint in se & formaliter , ut patet ex eo quòd una ex causis assignetur abundantia rerum , quæ ex se mala non est , imò verò est benedictio Dei temporalis , adeòque in se & formaliter non fuit iniquitas , sed causativè tantum , quatenus scilicet benedictio Dei temporalis in rebus ad usum humanum

necessariis, earumque abundantia ipsis causa fuit, quòd illis Dei donis abutentes ita superbirent & otiantur: deinde otium omnes illas voluptates carnales, & tam horribilia peccata produxit. Sic itaque otium benè dicitur iniquitas, & quidè meo iudicio præcipua iniquitas Sodomæ dici potest, cùm causa fuerit, origo & radix omnis iniquitatis quam Sodomitæ unquam commiserunt, ut proinde à S. Bernardo appelletur *omnium malorum sentina*. Et à S. Basilio *preceptor omnium vitiorum*.

3. Imò ipsimet Ethnici, solo lumine naturæ instructi, non ignorarunt pravitatem & malitiam otii. Crates proinde Thebanus inveniens aliquem otio indulgentem, petebat ab eo quam artem exerceret; at ille, mecum, inquit, loquor; cui mox respondebat vir ille sapientissimus, cave ne cum homine malo loquaris, sic innuere volens, quòd nihil agere sit primus gradus ad omnem iniquitatem & malitiam. Sed nec à veritate aberrat S. Anselmus lib. 1. de similit. cap. 41. dum cor humanum comparat molendino, è quo si bonarum cogitationum frumentum auferatur, statim Diabolus pravarum cogitationum & desideriorum zizania molenda injicit.

4. Itaque cùm jam egerimus de omnibus ferè exterioribus, quæ sunt fomenta & incitamenta ad venerea, utpote de turpium visu, auditu, loquela, vano ornatu mulierum, &c. materiæ connexio exigat, ut de otio agam: est enim otium officina omnium vitiorum, est fons, ex quo tamquam aqua abundè profluit omnis iniquitas, est caput, & inde etiam vocatur peccatum capitale, ex quo vitam, incrementum, & suum esse accipit omne ferè peccatum. Ut ergo officina illa claudatur, fons ille exsiccetur, hoc caput amputetur, ostendam hodie parte 1. quòd ex omnibus peccatis, quæ ex otio oriuntur, & cujus mater est, primogenita illius filia sit luxuria. Parte 2. adferemus motiva, quæ ad hoc capitale vitium sollicitè fugiendum nos efficaciter excitare valeant. Finiemus conformi exhortatione, priùs tamen

## A V E M A R I A.

PARS I.

5. **P**osset aliquibus curiosa fortè videri quæstio, quale peccatum faciat qui nihil boni facit; cum enim communiter dicatur, qui dormit non peccat, nempe quia nullam dormiens legem obligantem transgreditur, sic etiam videri posset non peccare, qui nihil boni facit, dum nihil boni faciendo etiam legem obligantem non transgreditur. Sed hæc ridicula est quæstio, & à S. Chrystomo exploditur, qui dicit: *cavendum ne stultia has quæstiones indagemus, nempe quem habiturus sit locum, qui nihil boni agit.* Sed quare hoc stultè quæritur, fortè reponet nonnemo; nullus enim damnabitur nisi qui in decursu vitæ peccavit seu malè egit, ergo salvabitur ille, qui nihil boni egit, & tunc benè quæritur quem locum habiturus sit: vel si non salvabitur, ergo nihil boni faciendo peccat. Sic est, ait S. Chryst. *nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere.*

S. Chryf.  
Hom. 16. in  
Ep. ad Eph.

6. Quare autem & quomodò hoc malum sit, explanat similitudine, quam juverit de verbo ad verbum referre. *Dicas velim, ait, si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec conviciaretur, nec contradiceres, imò nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret, sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum qua servus hero suo prestare debet, faceret, non flagellares illum ut perversum, &c.* indubiè. Sic omnes sumus servi Dei, & titulo creationis, redemptionis, &c. posuit nos Deus in vinea sua, id est Ecclesia, ut operemur; si ergo otiosi tempus nostrum teramus, & nihil boni faciamus, æternum cruciabimur, quia fixa est apud Dominum Vineæ sententia, *omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Eo enim ipso ad nihil utilis est, nisi ad ignem, quo fructus non profert. Et ideò Christus Dominus ut hoc ostenderet, maledixit ficulneæ, quia fructus non habebat. Applicata ad hominem & discurre.

7. Otium verò non solum hæc ratione malum

est, sed insuper peccatum perniciosissimum est, mater & origo omnium malorum, omnium peccatorum, omnis nequitiae & iniquitatis. Hoc est, quod intendit Sapiens, dum dicit: *per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus spinæ.* Non est mirum, quod hoc ita viderit Sapiens; non enim aliter poterat esse: hæc enim est maledictio divina propter peccatum Adæ: *maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi..... in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ecce hæc est maledictio terræ propter peccatum. Si enim Adam non peccasset, terra sponte & inculca produxisset frumenta, herbas bonas & salutiferas, produxisset fructus suos; sed jam maledicto Dei subjecta, sponte & ex natura sua nihil profert nisi zizania, spinas & tribulos: frumenta autem, fructus & herbas bonas ac salutiferas non profert, nisi exculta, stercorata, nisi purgata, nisi multo labore & sudore elaborata: quia homo amplius non vescitur nisi in sudore vultus sui. Quid ergo mirum quod Sapiens transiens per agrum hominis pigri & otiosi ac non laborantis, nec agrum suum excolentis, viderit eum opertum zizaniis, spinis & tribulis? sed an Sapiens nihil aliud vellet homines his verbis edocere? putem ego & aliud hinc latere mysterium: explanabo conceptum, vos judicate an bene.

8. Negari non potest, quin anima hominis bene comparetur agro vel horto, sic sæpè comparatur à SS. Patribus, imò ab ipsomet S. Paulo Apostolo, dum sic monet Corinthios & Galatas: *qua seminaverit homo, hæc & metet.* Hoc si ad litteram de terreno semine intelligatur, non est dubium, experientia enim illud reddit evidens: sed quod non tam de terreno semine loquatur quàm de spiritali seminatione, patet ex eo, quod subdit: *quoniam qui seminaverit in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu me-*

*set vitam aternam.* Ergo si homo, secundum Apostolum, seminet in spiritu seu anima, anima eodem sensu rectè comparatur agro. Itaque hic ager, anima à Deo creata, in principio creationis necdum maledicto divino subjacens sua sponte quasi & sine labore, imò cum maxima delectatione proferebat fructus bonorum operum, meritorum, actus fidei, spei & charitatis, ad quos per habitus correspondentes ex natura sua per Dei beneficium inclinabatur; sed postquam anima per peccatum privata est gratiâ sanctificante, amicitia Dei, donis omnibus supernaturalibus, statim subjecta est maledictioni divinæ, intellectus est obscuratus, memoria infirmata, voluntas perversa, liberum arbitrium corruptum, tota anima deformata & inclinata ad malum ab adolescentia sua, adeò ut homo relictus suæ infirmitati & naturæ depravatæ amplius ne vel unum actum meritorium suis viribus elicere valeat, sed *spinas & tribulos germinabit tibi*, spinas utique maximè pungentes, spinas tentationum, concupiscentiarum, perversorum desideriorum, stimulos denique carnis: nec amplius fructus bonorum operum producere potest, nisi homo cum gratia divina fideliter adlaboret, sudet, pugnet, & in continua lucta inter carnem & spiritum vivat, ut proinde sæpius sub tanto onere ingemiscat ipsemet Apostolus gentium, dicens: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ubi scilicet continua pugna & rara victoria. Et iterum: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: ut proinde continuo pugnandum & desudandum sit. *Regnum Cælorum vim patitur, & non nisi violenti rapiunt illud.*

9. Ex quibus collige quòd mirum non sit, nec videri debeat, si Sapiens videns hominem pigrum & otiosum, etiam agrum animæ illius viderit repletum tribulis & spinis omnium peccatorum, cupiditatum, voluptatû carnalium & concupiscentiarum: quid enim in eo mirum cum aliud germinare non

valeat, nisi mediante continuo labore, sudore, luctu & certamine contra mundum, carnem & sanguinem. Vultis jam videre quòd SS. Patres ab hoc conceptu non dissentiant? ecce S. Chrysostomus scribens super illa verba Eccli. *multam malitiam docuit otiositas*. Sic loquitur: *otium malitia pars est, imò non pars sed causa & mala radix: omnem quippè malitiam docuit otium*. Et iterum: *valdè desidero, inquit, bonis vos operibus esse occupatos: omnium enim vitiorum quasi magistra quadam atque origo est otiositas*.

S. Chryf.  
Hom. 16. in  
Epist. ad  
Ephes.  
Item Hom.  
36. in Marc.

10. Addamus & S. Augustinum: loquens enim de otiositate, dicit: *per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc suffocamur pretiosè vestiri, per hanc ad superfluum dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur libenter audire, &c.* Denique concludit: *numquam quis Civis Cælorum erit, si otiositatem amaverit*. Attendite ergo vos N. N. & si scire velitis an sitis ex prædestinatis Christi ovibus, an verò ex præcitis hœdis, credite Augustino, & examine vos; quomodò tempus vestrum transigatis, an otiosè, an nihil agendo, an agrum animæ vestræ in labore & sudore continuo excolatis, ut fructus bonorum operum proferat, an verò otiosi tribulos & spinas concupiscentiarum & voluptatum carnalium germinare sinatis, & indè certi sitis, *numquam quis civis cælorum erit qui otiositatem amaverit*. Quia *qua seminaverit homo, hac & metet*.

S. Aug. ser.  
17. ad FF.  
in Eremo.  
Tom. 10.

11. Porro, quamvis omnium vitiorum parens sit otium, maximè tamen, & quasi ex natura sua parens est luxuriæ & concupiscentiarum carnalium. Etenim sicut Auceps sagittas in aves volantes dirigere non solet, sed tunc quando in arbore, tecto vel terrâ sedent quietæ, eas solet ferire, sic tartareus ille Auceps Diabolus non nisi otiosos Cupidinis telis ferire & flammis venereis inflammare solet, vel saltem lethaliter ferire. Quod ipsimet Ethnici Poætæ non ignorarunt, inter quos Qvidius sic canit,

Otia si tollas, perire Cupidinis arcus.

Et ad idem alludit Poëta Flander.

..... Op een ghemerke baen  
 en eenen steen die tolt, en vvaest gheen oncruyt an.

Aug. Serm.  
 17. ad Frat.

12. Denique ut in hac materia brevis sim, nullus vobis pulchrius hujus veritatem ostendere, sed & probare posset, quam S. Augustinus in Sermone quem habuit ad fratres suos in Eremito: sic ergo eos ibi monet: *quem tades orare vel psallere, laborare manibus non differat.* Sed quare, ô S. Augustine, ad hoc sollicitus es, ut excites tuos ad perpetuum exercitium? respondet: *cogita quamdiu David exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuria: sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, & homicidium commisit.* Quamdiu David in Philistinos arma movebat, aciem disponebat, suis in prælio præibat, quamdiu cogitabat quomodo & quando melius hostem aggrediretur, non sensit sibi carnem rebellem, non oculos in alienam mulierem lascivè coniecit; sed postquam domi otio indulgens, postquam benè pransus undèquaque ex Solario coniecit, vidit mulierem se lavantem, & sensit concupiscentiæ motus, peccavit, maritum illius Uriam ad castra occidendum remisit.

13. Pergit S. Augustinus, & ego cum eo: *Salomon non potuit capi ab hostibus, sed postquam in sinu fœmina dormivit, & otiosè cum ea remansit, mox capitur & excacatur. Salomon dum occupatus esset in adificatione Templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens, &c. mox est submersus libidine suâ, & tamquam sus in volutabro, in luxuriæ, & carnalis turpitudinis cœno ita se volutavit, ut ipsemet de se fateatur, quod nihil oculis suis negaverit, sed concupiscentiis & carnalibus voluptatibus plenariè frænâ laxaverit, de cujus proinde salute merito dubitatur. Si hoc contigerit N. N. in viris in SS. Litteris commendatissimis, si hoc in viridi, quid in arido fiet? quid in nobis miseris, fragilibus, vel aliunde fortè lascivis? proinde post hæc omnia S. Augustinus*

CON-

concludit, & seriò omnibus inculcat, *vigilate fratres, quia nec sanctiores Davide, nec Samsone fortiores, nec Salomone sapientiores vos cognosco.* Hæc eadem N. N. vobis dico. O maledictum otium! ô pestem omnis virtutis! nolite vos decipere, ait S. Bernardus; *otio velut janua utitur Damon, ut illicitas carnalium delectationum illecebras, etiam in purissimas mentes insinuet.*

Bern. lib. 1.  
de consid. ad  
Eugen. Pap.

14. Ad prædictorum autem confirmationem adhuc unum testem profero irrefragabilem, utpote, qui à propria experientia loquitur, nempe S. Hieronymum. *Dum essem juvenis, inquit, & solitudinis me deserta vallarent, ardorem natura ferre non poteram; quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus astuabat.* Post hæc subdit, quòd se totum studiis dederit, & in illis noctes diebus adjunxerit, ac protestatur se explicare non posse, quot labores ibi exantlaverit, sciens, ait, hoc unicum remedium ad omnes tentationes edomandas, quòd tamen nec jejuniis nec disciplinis efficere potuerat. Sed nec hoc mirum videri debet, cum olim ab antiquis illis Eremitis & Patribus pro Regula generali & certa teneretur, quòd *qui laborat ab uno Dæmone, otiosus ab innumeris infestetur.* Ex quò N. N. discite, quid in tentationibus vobis faciendum sit.

15. Denique hoc ita esse Deus aliquando S. Antonio Abbati ostendere dignatus est, prout in vita illius narrat S. Athanasius; cum enim Vir sanctus post prolixas preces aliquando quiesceret, ac otiosus federet, non tantum vanis, sed & lubricis cogitationibus mox divexabatur, quòd sentiens, animò in Cælum erecto, *Domine, dicebat, cupio salvari; & cogitationes meæ bellum mihi cient;* quæ dicens, vidit non procul à cella sua virum monachali veste indutum, jam orationi insistentem, jam sportas plectentem, qui dixit Antonio, *fac tuè similiter, & salvaberis,* quo dicto mox evanuit. Alio tempore, eadem tentatione vexatus, ita ad Dominum orabat: *ô Samaritane Domine Deus, ô animarum*



corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde seruo tuo misericordiam, ut in Eremito collocatus, in conspectu tuo non maneam otiosus. Quâ oratione dictâ, mox audivit vocem: *Antoni cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, semperque aliquid facito: fac quod in te est, & non deficiet tibi auxilium de Sancto.* Ita iterum S. Athanasius. Sed tempus est, ut sit

PARS II. 16. **E**X dictis sufficienter probatum est, quod otium sit parens omnium malorum, & ut communiter dicitur, pulvinar Diaboli, ad quod proinde fugiendum serio vos monent SS. Patres, & merito: quia ad idem omnes exhortatur satis clarè Dominus & Salvator noster singulariter in parabola de homine Patre-familias, qui exiit primo manè conducere operarios, nec in omnibus quos conduxit, aliud culpavit, quàm *quid hic statis totâ die otiosi?* Si autem Salvator & Dominus Deus noster, qui per Patrem-familias in dicta parabola significatur, otium illis hominibus exprobraverit, qui tamen aliqualem & fundatam videbantur habere excusationem, dicentes: *nemo nos conduxit*, potiori jure hoc nobis exprobrare potest, sed & exprobrabit Christus Dominus, *qui ad operandum, ait Origenes, in Baptismo conducti sumus.* Si enim adeò increpaverit eos, qui necdum conducti erant, quod starent otiosi, quid faciet de iis qui jam conducti sunt? qui pretioso sanguine illius sunt redempti? qui in Baptismo militiæ illius nomen dederunt? quid expectandum illis Christianis qui nihil aliud agunt, nihil student, quàm ut NIHIL agant, & otiosè viventes pretiosum tempus prodigant? si denuò in mundum veniret Christus Dominus, quid diceret illis juvenibus, Domicellis, puellis, qui totis diebus nihil aliud agunt, quàm vagari per plateas, confabulari, garrere & similibus nugis tempus suum terere, imò verò quid aliud iis dicit in Evangelio, quàm *quid hic statis totâ die otiosi?*

27. Scio, vos minimè otiosos dicitis, dum voluptatibus & sensualitatibus vestris indulgetis, imò met

Origenes  
Tract. 10.  
in Matth.

Matth. 20.

dicitis, ambulemus, jocemur, ludamus; secretemus nos, ut tempus teramus, omittit te passerem. Ego verò dico vobis, quòd vos qui nihil agitis, nihil cogitatis, nihil sapitis quàm quæ mundanam vanitatem sapiunt, cum hæc omnia verè nihil sint, reverà nihil agitis. Sed an hoc parvum putatis malum? malum est, & malum maximum, & malum tantum, ut ex præcipuis causis una fuerit, cur Sodoma cum adjacentibus civitatibus à Deo exusta penitusque deleta fuerit; malum est, de quo S. Hieronymus dicit: *tenebris firmissimè quòd omnis concupiscentia & immunditia atque peccati mater est otiositas*. O juvenes, juvenes, qui vix Philosophiâ salutatâ, otiosi plateas obambulat, & puellarum frequentatis consortia, horis integris, imò & diebus statis otiosi, qui ebulliente sanguine in omnem luxuriam præcipientes ruitis, *Tenebris firmissimè quòd omnis concupiscentia & immunditia atque peccati mater est otiositas*. O Domicellæ atque puellæ, quæ, ut Isaias ait, *quasi columba ad fenestras suas assiduò prospectantes, nictantes, salutantes*, imò quæ non in aliùm finem videmini venire ad Ecclesiam, *tenebris firmissimè*, &c.

S: Hier. de  
Monach  
Egyptiæ

Isaias 94

18. Utinam, utinam inquam vos & omnes vobis similes videre possetis Dæmones saltantes & in dorso vestro insidentes tamquam pulvinari; uti aliquando vidit S. Antonius Archiepiscopus Florentinus; hic cum ad Ecclesiam pergeret, vidit in via in parvâ domuncula Matrem viduam filiasque tres egregiè nentes, quòd cum attentius aspiceret, Angelum domûs hujus tecto insidentem conspicit, eamque sanctam familiam arbitratus, largam eleemosynam tribuit, quæ labore seposito coeperunt se otio simulque luxui tradere: cumque rursus S. Antonius transiret, non Angelum sed Dæmones tecto insidentes vidit, atque introspiciens illas non laborantes, sed otiosas, comptas, garrulas, unamque eam præcò suo invenit: quibus statim, ut Angelus per laborem rediret, eleemosynas subtraxit. Heu! si hodie oculis videre daretur adeò clarè quam divinitus vidit

S. Antonius, quot Dæmones in hac Civitate similibus domibus insidentes conspiceremus !

Eccl. 33.

19. Audiant hæc & timeant otiosi hujus sæculi homines, & certò sciant quòd otium sit pulvinar Diaboli, origo omnis malitiæ, seu ut Sapiens dicit, quòd *multam malitiam docuit otiositas*; imò, si enumerare vellemus omnia, nullum scelus inveniremus adedò grave, quod otio ortum non duceret. Sicut ergo Diabolus nihil magis quærit, quàm homines reddere otiosos, sic è contrario nihil magis timet, quàm aggredi homines, qui semper honestis occupationibus detinentur. Ita ipsemet Diabolus sæpè fateri coactus est antiquis illis & Ss. Patribus in Eremito olim existentibus. Exemplum habemus in S. Euphrasia moniali, quam quãdam die aquam haurientem Diabolus in puteum præcipitavit, sed innoxie, apprehendentem enim chordam situlæ & clamantem, accurrentes sorores extraxere; quæ sibi reddita, *vivit Christus meus*, aiebat, *non me vinces diabole, hætenùs unam tantummodò hydriam culina detuli, verùm ex isto die laborem duplicabo, & posthac deferam duas*. Sicut dixit, sic postea fecit. O utinam sic quisque cum Diabolo ageret, utinam diceret, non me vinces maligne, si hætenùs unam tantum horam labori, orationi, studio impendi, imposterùm duplicabo & triplicabo laborem.

Prov. 7:

20. Hinc est, quòd ad strenuè laborandum, ac in labore non deficientum, sed animosè pergendum, exhortetur nos Sapiens exemplo formicæ: *vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & discite sapientiam*. Q. D. si rationibus & exhortationibus non moveamini, ut addiscatis & videatis quàm utile & necessarium sit evitare otium, saltem vos qui rationabiles estis, illud ab animalculis irrationabilibus addiscere non pigeat: *vade ad formicam, ô piger*. Sed quid ibi addiscetis N. N. nisi ad confusionem vestram suo tempore laborare, ut in tempore necessitatis habeatis undè vivatis, non corpo-

raliter tantum, sed maximè etiam spiritualiter, ad-  
discetis scilicet in exercitio virtutum laborare, ut il-  
læ in altera vita vos comitentur, quæ solæ divitiæ  
sunt perennes. *Vade ad formicam piger.* Quare? ad  
quid? quæ cum non habeat ducem nec præceptorè, parat  
sibi cibum in aestate, & congregat in messe quod come-  
dat. Nempè ut nos doceat nunc congregare virtutes  
& merita, quibus in æternum vivere valeamus.

21. Profectò si naturam formicarum penitè in-  
trospicere libeat, reperiemus abundè undè doceamur,  
undè ad omnes omnis generis virtutes excitemur. An non ita sit, ex paucis his illarum proprietatibus collige. 1mò. Formica est parvum animal-  
culum, sic nos docet humilitatem. 2dò. Formica fo-  
cias laborantes gnaviter adjuvat, sic docet nos fra-  
ternam dilectionem, & æqualem onerum distribu-  
tionem. 3tiò. Formica semper sollicita hinc indè  
curstat, ut vel unicum granum frumenti reperiat,  
sic docet nos vitare otium, & sollicitè laborare in  
Vinea Domini Sabaoth. Itaque uno verbo moneo  
vos cum Sapiente, intelligitis jam quid velit; *vade  
ad formicam piger, & considera vias ejus.*

22. Ad hæc denique considerate N. N. & seriò  
perpendite, quàm seriò (Deus det ne seriùs!) de-  
ploraturi simus quòd adeo infructuosè tempus no-  
strum transfegerimus, tempus adeo pretiosum, tem-  
pus quo hìc acquirere poteramus divinam miseri-  
cordiam, & postea gloriam sempiternam, tempus  
quo virtutum & meritorum thesauros numquam  
perituros tam faciliè congregare poteramus, denique  
tempus illud, de quo clamat Apostolus, *tempus breve  
est, & iterum, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc  
dies salutis.* Et ne infructuosè illud elabi sinamus,  
tempus adeo pretiosum, ut modico tempore om-  
nes damnati pœnitentiam agere, & salvari possent,  
si illud daretur, quod tamen totâ æternitate non  
dabitur, quia datum neglexerunt: undè dicit idem  
Apostolus: *dum tempus habemus, operemur bonum,*  
vel si non velimus modò dum possumus, postea  
non poterimus dum volemus.

23. Ne autem lassus & tædio affecti labori succumbamus pusillanimitate, consolatur nos Apost. postquam enim monuit, *bonum facientes non deficiamus*, hanc consolatoriam immèdiatè subdit rationem: *tempore enim suo metemur*. Si labor videatur gravis, molestus, & diuturnus in fugiendis peccatis eorumque occasionibus & tentationibus, in exercendis virtutibus, & tot difficultatibus in via virtutis ingruentibus devorandis, *non deficiamus, tempore enim suo metemur*. Metemur indè mercedem sempiternam, metemur gloriam infinitam, metemur Dei visionem & fruitionem: quem si verè diligere vel incipiamus solum, labor, si appareat, reverà non erit gravis, quia ubi amor est, labor non est. Recordemini Patriarchæ Jacob quantum laboris impenderit ut Rachelem in uxorem obtineret; ecce bis septem annis servivit Laban patri illius, die & nocte in custodia gregum vigilabat, somnus fugiebat ab oculis ejus, & tamen, ut facer Textus testatur, *videbantur ipsi pauci dies pro amoris magnitudine*.

24. Sic etiam N. N. si verè, si ardentè, si prout oportet Deum vestrum diligatis, totus vitæ vestræ decursus, quamvis in laboribus, doloribus, vigiliis & angustiis, videbuntur equidem pauci dies, *tempore enim suo metemur*. Proinde ut homines carnalibus rebus nimium addictos, pigros, otio indulgentes, & in eo adeo obdormiscentes, ut vix excitari posse videantur, tandem aliquando Apostolus excitet, & lethargiam illam excutiat, tamquam tubam exaltat vocem suam, & fortiter clamat: *fratres hora est jam nos de somno surgere*. Satis otio, satis pigritiæ, satis luxui datum, satis dormivistis in nocte malitiæ, *nox præcessit*, nox tenebrarum, nox exæcationis, nox peccatorum, *dies autem appropinquavit*, dies gratiæ, dies indulgentiæ, dies divinæ misericordiæ, *undè hora est jam nos de somno surgere*; si verò surgere verè & resurgere velimus, debemus cooperari: quia Dei gratia nos excitat quidem, sed ex lecto pigritiæ violentè non extrahit, sed nostrum est gratiâ divinâ excitati & ad-

Ad Rom. 13.


luti surgere. Sed quomodo surgere? quid facere debemus? respondet Apostolus, *abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & emulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Sed ut finiamus, sit

25. **V**idimus modò N.N. quot & quanta mala ex uno otio tamquam radice & omnis malitiæ **EPILOG.** fertilissimo Seminario pullulent; vidimus motiva, quæ nos excitare debent & efficaciter inducere, ut otium tamquam animæ pestem fugiamus, nihil modò restat nisi ut me & vos omnes excitem, quatenus consideremus, & seriò perpendamus quanta faciant & sustineant patienter, imò & delectabiliter sæculares, & dies noctesque impendant, nec ullus labor sit nimius, dum spes vel modici lucri temporalis affulget: sed proh dolor! ut divitias acquiramus cœlestes, ut virtutes & merita, solas divitias numquam perituras cumulemus, quibus in æternū vivamus, modicus, imò minimus labor nos fatigat & dejicit. O cæcitas humana! ô deploranda generis humani pigritia! pigritiam dicam, ah malitiam? hoc intima viscera aliquando commovit S. illius Episcopi Nonni, & copiosas lacrymas ex oculis ejus expressit. Res quomodo contigerit meretur referri.

26. Sanctus ille vir semel cum aliis Episcopis obviam factus Pelagiæ famosissimæ illi Antiochenæ meretrici, cæteris Episcopis oculos avertentibus, solus ipse curiosius undequaq; contemplatur, & aliis desuper stupētibus lacrymabili voce & cum singultibus dixit: quot horas hæc mulier expēdit se ornans, totâ mentis cogitatione ad hoc intentata, ut suâ pulchritudine oculis amatorum sæculi placeat, & nos habentes Patrem in Cœlis Dominum Majestatis tanta præmia promittentem, nihil studemus animabus exornandis & sordibus expiandis: sed patimur eas desidiâ quâdam marcescere. Hæc S. Nonnus. O

si sic quisque diceret! sibi inquam diceret, quot viarū incōmoda ferunt mercatores, quot noctes infomnes ducunt advocati, ut modicum lucrum temporale acquirant? quot juvenes integras noctes ante fenestram transigunt incommode, ut amasiæ suæ placeant? quid puellæ & Domicellæ non faciunt ut pulchræ & delicatulæ appareant? quæ non manducantur, ut caro candida appareat? &c. Et nos pro Deo, pro regno Cœlorum quid facimus vel facere vellemus?

27. O. N. N. si sine labore Regnum Cœlorum non obtinebitur, sed ut Salvator docet, si *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, profectò jam est tempus laborandi, tempus pugnandi, tempus vincendi, quia nisi jam vincamus, pro æternitate captivi Diaboli cruciabimur in gehennalibus flammis; proinde, ait, *videte*, quòd omnia quæ sunt in mundo nihil sint, nisi vanitas vanitatum, *vigilate ne infernalis hostis, qui semper ad interitum & perditionem vestram vigilat, inexpectatò vos otiosos obruat, & orate*, quia illa sunt arma, quibus pugnare, vincere, & triumphare debetis, semper solliciti, semper parati, ut tamquam boni milites Christiani, Christo de militiæ vestræ œconomia rationem reddatis, *nescitis enim quando tempus sit*. Exhortor ergo & finio verbis S. P. N. *Francisci*, quæ ut semper menti, cordi, animæ quàm altissimè impressa geratis, cord-intimè voveo: *voluptas brevis, pœna perpetua; modica passio, gloria infinita; multorum vocatia, paucorum electio, omnium retributio*. Quam nobis largiatur Deus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. A M E N.



## CONCIO LXVII.

### De Ebrietate.

THEMA. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ad Ephes. 6. 5.*

Exorp.

I. **D**escripsimus suprâ currum luxuriæ, qui à S. Bernardo Serm. 39. in Cant. comparatur

currui Pharaonis, qui persequabatur filios Israël, ideo nempè, quia hic currus luxuriæ persequitur omnes homines, etiam Christianos & electos Dei; in tantum ut nemo sine particulari gratiæ divini auxilio illum effugere valeat, sicut nec filii Israël currum Pharaonis effugissent unquam, nisi Deus illos portentoso miraculo eripuisset.

Porro ex eodem Bernardo pro duobus equis, qui currum illum trahunt, prosperitatem vitæ assignavimus & rerum abundantiam, quibus equis si currus luxuriæ destituatur, ordinariè sistitur & quiescit: quia ubi multa infortunia, lites, adversitates, ægritudines, &c. illis homines ita obrui solent, ut de libidine ne vel cogitare lubeat. Deinde ubi paupertas magna est ac indigentia, ibi deficiunt epulæ, cessant recreationes, prohibentur potationes, quæ omnia maxima luxuriæ sunt fomenta ac incentiva, ut proinde communiter & benè dicatur, *sine Baccho & Cerere, friget Venus.*

2. Sed econtra ubi prosperitas vitæ, ibi luxuria prædominatur & principatum tenet, de quo agere videtur Sapiens dum dicit: *prosperitas stultorum perdet eos.* Perdet utique & undique perdet: quia cum ad luxuriam, scortationes, adulteria & similia peccata maximæ expensæ fieri debeant, dum per prosperitatem vitæ numquam deficit pecunia; numquam etiam deficit materia ubicumque libidini indulgendi; & dum adest rerum abundantia, cibi potusque copia, semper etiam adest internum libidinis incentivum, excessus scilicet in iisdem. Quòd autem res sic sese habeat, testes rursus sunt maledicti Sodomitæ, qui sicut in omnem luxuriam atque libidinem effusissimi, sic & consequenter fuerunt scelestissimi. *Hæc enim, ait Propheta, fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia vinorum.*

Prov. I.

3. Benè ergo dicit S. Augustinus, *ebrietas quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo* S. Aug. Serm. 237. de act.



*ad charitatis vel sobrietatis lucem redire non permittat.* De hoc pestifero vitio nobis hodie agendum est, & meritò: sicut enim qui radicitus morbum aliquem extirpare intendit, & sic perfectè sanari ac in sanitate conservari, non tantum morbo, qui jam est, mederi debet, sed etiam ab omnibus illis imposterum cavere, quæ talem morbum, ad quem ex prava corporis dispositione natura inclinatur, renovare possent; sic pariformiter qui luxuriæ febrim pestilentissimam curare vult & funditus extirpare, non tantum occasiones, quæ proximius concurrunt & febrim illam ex natura rei accendunt, fugere debet, sed etiam omnia illa, quæ vitiatam in Adamo naturam ad illam febrim inclinant, sicut imprimis facit ebrietas.

Hinc pro scopo hodierni discursus assumpsi verba illa Apostoli, *nolite inebriari vino in quo est luxuria*, ratione quorum parte 1<sup>ma</sup>. examinabimus theologicè quid sit ebrietas. Parte 2<sup>da</sup>. describemus eam moraliter cum effectibus ejusdem numquam satis deplorandis. Quomodo autem vehementissimum sit libidinis incentivum pro Concione sequenti reservabimus. Dicamus ergo

## A V E M A R I A.

PARS I. 4. **S**I Ebriosos Idololatri compararem, reperire-  
 tur fortè nonnemo qui me rem nimium exaggerare diceret; ego verò non solum hoc dico, sed etiam ipsos veros idololatrias contendo, sed & probò: Apostolus enim Paulus prævidens indubiè novissimis & corruptis sequentium sæculorum temporibus plurimos futuros nominetenus tantum Christianos, qui de gravissimis etiam & in se & in suis effectibus peccatis parum curarent, & Legem divino-naturalem vanis & futilibus in peccatis excusationibus obnubilare ac enervare conarentur, seriq̃ monet suos Corinthios, & in iis omnes futuri temporis Christianos ne sese decipiant, dicens: *an-  
 1. ad Cor. 6. nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* ubi

non agit de iniquitate, prout est particulare peccatum diametraliter justitiæ commutativæ oppositum, sed sicut justitiæ sæpè sumitur pro observatione totius Legis divino-naturalis, & collectione omnium virtutum, quæ in homine justo requiruntur, ita sumit hîc iniquitatem in generali pro omni genere & specie peccatorum, quæ gratiæ divinæ opponuntur, & à Regno Dei excludunt: atque hoc sensu omnis peccator est iniquus, sicut dicit S. Joannes in sua Epistola *peccatum est iniquitas*. Sic ergo ait, *an nescitis quia iniqui Regnum Dei non possidebunt?* proinde subdit, *nolite errare, nolite futilibus excusationibus & callidis palliationibus Legem Dei enervare, quia neque fornicarii.... neque ebriosi..... Regnum Dei possidebunt*, sed tamquam divinorum mandatorum contemptores & in hac & in altera vita divinæ subiacebunt maledictioni.

5. Dices fortè, quomodo indè probat ebriosos esse idololatrias? ô N. N. S. Paulus Apostolus non modò id probat, sed & cum lacrymis deplorat dicens: *multi ambulans, quos sæpè dicebam vobis (nunc Ad Philipp. 3. autem & flens dico) inimicos Crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus ventris est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Vos perstringit Apostolus ô ebriosi, qui vos totos ventri impenditis, qui omnes vestras cogitationes, omnia studia, omnem industriam, omnes pecunias & opes ad gulam & ventrem refertis, qui ventrem Deo præponitis, & pro gula Dei legem ac amicitiam violare estis parati, qui de peccatis etiam turpibus, de quibus pudore confundi deberetis, vos ipsos jactatis & gloriamini.*

6. Vos itaque dico *inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus ventris est*. Ad quem locum Apostoli alludens Hugo Victorinus, sic dicit: *solent Diis Tempora construi, Altaria erigi, Ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, stura concremari: ita Deo ventri Templum est coquina; Altare, mensa; Ministri, coqui; immolata pecudes, cocta carnes; fumus incensarum, odor saporum, Spiritusq; San-*

*Aus eorum vini & temulentia spiritus & flatus.* Hæc ille. Deinde illius idololatricæ cæremonias per antitheses describit Alanus in planctu naturæ præâ 6. In Templo veri Dei, inquit, Ecclesiastici die nocturque divinas laudes decantant, ebriosi in comestationibus & ventris Templo recitandis nugis & dissolutionibus occupantur. In Templo orationes privatim & publicè continuantur, in tabernis detractioes & fabulæ non cessant. In Templo devotæ instituuntur Processiones, hîc autem choreæ & comestationes diabolicæ in multam noctem protrahuntur. Ibi salutatio Sacerdotis dicentis: *Dominus vobiscum*, & populi festiva congratulatio dicentis: *& cum spiritu tuo*; hîc ad ingurgitationes & æquales haustus mutua exhortatio. Ibi dicitur, *ite Missa est*, & cum benedictione datur populo exeundi licentia; hîc dicitur, *ite mensa evacuata est & vasa vini sunt exhausta.* Ecce quomodò popinæ sint diaboli oratoria, & Tempa ubi Deus venter colitur. Quid mirum ergo, quòd de huic vitio addictis Deus conqueratur apud Oseam Prophetam, *saturati sunt, & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei.*

7. Videamus modò quid sit ebrietas, quæ benè describitur, excessus in potando causâ voluptatis usque ad violentam usûs rationis privationem. Additur hîc *causâ voluptatis*, quia nonnulli volunt ebrietatem non censerî vitiosam, si quis ex præscripto Medici, tamquam necessarium curationis medium seipsum inebriari permittat, quod an possit esse necessarium curationis medium, Medicis discutendum relinquo, cujus opinionis veritate suppositâ, certum videtur illud adhuc non licere, nisi ad notabilem infirmitatem aliàs incurabilem auferendam.

Porrò ebrietatis malitia in eo consistit, quòd aliquis ex sensualitate per excessivû potum se rationis usu adeò privet, ut non nisi exteriori formâ à bestiis distingui amplius videatur; quod rectæ ratiõni adeoque juri naturali graviter repugnat, ex quo consequens est ebrietatem à Deo prohibitam, eò

quòd in se mala sit. De cætero cum omne illud quod talem violentam usûs rationis inducit privationem, meritò censeatur excessivum, patet quòd non debeat fieri respectus ad potûs quantitatem vel personæ qualitatem, adeoque si aliqua persona etiam mediâ pintâ vini inebriaretur, si voluntariè & liberè fieret, perfectè peccàret peccato ebrietatis.

8. Sed, dicet aliquis, quomodò sciam quòd perfectè fuerim ebrius & privatus usu rationis? notandum imprimis, quòd ad perfectam ebrietatem non requiratur totalis & omnimoda usûs rationis privatio, sed sufficiat tam gravis illius perturbatio, ut homo in communibus seu necessariis negotiis se rationabiliter dirigere non valeat. Hinc perfectæ ebrietatis indicia communiter adferuntur sequentia: v. g. quando quis postridie non meminit præteritorum, quomodò domum venerit, qualiter se quieti dederit, quid dixerit & fecerit, &c. Item quando quis potus ea fecit, quæ mente integrâ numquam fecisset, vel se fecisse postridie pudet, &c. v. g. proferre vel facere turpia, totam turbare familiam, jurare, execrari, blasphemare, &c. cum aliàs castus, pacificus, ac in modo agendi & procedendi sedatus esse soleat. Non tamen semper sufficit ad perfectam ebrietatem, parva gressûs titubatio, linguæ balbuties, capitis vertigo, visûs offuscatio, levis rationis perturbatio, quorum tamen omnia & singula, dum voluntariè eveniunt, ad magnum peccatum veniale sufficiunt.

9. Petes, quid ergo dicendum de illis potentibus ad potandum, qui se lotis & lotis generosissimi vini ingurgitant, aliquando etiam usque ad vomitum, absque eo tamen quòd umquam usu rationis priventur? profectò sicut excessus ille est admodum gravis & bestialis, & per consequens rectæ rationi valdè contrarius, sic etiam videtur enormiter lædi temperantia: si autem reperiantur aliqui, qui similes à graviore culpa excusent, mea non interest, equidem non auderem ego, præsertim quan-

do attendo ad id, quod ipsis denuntiat Isaias Prophetas dicens: *va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Profecto à recta ratione alienum apparet quod ii minùs culpabiles censerentur, quàm illi qui facillè potu tacti usu rationis privantur, cùm aliunde illi potentes ad bibendum limites sobrietatis graviùs transgredi videantur, quàm hi de quibus loquimur. Verum enim-verò quis irrationabile non dicat personam vino vel potui inebriativo inassuetam modico vino vel forti cerevisiâ usu rationis privatâ peccati mortalis accusare, & illos ab eo immunes declarare, qui usque ad guttur sese ingurgitant, præsertim cùm pessimi effectus, qui ex ebrietate oriri solent, non minùs in his quàm in illis locum habeant?

10. Suppono itaque tamquam certum & apud omnes Doctores indubitatum, quod perfecta ebrietas sit peccatum mortale, secluso etiam scandalo & omnibus aliis extrinsecis, tum quia graviter adversatur rectæ rationi, tum quia ab Apostolo ad Galatas c. 5. inter opera carnis, quæ excludunt à Regno Dei, recensetur, tum quia ebriosi, ut ait idem Apostolus 1. ad Cor. c. 6. regnum Dei non possidebunt: ubi per *ly ebriosi* non tantùm intelliguntur illi, qui in ebrietatibus habituati sunt, sed etiam omnis ille, qui vel semel se voluntariè inebriat; sicut enim per fures non tantùm intelliguntur illi qui in furtis sunt habituati, sed etiam qui vel semel in materia gravi furantur, pariformiter eodemque modo discurrendum est de ebriosis.

11. Cùm autem dixerimus, quod ebrietas semper peccatum mortale sit, si sit voluntaria & libera, meritò hîc quæri posset, quandonam talis censeri debeat: ad quod respondeo, quod ebrietas tunc sit voluntaria & libera, quando vel expressè intenditur, de quo non est dubium, quin peccatum mortale sit, sive multum bibatur sive parum, sive bibatur sive non: vel quando intenditur interpretativè, quod tunc fieri censetur, quando bibitur pro posse non curans.

do, sive ebrietas sequatur sive non, vel quando animadvertitur instantis ebrietatis periculum, eoque non obstante à bibendo non desistitur.

Ecce ebrietatis descriptio theologica; tempus est ut eam & moraliter cum horribilibus ejusdem effectibus delineemus, pro quo sit

12. **P**Lurimi SS. Patres ebrietatis vitium quàm vehementissimè infectati sunt, & monstrum illud vivis coloribus delinearunt, inter quos SS. Basilium & Augustinum audire sufficiat. *Ebrietas*, inquit S. Basilium, *est Daemon voluntarius ex voluntate animabus nostris inditus. Ebrietas malitia mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit.* Non inferioribus titulis illam decorat S. Augustinus, ex quo sic benè describitur: *ebrietas est anima corruptela, insania voluntaria, procella corporis, tempestas lingua, naufragium castitatis, amissio temporis, & bonorum prodigalitas, omnium vitiorum mater, omnium origo flagitiorum.* Quorum singula dum declarando explicabimus, quid moraliter sit ebrietas sufficienter innotescet.

13. Imprimis benè dicitur *anima corruptela*. Est enim illa peccatum mortiferum animam mirè commaculans, eamque integram veluti pestis contagiosa inficiens, ac coram Deo & Angelis ejus omninò foetentem reddens. Non enim ita foetet corpus putridum coram hominibus, sicut anima ebrii coram spiritibus Angelicis. Undè refertur in vitis Patrum, quòd cum Angelus in corpore assumpto cum quodam ex illis Patribus in via graderetur, invento cadavere putrido hominis, coepit senex nares obstruere non valens foetorem sustinere: cui dixit Angelus, *quare nares tuas constringis?* respondet ille: *quis non obstringeret tali foetore occurrente?* processerunt ulterius, & occurrit eis juvenis quidam decorus, ornatus sertis floridis, & cum adhuc longè esset, coepit Angelus nares obturare, quasi foetorem importabilem sentiens. Miratur Eremita, & inquit

PARS II.

S. Anton: a.  
part. sum.  
Theol. 1. c.  
65. §. 1.

causam. At Angelus dicit ei : *juvenis ille plus facit in conspectu Dei & Angelorum, quàm cadaver, quod vidisti, in conspectu hominum.* Erat autem ebriosus simul & luxuriosus.

14. Ecce mortiferum & pestiferum animæ contagium. Pests è domo omnes eam incolentes procul ejicere solet : non minùs facit ebrietas, quæ ex anima omnes sanctos habitatores expellit, Spiritum Sanctum scilicet cum donis & virtutibus cunctisque piis desideriis, ac simul omnia bona opera in anima inventa commaculat. Ebrietas ergo verè est animæ corruptela & infectio : & ut dixit quidam ex SS. Patribus, *blandus est Dæmon ebrietas, dulce venenum, quem qui habet, seipsum non habet, & quidquid facit peccatum non facit ; sed ipse totus est peccatum.* Nempe quia ebrius, sepultâ jam ratione, omni peccato vel peccati periculo se exponit : Quid dicitis N. N. si ebrietas est blandus Dæmon, numquid horribile est Dæmonem teterrimum sponte & cum voluptate imbibere ? quare ergo ingressum obtinet in animam vestram, à qua procul arcendus erat, nisi quia blanditur, arridet, adulatur, & mille lenociniis hominem decipit ?

15. Deinde ebrietas benè dicitur *procella corporis*, sicut enim cymba vento agitata huc illucque titubans se versat, nec seipsam regere potest, eodem modo homo ebrietate exagitatus se gerit. Proinde ebrio applicari potest illud Sapientis, *eris sicut dormiens in medio mari ; & quasi sopitus gubernator amisso clavo.* Conformiter ad hunc locum sic pulcherrimè discurret S. Chrysostomus his verbis :

S. Chryf.  
Serm. contra  
lux. & crap.

„ sicut navis oneraria quæ supra suam magnitudi-  
„ nem vehenda capit, oneris magnitudine gravata  
„ submergitur, ita anima & corporis nostri natu-  
„ ra, si plures acceperit cibos quàm ferat natura,  
„ impletur & injectorum gravitatem non amat, &  
„ in perditionis pelagus demergitur, & nautas &  
„ gubernatores, & eos qui in prora & alios navi-  
„ gantes, & ipsum onus cum hominibus perdit. Si

cut igitur non tranquillitas maris, non scientia  
 gubernatoris, non nautarum multitudo, non præ-  
 parationis studium, non anni pars tempeſtiva,  
 non aliud quidquam navi, quæ ſic in tempeſtate  
 eſt, prodeſt: ita & delicatis evenit, neque cogi-  
 tationum multitudo, neque eruditio aut admo-  
 nitio, neque conſilia, neque timor futurorum,  
 aut aliud quid ſalvare poteſt ſic perſcitantem  
 animam, ſed invaleſcit luxus & amentia per om-  
 nia, & aquas deferens grave facit naufragium.  
 Sic ergo luxus & crapula non ſolum corporis ſed &  
 animæ procella eſt, quam in profundum mergens,  
 in mortis deducit naufragium. Quomodo autem  
 ebril corpus & anima quaſi tempeſtate jactetur,  
 ſic deſcribit S. Ambroſius: *hinc ebruiſ vana imagi-  
 nes, incerti viſus, inſtabilis greſſus; umbras ſape  
 tranſſiunt ſicut ſoveas. Nutat his cum facie terra,  
 ſubito erigi & inclinari videtur, & quaſi vertatur  
 rimentes in faciem ruunt & ſolum manibus appre-  
 hendunt, concurrentibus montibus ſibi includi viden-  
 tur. Murmur in auribus, quaſi maris fluctuantis fra-  
 gor & reſonantia fluctu littora.*

S. Amb. de  
 Elia & jea  
 ſun. c. 104

16. Denique ebrietas benè dicitur *amiſſio tempo-  
 ris, bonorumque prodigalitas*. Quòd amiſſio ſit tem-  
 poris ex eo patet, quòd ebruiſ in popinis dies no-  
 cteſque conſumant: quòd ferendum aliquatenùs  
 videretur, ſi ſaltem diebus Feſtis & Dominicis tem-  
 pus Deo conſecratum in ipſius injuriam ſimilibus  
 non impenderent. Ad quid enim N.N. tempus illud  
 hominibus ab Eccleſia determinatum eſt, niſi ut  
 divinam bonitatem ſibi propitiam reddant, ut San-  
 ctorum patrociniùm implerent, ut ad eorum ſo-  
 cietatem aſpirent & properent, ut amiſſam Cœli  
 hæreditatem recuperent, ut torpeſcentem volunta-  
 tem excitent, ut commiſſam deſleant iniquitatem,  
 & divinæ miſericordiæ gratias debitas rependant?  
 ſed hoc tempore quid ſit? omnia hæc vilipendun-  
 tur, totum tempus carnalibus deſideriis & ſæculari-  
 bus voluptatibus impenditur, Templâ & Oratoriâ



diaboli, cauponas intelligo, frequentantur, ibi cantus ejus & psalmi, id est cantica lasciva & juramenta resonant, ibi ventri tamquam Deo Sacrificium offertur, ibi, uno verbo, Christiani hodie se ostendunt inimicos Crucis Christi.

Ecc. 19.

Aggæus 1,

S. Amb. lib.  
de Elia c.  
33,

17. Nec tantum tempus amittitur, sed & bona temporalia prodiguntur: experientia enim ineluctabiliter probat veritatem illius, quod dicit Sapiens: *Operarius ebriosus non locupletabitur*. Probarem illud exemplis, nisi ipsimet ebriosi sponte faterentur, & quod ipsis tacentibus uxorum proliumque querelæ sufficienter evincunt. Hinc iterum Propheta Aggæus dicit: *qui congregavit mercedes, misit eas in saccum pertusum*. Ebriosi enim illi quidquid per totam hebdomadam labore & industriâ suâ acquirerunt, die Festo vel Dominico occurrente in saccum pertusum conjiciunt, id est in ventrem: qui citò omnes operariorum labores devorat, & eorumque familiam ad inopiam adigit, ac, ut ait S. Ambrosius, *uno die bibunt multorum dierum labores*, & solent esse talis genii, ut quando florenum lucrati sunt, ad minus pro tribus sitiant.

18. Non illepide Socrates, cum quâdam die plateam pertransiret, in qua domus quædam venalis exposita erat, cujus possessor gulæ, ebrietati, epulisque admodum deditus fuerat, ita dicebat: *persensiscebam & odorabar, domum illam vino semper plenam, hospitem tandem suum evomituram*. Bone Deus! quot familiæ per nimiam virorum porationem, & filiorum filiarumque licentiosam vitam corrûere & ad pauperiem devenere! ubi enim maritus ebriosus est, filii & filiæ vanitatibus, inutilibus discursibus, excessivis recreationibus indulgent, negotia negliguntur, pecuniæ inutiliter dilapidantur, mercatura claudicat, vel computus malè instituitur: & quid inde? quid inquam inde provenit, nisi debitorum defraudatio & impotentia, ac infamis cum innumerabilium innocentium irreparabili damno simul & injusta foricessio? ulterius quid inde non

parò accidit, nisi furta, chyrographorum vel cambiorum falsificatio, ac tandem ad æternum familiarum dedecus infamis in publico foro dies? ecce quid mali, etiam in Republica ex una solaque ebrietate ad luxu oriri soleat.

19. Non immeritò proinde similis Paterfamilias nauclero comparatur dementi: si enim nauclerus demens sit ac insanus, quomodo navim gubernare, pericula prævidere, cyrtes & carybdes evitare, quomodo denique naufragium effugere poterit? navi non incongruè comparatur familia: O Patresfamilias! vos estis naucleri, navis vestra familia vestra est, huic assiduè invigilare debetis. Sed quomodo invigilabitis, si sitis ebriosi? parum enim distat ebrius à demente, imò eo esse videtur peior: quis enim nauclerus ad gubernandum aptior, demens an ebrius, *die Sot is, oste die Sat is*, non ego facile discernerem. Interim vos vestrà culpà naufragium facitis, naufragium bonorum, naufragium infamia, naufragium in œconomia domestica, donec tandem ad interitum secundum utriusque hominem navigetis, *naer Gales met het scip sint Reyn uyt.*

20. Nonne sic fit N. N. dum ebriosi isti quilibet divendere coguntur, etiam usque ad vestimenta sua & supellectilem necessariam, imò & usque ad ædes ac prædia, ac illa bona immobilia sibi à Parentibus in hæreditatem relicta? Hæc est infelicitas miseranda, sed, ut melius loquar, demencia non ferenda, quæ etiam nonnumquam Patriam deserere cogit, & quasi in spontaneum exilium commigrare, ut per varias Provincias divagentur vel militiam infortunatè sectentur. Utinam N. N. utinam sola temporalia divenderent, & non simul animam in æternum numquam redimendam dæmoni ac inferno oppignorarent!

21. Quoad hoc horribile refert exemplum *Thomas à Cantiprato*. Sedebant, inquit, in taberna viri quidam, & cum incaluisse sero, varios inter se

*Cantiprato*  
lib. 2. c.  
58. par. 2.

sermone miscabant, inciditque ille, quid futurum foret post hanc vitam. Tunc unus: *vanè decipimur à Clericis, dicentibus animas sine corpore vivere post mortem.* Hoc dicto omnibus in risum concitatis, supervenit homo staturâ robustus & grandis: vinum & ipse postulat, quæritque quis sermo inter eos? *de animabus,* reponit ille, *si quis meam emere velit, optimo pretio darem, & pretium in commune ad bibendum conferrem.* Ridentibus omnibus, is qui supervenerat, ait: *talem ego mercatorem quero, paratus sum eam emere, dic pretium.* Conventum est de pretio, solvit emptor, bibitur calice pleno. Vespere autem facto, *tempus est,* ait ille, *ut quisque ad sua revertatur, sed ante date iudicium: si quis emeret equum capistrum vinculo alligatum, numquid & jus habet in capistrum?* affirmant omnes. Mox ergo venditorem cum anima & corpore in conspectu omnium elevat, & secum absque dubio ad inferna detrahit. Diabolus enim erat in specie hominis. Quis namque alius animarum mercatorem se diceret, nisi is in cuius figura ab Abraham dictum est: *da mihi animas, cetera tolle tibi?*

22. Felicius cessit cuidam potatori, quodam in loco iudicis officium agenti, prout refert Gotschalcus Holen Ordinis Sancti Augustini Concionator Serm. 101. in parte æstivali. Habebat, ait ille, præfatus iudex conjugem valde piam, quæ Deum quotidie precabatur, ut à potatione maritum avocaret, & cor reduceret. Eleemosynis hunc in finem datis pauperes adhibebat etiam precatores. Accidit verò eum quâdam nocte temulentum redire & per cœmiterium transire. Ibi casu in lapidem impingens in maledicta contra Deum & Virginem erupit. Mox verò apparuit ei imago cuiusdam mortui, terribili specie. Ille nihil pavidus interrogat: *Quis esset?* respondeturque ei: quod ego, tu eris. At ipse vino animatus subjungit: *Quisquis es, veni mecum, ad cœnam te invito.* Responsum iterum ei est: *vade, mox sequar.* Cùm domum appulisset, rem

secum plenius conferens, timore quodam percellitur, aperitque uxori quod gestum fuerat, se quemdam invitasse non admittendum, ideòque ostia, & fenestras omnes diligenter claudi jubet. Paulò post cum mensæ assideret cogitabundus, venit invitatus pulsans fores: cumque non intromitteretur, iterum & tanto fragore pulsatur, ut tota domus contremisceret, & ostia omnia spontaneè sese referant. Ait ergo intrans: *en adsum quem invitasti, tecum mihi comedendum est.* Fugiunt omnes, describitur ipse totus trepidus. Iterum verò vox invitati ad illum: *Tu invitasti me, nec fercula jam apponis; ego te ad cœnam meam reinvito, fercula mea videbis. Tertiâ die venies, & comparebis.* Sic disparuit. Sequenti die totus tremulus, omnium peccatorum confessione conscientiam purgare fuit sollicitus, expectabatque diem & horam condictam, non sine animi horrore. Illo die raptus est in locum, ubi vidit omnia genera potatorum, & mensam serpentibus, sulphure, pice, igne refertam: dixitque ei invitans: *en cœna mea, comede nunc & bibe, potum sume cibumque appositum.* Cumque ipse hæreret, & horreret quasi emortuus præ timore, reductus est in locum suum, totus canus & deceptus effectus. Ex hac visione ita ad mentem rediit, ut postea gravissimam cum lachrymis poenitentiam egerit.

23. **V**Idimus modò N. N. quid sit ebrietas, quàm grave peccatum, quomodò in homine ebrietati dedito pessimos effectus operetur, & sic vel propter propriam & intrinsecam turpitudinem, secluso etiam Dei præcepto, homini rationali dedecens & execrabile sit. Quæ cum ita sint, finio verbis Apostolicis quibus incœpi, *nolite inebriari.* Quare? respondet Oseas Propheta: *quia fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor,* id est hominẽ reddunt quasi insensibilem, ut sicut bibit vinum, sic simul bibat & iniquitatem, & ad divinas inspirationes Religiosorumque exhortationes obsurdescens omnia contemnat, imò sine timore Dei fræna relaxans omni

EPILOG.

malitiæ & iniquitati, desperat de futuris in tantum, ut nec gehennæ tormentis deterreatur, nec spe cælestis beatitudinis excitetur.

24. Profectò hoc sibi proprium habet ebrietatis vitium, quòd peccatorem constituat in certo quasi & inevitabili periculo æternæ damnationis, idque specialiter præ omnibus aliis peccatis. Peccatores enim qualescumque si mortis periculum ingruat, cum rationis compotes sint, pœnitere possunt, possunt & Sacramentis expiari. Solus autem ebrius, cum usu rationis, adedòque liberi arbitrii exercitio privatus sit, nec pœnitentiæ nec aliorum capax est Sacramentorum, ut proinde si lethaliter vulneretur vel catharro subito obruatur, certo certius æternam damnationem expectare debeat.

25. Quid ergo dicam N. N. ? quid dicam vobis ebriosi, nisi ut vos exhorter quatenus serio cogitetis vobis eandem manum eandemque sententiam imminere, quam olim Balthasar Babyloniorum Monarcha cernere coactus fuit. Vidit enim ille manum scribentem contra parietem : *Mans*, *Thecel*, *Phares* : & eadè nocte à Gyro spoliatus est vitâ simul & regno.

*Mans*, hoc est : ô ebriosi numerati sunt dies vitæ vestræ, & hoc ipso fortè die, quo ebrietate sepulti jacetis, morietini in inferno sepeliendi. *Thecel*, id est : in statera divinæ justitiæ estis appensi, & inventi estis pleni vitiis, temulentiam graves, & minus virtutis habentes quam à vobis requiritur. *Phares*, id est : divisi estis, corpus vestrum quòd adedò impinguastis & saginastis, jam vermibus alimentum erit & epulum ; anima verò vestra dæmonibus tradetur in ludibrium & tormentum. Sic, ô ebriosi, in profundam & inextricabilem abyssum merget vos vitium istud pestilentissimum.

26. O quot in ebrietate perierunt & pereunt ! perunt, inquam, in peccatis suis : habet enim etiam & hoc ebrietas, quòd vix umquam vitium illud solum sit, cum enim rationem suffocet, aliis crimi-

nibus ut animum inhabitent, facilem præbet ingressum : sicut enim castri custode perempto facile illud occupatur, non aliter fit cum arce animæ nostræ, cujus custodia rectæ rationi quasi gubernatori concredita est, quæ si per ebrietatem perempta jaceat atque sepulta, jam arx animæ omnibus vitiis atque sceleribus pervia redditur. Et quid inde illis tandem evenit, quibus omnes dies feriæ sunt, qui semper in consortiis, semper in potationibus, uno verbo semper ferè vino sunt madidi : epulantur, cantant, saltant, ludunt, & ut Job ait, *ducunt in bonis dies suos*, & prout tamquam bestię vixerunt, etiam sæpè tamquam bestię sine cruce, sine luce, sine confessione, sine pœnitentia, sine Sacramentis moriuntur, & *in puncto ad inferna descendunt*, quod à nobis & omnibus avertat Pater & Filius & Spiritus Sanctus Deus benedictus in sæcula. AMEN.



CONCIO LXVIII.

*De cæteris pessimis ebrietatis effectibus.*

THEMA. Nolite inebriari vino in quo est luxuria. *Ad Ephes. c. 5.*

1. **A**ntiqui ut ebrietatis effectus deplorandos exprimerent, eam depinxerunt sub imagine Bacchi, qui ab illis vini Deus appellatus est, fortè quoddam imitatus Noë viti colendæ se addixerit : depinxerunt autem Bacchum ut puerum, facie tamen mulieris, nudo pectore, vite coronatum, cornibus instructum, & tygridi insidentem. Hujus picturæ explicationem paucis accipite. Pingitur 1. ut puer, quia ebrietas hominem reddit insipientem & vacillantem adinstar pueri : linguam impedit, ita ut ebrius adinstar infantis balbutiat. Genua quoque reddit tremula caditque frequenter, quasi se sustentare non valeret. 2dò. Facie depingitur muliebri, quia ad luxuriam stimulat & accer-

EXORD.

Esa. 4:

dit, ut patet ex themate, *nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Virum insuper enervat vinum & effoeminat; quia *vinum & ebrietas auferunt cor.*

Prov. 31.

2. Ebrietas 3tio. nudo pectore depingitur, quia nescit tenere secretum, sed quidquid in corde latet effundit & manifestat. Unde Sapiens dicit; *noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Alio sensu nudo pectore depingitur, quod homines denudet, hoc est ad nuditatem & egestatem deducat: vel quod pudorem auferat, & ad denudandum se non tantum adolescentes, sed etiam adolescentulas impellere solet; quia vix ulla erubescencia, ubi potius prædominatur abundantia.

Sapient. 2.

Deinde vite coronata depingitur, quod fatuè homines exhilaret & ad multas resolutiones ridiculas impellat: quorum & similibus voces sic describit Sapiens; *coronemus nos rosibus antequam marcescant; & nullum sit pratum, quod non pertransseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuria nostra, ubique relinquamus signa latitiae.*

Prov. 20.

3. Denique ebrietas cornibus exornatur, quod elevet & inflat, superbiam & animositatem generans. Hinc facile de ebrietate ad arma conclamatur, pro telis calicibus & poculis utuntur, pro vino sanguis effunditur, & homines dum ebrii sunt invincibiles sibi apparent. Unde iterum Sapiens: *tumultuosa res est ebrietas*, ac proinde tygridi insidere depingitur, est enim tygris miræ velocitatis, virtutis, & crudelitatis. Uno verbo totum accipe ex S. Am-

S. Amb. de ebriet. &amp; jejun. c. 12.

broso, qui dicit: *ebrietas fomentum libidinis, & incentivum insaniam, venenum insipientiam: hæc sensus hominum mutat & formas: per hanc sunt ex hominibus equi hinnientes, &c.... Omnes sibi aequales in vino videntur, nullus inferior; non pauper diviti sedit, non infirmus valido, non ignobilis honorato.* Ecce effectus ebrietatis pessimos, quos explicare & probare erit pars 1. Parte 2dâ. inanes ebriorum excusationes refutabimus. Ecce materia hujus Concionis, sed prius

## A V E M A R I A.

4. **I**nter cætera salutaria monita, quæ Sapiens **PARS I.**  
humano generi reliquit, notatu dignissimum  
est illud, quod tradit Proverb. c. 14. ubi dicit :  
*est via que videtur homini justa, novissima autem  
ejus deducunt ad mortem.* Sed quomodo vel quare  
hoc? immediatè subdit : *risus dolore miscebitur, &  
extrema gaudii luctus occupat.* Quod si in aliquibus  
locum obtineat, specialissimè in ebriosis verificari  
autumo : ebrietas enim ineptam lætitiã generare  
solet, uti Script. S. sufficienter insinuat, dum de  
Populo Israëlítico sic dicit : *sedit populus manduca- Exod. 32.*  
*re & bibere, & surrexerunt ludere.* Sicut & de aliis,  
quorum Deus venter est, & qui in symposiis ac  
comestationibus sese indefinenter exercent, dicit  
Job : *tenent tympanum & cytharam, gaudent ad so- Job. 21.*  
*nitum organi, ducunt in bonis dies suos.* Numquid to-  
tum hoc jucundum? numquid similes homines ju-  
dicatis felices? indubiè : quia, ut ait S. Gregorius, *S. Greg.*  
*panè omnes epulas comitatur voluptas : nam cum cor- lib. 1.*  
*pus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane Moral,*  
*gaudium relaxatur.* Ecce quomodo sit *via qua vi-*  
*detur homini justa* seu jucunda. Sed quid inde? *risus*  
*dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.*  
Numquid sic est N.N. vos interpello ebriosi, quoties  
inanem lætitiã cum usura carò solvistis, dum illis  
ineptiis nimium indulgistis? quot capitis dolores,  
quot stomachi amaritudines devorastis? aliter non  
esse potest, quia, ut ait Sapiens, *vinum multum po-*  
*tatum amaritudo anima.* Ebrietas unius horæ hila-  
rem insaniam longi temporis tædio compensat.

5. Non illepidum est, quod de quodam studioso  
è Gymnasio Parisiensi paternos lares repetente re-  
ferunt. Hic cum in itinere quodam in hospitiò à sibi  
notis exciperetur lautè, & cum copiosa vini pro-  
pinatione; post computationem perquam suffi-  
cientem, urgebatur cohortatione amicâ ad hau-  
stus æquales, primò ad sanitatem hospitis & hos-



pitæ, iterum ad sanitatem filiarum ejus, denique & ad sanitatem ancillæ. Sic pergebat ipse potum jucundè & hilariter continuare, ita ut sequenti die capitis gravissimo torqueretur dolore. Discessit ipse hunc dolorem secum viæ ducens comitem. Cùmque in itinere ad fluvium pervenisset in quo adaquandum erat jumentum cui insidebat, exiguum aquæ bibit sobrium istud animal, sufficienter tamen naturæ. Ille verò sibilo, gestu, verbo urgebat, ut amplius biberet, cùmque recalcitraret & abnueret, hortabatur ut amore ancillæ, amore puellarum, amore hospitæ iterum & iterum biberet. At frustra. Quid ille? verè, inquit, longè prudentior me es, cum omni studio & doctrina mea. Si enim ego heri, eodem me modo continuisssem quo tu modò, cùm sufficienter naturæ datum erat, eâ nunc faucium alteratione & capitis acri dolore hæud torque- rer. Sic homo jumentis insipientibus insipientior redditur per crapulam & ebrietatem. Serotina vigilia nimis hilaris, & ineptâ exundans lætitiâ, triste mane parturit, & totum sæpè amarum reddit diem, tum ob conscientie remorsum, tum ob corporis & mentis hebetudinem, tum ob crumenæ evacuationem, tum ob alia incommoda per crapulam & ebrietatem sequi nata.

6. Ineptam illam lætitiâ veluti pedissequa Dominam mox subsequitur multiloquium, & ex multiloquio detractiones & temeraria colloquia ordinariè prodeunt, donec finaliter in rixas & contentiones prorumpat. Quid mirum? aliter fieri non potest, ait Sapiens, quia *in multiloquio non deerit peccatum*. Audiamus eleganter hæc pro more suo describentem S. Ambrosium, *sedentes in foribus tabernarum*, inquit, *tunicam vix habentes aut sump- tum sequentis diei, de Imperatoribus & Potestatibus judicant, imò regnare sibi videntur & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate divites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, civitates adificant, qui non habent undè cauponi*

Prov, c, 10,

S, Amb, de  
jerun, &

Elia, c, 12,

potūs sui pretium solvant. Fervet enim vinum in his, & nesciunt quid loquantur. Divites sunt dum inebriantur, mox ubi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Sic S. Ambros. verissimè loquitur, quia temulentia in jactantiam, præsumptionem, admirandam in verbis levitatem mendaciis intermixtam, ac in promissa inania, hisque similia, corda & voces resolvit.

7. Quid jam dicam de murmurationibus, detractionibus, maledictis, quæ lingua ebriosa effutit, nequidem, ut notat S. Ambros. supra, Regibus vel Magistratibus parcens. De hoc præclarum exemplum Pyrrhi Epirotarum Regis refert Plutarchus, quo docetur similibus detractoriis linguis, dum vino madent, parcendum magis quàm irascendum esse, cum similes detractiones & maledicentiæ ebrietati magis quàm pravæ voluntati sæpè adscribendæ sint. Audiverat præfatus Rex quosdam Tharentinorum parum honorificum de se sermonem in convivio habuisse. Accersit eos & percunctatur, num ita foret? num sermones vituperii & detractionis de se protulissent? unus simplici veritatis confessione respondit: *ita est, ô Rex, quadam contra honorem tuum elocuti sumus, & nisi vinum defecisset, plura abs dubio dicturi eramus.* Urbana hæc ebrietatis excusatio & veritatis nuda confessio adeò Regi placuit, ut iram illius in risum converteret, cum satis intelligeret ea quæ dicta fuerant magis vino, quàm malevolentia imputanda.

*Plutarch.  
Tom. 1. de  
Pyrrho.*

8. Sed ad peiores ebrietatis effectus procedamus. Ferendum aliquatenus inepta lætitia & multiloquiū videretur, cum ebriis nimis familiare & quasi proprium sit, nisi & turpiloquium & scurrilitas adjungeretur: ebriorum enim guttur est quasi sepulchrum patens, quod faciliè foetorem exhalat, quia ut bene S. Chrysostomus dicit, *ubi ebrietas, ibi diabolus: ibi turpia verba, ubi saturitas, ibique demones choreus agunt. Talem habebat mensam dives ille, propterea ne gutta quidem aqua dignus fuit.* Numquid

*S. Chrys.  
hom. 57.  
ad popul.*

sic est N. N. quis est qui nesciat, quomodò in tabernis stultiloquium & turpiloquium propriam sibi sedem elegerit in tantum, ut qui inter potationes turpiora proloquitur, eloquentior gratiorque habeatur? numquid ibi sales vocantur, quæ sine sale ab hominibus salacibus effutiuntur? his itaque & similibus meritò applicatur illud S. Judæ Apost. *hi sunt in epulis suis macula convivantes*, utpote quibus non sufficit quòd sordidi sint & maculati, nisi sint & ipsæmet *macula*, aliis nempè labem affricantes, alios commaculantes. Similes convivæ salacissimi in tabernis passim reperiuntur, qui amatoria ibidem comminiscuntur & lasciva: quia inter pocula ad similia concinnanda carmina, quæ spurcitiis vel scommatibus referta postmodum decantentur & in vulgus perniciosè spargantur, mixtim & certatim ingenia convivantium desudant.

Utinam vel ibi saltem sisteretur ebriorum impudentia, & in actionibus illorum nulla cerneretur scurrilitas! qui tabernas frequentant fortè melius quàm ego enormia, quæ ab ebriis committuntur, norunt, hoc scio ego multa illos in ebrietate committere, de quibus sobrii erubescunt. Bone Deus quanta vis vini! dum hæc semel animum possedit, quidquid mali in conscientia latitat, sæpè inverecundè eructatur. Tunc impudicus morbum confitetur & publicat. Tunc petulans non linguam, non manum continet. Tunc insolenti superbia, & livido crescit malignitas. Uno verbo tunc omne vitium prodit & detegitur.

Denique ad has etiam impudentias deveniunt ebrii, ut sacra quælibet in risum traducant, Sacerdotes & Religiosos, ritus & cantus Ecclesiasticos, Sermones & Conciones sacras in scurrilitates convertant, donec aliquando in horribiles Dei blasphemias prorumpant, quibus proinde applicari potest illud Isaiæ, *absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.*  
10. Horrendum desuper audite exemplum, quod

Isaia 28.

refertur à Gabriele Prateolo contigisse in Germania in Nekervio Pago. Duo, inquit, in eo Pago hospitium ingressi vinū petierunt, & primò quidem ipsis sat tenue & viride promptum est, quod Hornanum vocant; institerunt ipsi pro meliori, & obtinuerunt vinum vetus sat probum, sicque cœperunt inter se scyphis certare, cachinnari, debacchari. Cùm incaluissent mero, dicit unus: *cui nunc bibam?* Respondit alter: *bibe Deo, videbis quid responsurus sis. Vitrum arripit miser, & his verbis Deum compellat. O Deus, audi me, tibi de pleno scypho propino, & nisi rationem feceris, injuriam mihi feceris.* Sed de quo eā fundam, interrogat ipse socium, *cùm duplex nobis sit vinum?* Additque, hornanum mihi fundendum est, licet crudum & tenue, sat præstans pro ipso est. Levans ergo manum ait: tibi ô Deus. Miror an reperies bonum? si hoc anno illud melius effecisses, meliùs bibisses. His prolatis confestim irriguit, immobilis factus, sine sensu, respirationis quoque & loquelæ impotens, quamvis oculos clauderet ac aperiret. Socius eo prodigio deterritus fugit, alii eo in loco tunc præsentem amovere conati sunt, sed frustra. Vocantur ergo Scabini loci, quorum decreto homo funibus, & tribus equis extrahi iussus, sed nihil effectum. Quocirca Magistratus id iusto Dei iudicio fieri agnoscens, totâ rei veritate perspectâ, ignem admoveri jubet, ut contemptor ibidem comburatur; sed ignis numquam potuit accendi. Sic multo tempore ibi stetit immobilis ille, non loquens; neque bibens aut manducans, ut omnes agnoscerent iudicium Dei.

11. Providè ergo Salvator noster omnes præmonet, & seriò exhortatur, dicens: *attendite ne graventur corpora vestra crapulâ & ebrietate.* Est enim ebrietas omnium malorū origo & fœcunda parens, quæ produxit Israëlitarum interitum, discooperuit Noë turpitudinem, Gomorrhæorum causavit perditionem, Loth criminofum incestum, & filiorum Heli exterminationem. Proinde rectè dicit S. Chry-

Gabriel  
Prateolus  
Tom. 2.  
Chron. An.  
1580. 24.  
Julii.

Luca 21,

S, Chrysoſt.  
Hom, 44.  
in Joann,

ſoſtomus: nihil gulâ pernicioſius, nihil ignominioſius eſt. Hac obtuſum & craſſum ingenium, hac carnalem animum reddit. Hac cacat intellectum, nec finit ut quidquam percipiat. Finiamus hanc partem auctoritate S. Baſilii, ebrietas, ait, eſt demon voluntarius ex voluptate animabus noſtris inditus. Ebrietas malitia mater eſt, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum; ex temperato facit laſcivum, juſtitiam ignorat, prudentiam extinguit.

Pars II.

Sed audiamus partem, & quid in ſui deſenſionem ebriofî præſtendant, paucis examinemus, pro quo fit  
12. Sicut nullus eſt error, quin facilè patronum aliquem obtineat, ſic nullum eſt peccatum, quod non aliquem ſpecioſum excuſationis titulum repetiat, quod ſi quoad omnia peccata, ſpecialiter quoad ebrietatem locum obtinet. Itaque ebriofî, patienter vos attendere & excuſationes veſtras audire volo. Quid ergo dicitis? quid præſtenditis? quam excuſationem adfertis? vinum à Deo creatum eſt, dicitis, quid inde? ergo illo oportet uti. Tranſeat: ergo etiam copioſè uti licet: nego conſequentiam. Aliàs numquam licebit ſe recreare. Nego aſſumptum, nego totum. Reſpondet vobis Sapiens: *vinum creatum eſt à Deo, non in ebrietatem, ſed in jucunditatem*; jucunditatem permittit Sapiens, permittunt & Theologi, quamdiu intra terminos honeſti & liciti ſe continet, non autem dum in diſſolutionem vertitur & laſciviam.

Eccleſ, 31,

Dicitis, ergo conviviiſ intereſſe non licet: non ſequitur: quia dum illicitum ac exceſſivum reſectatur, honeſtum & licitum non impeditur vel diſſuadetur, unde coconvivia nequidem non ſunt illicita, ſed & iis intereſſe poteſt eſſe meritoſi, ſi ita inſtituantur, qualiter in Script. S. laudantur. Tobix c. 9. dicitur: *cum timore Domini convivium exercebant.* Et Judith. c. 16. *erat populus jucundus ſectandùm faciem Sanctorum.* Id eſt, ſicut populum ſanctum & verum Deum colentem decebat. Sed an ita fit hodie N. N. in conviviiſ ita ingluvies & temulentia commiſcere

Tob, 9,

Judith, 16,

tur, ut non à veri Dei cultoribus, sed potiùs à Bacchi adoratoribus instrui videantur.

13. Itaque vini usus malus non est, sed abusus. Proinde stolidè loquuntur, qui dum ratione ebrietatis in aliqua gravia incommoda inciderunt, dicere solent: *utinam non esset vinum!* stoliditatem similitum sic infestatur S. Chrysostomus, atque exclamat: „ O amentiam singularem, stoliditatem inauditam! „ alii delinquent, & Dei tui dona criminari: putasne à vino hoc factum malum? non fecit vinum „ certè, sed incontinentia eorum, qui vino abusi sunt. „ Dicas utinam non esset ebrietas, non essent delicia: si verò dicis, utinam non esset vinum, ordine „ paulatim progrediens, optabis ne sit ferrum propter homicidium, ne sit nox propter fures, ne sit „ lux propter calumniatores, ne sit foemina propter Adulterium, & sic omnia Dei opera tibi destruentur. Non igitur dicas, mentis enim illud est „ diabolicæ; nec vinum ad ebrietatem crimineris. „ Et ebrio, cùm in se fuerit reversus, omni dedecore suo priùs descripto, dicas datum esse vinum ad „ lætitiã, non ad turpitudinem nostram: datum est ut rideamus, non ut derideamur: ut rectè valeamus, non ut ægrotemus: ut imbecillia corpora reficiamus, non ut robur animi dejiciamus: honoravit te hoc munere Deus, cur inhonestas propter intemperantiã bibendi teipsũ? „ hæc S. Chryf.

S. Chryf,  
hom. 58, in  
Matth.

14. Aliam excusationem, eamque magis communem prætendunt alii, dicentes: non ego ebrietatem diligo, sed oportet amicis satisfacere: si enim ad convivium invitatos non tractem liberaliter, & quantum voluerint potum eis subministrem, sine gratia dimittam, & conscientiositas avaritiæ adscribetur. Ecce speciosum sese aliosque inebriandi pallium! non habeo quod respondeam nisi verba S. Augustini: *non sit tibi amicus, inquit, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. Si & te & alium inebriaveris, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si justum sit te & à Deo separes dum te ebrioso conjungis. Ad extre-*

S. Aug. Ser.  
23, de temp.

*mum, tu eum noli adjuvare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quantum sibi placuerit bibat; & si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis.*

15. Hoc autem intolerabile apparet, quod illi non raro, qui adeo profusi sunt ut amicos suos excipiant lautissimè, & quasi cogunt ad bibendum, avarissimi tamen reperiantur, ut necessitatibus pauperum eorumque miseriis succurrant; quod considerans idem S. Augustinus sic exclamat: *ô infelicitas generis humani! quàm multi inveniuntur qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere & ante ostium pauperibus petentibus, vel calicem dissimulatim dare, nec attendunt, quia illud quod luxuriosis videtur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit: quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Ita Aug. supra. Similes inquam reperiantur plurimi, qui in omnibus sunt avarissimi atque tenacissimi, præterquam in se & alios omnibus vinorum generibus, etiam ad vomitum usque ingurgitando.

16. Sed nec aliorum excusatio quidquam coram Deo proderit, qui dicere solent: si interdum ebrietati indulgeam, non mihi imputandum venit, persona potens & magnæ auctoritatis coëgit me, recusavi & quantum potui tergiversatus sum, tam honorabili consortio satisfaciendum fuit, quid fecissem aliter? omnia hæc petemptoriè refutat S. Augustinus dicens: „ Ad excusandas excusationes in peccatis „ ista prætendimus; quod implere nolumus, non „ potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra, „ & non posse prætenditur. Etiam si ad hoc venire- „ tur, ut tibi diceretur; aut bibas, aut morieris: „ melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm „ per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio „ ista falsò objicitur. Ipsi enim Reges & quicum- „ que sunt alii Potentes, quia Deo propitio, & „ Christiani sunt, & prudentes, & sobrii, & toto „ corde Deum timentes, si te viderent desinivisse, „ ut iis non acquiescas, pro timore Dei inebriari;

eti

S. Aug, Ser,  
232, de temp,

„ etsi tibi sub hora videantur irasci, postea verò te  
 „ in grandi admiratione suscipiunt, dicentes: quan-  
 „ tum cum illo egimus, quantis eum minis & ter-  
 „ roribus fatigavimus, & tamen numquam eum à  
 „ sobrietate separare potuimus. Nam & Deus qui  
 „ te videt propter ejus amorem inebriari non velle,  
 „ ipse tibi gratiam illorum dabit, qui te, ut am-  
 „ plius biberes, videbantur hortari & cogere. Ille  
 „ qui ebrietati resistit, si cum Dei adjutorio perse-  
 „ verare voluerit, & pro ipsa ille aliquas pertule-  
 „ rit tribulationes, omnia ei Dominus ad martyrii  
 „ gloriam reputabit. „ Hæc S. Augustinus.

17. Inter omnes excusationes, non videtur plau-  
 sibilior, quàm illorum qui prædunt bibendi ne-  
 cessitatem, dicentes se continuò à siti indefinenter  
 urgeri, & sic necessitatem exemptam à Lege, utpo-  
 tè qui sanctè asseverant, se longà bibendi consue-  
 tudine ita implicatos esse, ut sine maxima difficul-  
 tate, imò nec sine sanitatis periculo desistere va-  
 leant. Responsio S. Augustini non modò Cathedræ, *Aug. Serm. 331, de inopia*  
 sed & Confessionali convenit, dum dicit: „ Qui se  
 „ de hoc malo desiderat liberare, quomodò sibi in-  
 „ tervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tene-  
 „ bras pervenit; ita paulatim subtrahendo, ad so-  
 „ brietatis lucem redeat. Quia si semel totum quod  
 „ amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cœ-  
 „ perit exardescere, cum grandi amaritudine clā-  
 „ mat & dicit, malle se mori, quàm sibi bibendi  
 „ vel inebriandi consuetudinem tollere: nec atten-  
 „ dit, quòd tolerabilius erat illi in carne mori, quàm  
 „ per ebrietatem in anima interfici. Et ideo, ut nec  
 „ ardorem nimium patiatur, & de tam gravi malo  
 „ quod patitur, liberetur; sicut jam dictum est, per  
 „ intervalla dierum sibi aliquid de nimietate potus  
 „ subtrahat, quousque ad rationabilem consuetu-  
 „ dinem redeat. Qui hoc ita ut diximus per partes  
 „ subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur,  
 „ & illam intolerabilem poenam non patietur.  
 Hoc iterum est sanum consilium S. Augustini,



18. Postremò una superest excusatio, quam, quia coram Catholicis ago, proferre & recitare quasi me piget; de illis nempe nominetenùs tantùm Catholicis ago, qui ebrietatis peccatum vel exiguum vel nullum esse dicant, quasi-verò contra illud consuetudo obtinuisset & quodammodò præscripsisset. Hoc autem erroneum est, imò & hæreticum, utpotè Sacris Litteris, Ecclesiæ sensui, SS. Patrum auctoritatibus & communibus Theologorum placitis dissonum planè atque contrarium. Interim audiant similes iterùm S. Augustinum, qui sic loquitur:

Aug: Serm.  
232, de Temp,

1. Cor, 6,

„ Tantâ infelicitate se inebriant homines, quia pu-  
 „ tant ebrietatem aut parvum, aut nullum pecca-  
 „ tum esse. Sed pro illa ignorantia maximè Sacer-  
 „ dotes in die iudicii redditori sunt rationem, si  
 „ commissis sibi populis, quæ vel quanta mala de  
 „ ebrietate nascuntur, assiduè noluerint prædicare.  
 „ Qui ergo credit ebrietatem esse parvum peccatū,  
 „ si se non emendaverit, & pro ebrietate ipsa pœni-  
 „ tentiam non egerit, cum adulteris, & homicidis  
 „ æterna sine remedio pœna illum cruciabit, secun-  
 „ dùm illud, quod ipsi benè nostis B. Apostolum  
 „ prædicasse. *Neque, inquit, fornicariis, neque idolis*  
 „ *servientes, neque molles, neque masculorum concu-*  
 „ *bitores, neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei*  
 „ *possidebunt.* Videte, ebriosos cum fornicatoribus,  
 „ & idolis servientibus, & masculorum concubito-  
 „ ribus, & adulteris Apostolus hîc conjunxit. Sciant  
 „ ergo hi consuetudine improbâ peccatum non di-  
 „ minui, quin potius augeri, nam consuetudo sine  
 „ veritate, vetustas erroris est: non ergo hominum  
 „ consuetudo ad prava ducentium, & ad perniciem  
 „ currentium, sed Dei veritas quæ per Prophetas,  
 „ per Apostolos, per ipsam Domini vocem nobis  
 „ innotescit, sequenda est, nisi interitum & per-  
 „ ditionem adamemus. Neque erit illis minus sup-  
 „ plicium, quin potius supplicii incrementum ebrio-  
 „ si accipient, ex multitudine peccantium, & con-  
 „ sortio eorum, qui simili culpâ colligati, simili  
 „ pœnâ involventur,

19. Ex quibus consequens est, si, prout Fides docet, ebrietas peccatum mortale sit, quòd non solum illi qui se voluntariè inebriant, graviter peccent, sed etiam quàm maximè illi, qui ad ebrietatem alios inducunt, & ne vel minimum de eo videntur facere scrupulum, prout fusiùs docuimus atque probavimus Tom. I. Tract. 4. Concione 25. de scandalo; quos proinde sic arguit S. Ambr., Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem. Invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas. Vina præ tendis, venena suffundis. Omne quod nocet venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Etiam major vis vini, quàm veneni est. Venenum vino excluditur, non veneno vinum. Deus meritò per Moysen non solum veneno, sed veneno draconum vinum comparat Deut. 23. Veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia ebrietas corpori, crimen adjungit & menti. Adverte etiam & perfidjæ venenum vini declaratum nomine. Ait enim de his qui nesciunt Deum: *de vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorra: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.* Hæc Ambrosius. Sed ut finiatius sit

20. **A**Udivistis N. N. deplorandos ebrietatis effectus, vidistis vanitatem, & futilitatem excusationum, quas præ tendunt ebrii in peccatis suis, quid ergo dicam ut finiam? quid dicam melius quàm cum Joële Propheta: *expergiscimini ebrii & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Itaque expergiscimini ebrii, & dum tempus est flete & ululate, ut fletum & ululatum numquam finiendum possitis evadere. Expergiscimini, & excluso lethargico illo morbo tandem aliquando aperite oculos, ut divinæ justitiæ mucronem tot ebrietatum aliorumque criminum vindicem cervici vestræ incumbentem effugiatis. Ubi ratio, ubi judicium, ubi intellectus, si videntes non videatis sempiternam animæ vestræ

EPILUS

Joël. 1.

ruinam, ad quam, ut dicitur, apertis oculis curritis? an estis Christiani? cur ergo non ut Christiani, sed ut Athei, ut Sardanapali, ut Epycuri vitam traducitis?

21. O deplorandam humani generis cæcitatem! ô N. N. ubi fides vestra de animæ immortalitate, quando sicut aquam bibitis iniquitatem? quam rationem inexorabili Judici reddetis in die iræ, de tot ebrietatibus, de bonorum vobis ab illo creditorum tam prodigâ effusione, de tot rixis domesticis, quibus familiam, uxorem, proles vestras temulenti divexastis? quid de blasphemis & juramentis? quid de scandalis & pravis exemplis inde exortis? quid de contentionibus, injuriis, percussionibus, proximo per ebrietatem inflictis? expergiscimini igitur ebrii & horribilia divinæ justitiæ consilia pertimescite, ne Deus, si subitanæ morte vos modo non conterat, paulatim tamen de peccatis in peccata, de præcipitiis in præcipitia ruere permittat, donec traditi in sensum reprobum, graviori postmodum supplicio æternum intereat.

22. Expergiscimini denique, & vivi descendite in infernum, ne descendatis mortui. Descendite, inquam, seriâ extremorum meditatione, & quos & quales ibi reperietis? expergiscimini ad voces illorum, qui ob similia vestris peccata, in flammis ululant ploratu & ululatu numquam finiendo. Ecce hi sunt commilitones vestri, comessatores, combibones cum Evangelico illo Epulone ad vos inclamantes ne in eundem tormentorum locum certo veniatis, & eorum suppliciis incrementum adferatis. Ecce ibi confratres vestri, qui vobis in comessationibus & ebrietatibus præiverunt, qui non aliter quàm vos emendationem de die in diem procrastinantes, subitâ ruinâ suppressi, & æternæ morti addicti, ecce igne & sulphure potantur & spiritu procellarum temulenti pro semper excruciantur. O quàm repletus est inferorum locus similibus corvis, qui nolentes gemere & citò reverti cum columba, dum semper inclamant, *CRAS, CRAS, æternæ mortis jaculo sunt confixi.*

23. Voces illorum audire mihi videor, qui præ angustia spiritûs gementes, ululantes inclamant, ô utinam dies, utinam nobis daretur vel hora, qui tot dies, tot horas, tot noctes inter pocula infeliciter contrivimus, dum erat tempus acceptabile, dum erant ad pœnitendum dies salutis! ô æternum nos infortunatos! ô spem fallacem, quæ nos salaces in fœcibus detinuit, & tandem æternis suppliciis præcipites dedit! ô Lazare, ô pauperes, ô vos afflicti quos in vita despeximus, & in vestibulo jaçentes repulimus, quàm estis felices, quàm fortunati! similes deplorabiles voces & gemitus illi ad Cœlum emittunt nunquam exaudiendi. Similes illorum ululatus & gemitus vos commoneant, ô ebrii, vos expergeficiant, dum adhuc divina gratia ut ad cor & mentem redeatis, vos expectat, dum pœnitentiæ janua & misericordiæ ostium, vobis adhuc patet. Attendite ad divitem Evangelicum epulantem quotidie splendidè: attendite ad Chrysaucium infelicem illum infeliciter & serò nimis inclamantem: *inducias usque ad mane, inducias usque ad mane*, postquam in comestationibus & luxuriis enutriverat cor suum. Itaque *intelligite, intelligite hæc* Psal: 49. *qui obliviscimini Deum, vino absorpti, & cæcitate ebrietatis percussi, ne quando rapiat, & non sit quis eripiat.* Hoc à me, à vobis, ab omnibus hominibus avertat Deus clemens & misericors. AMEN.



## CONCIO LXIX.

*De Luxuria in quantum est ebrietatis effectus.*

THEMA. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ad Ephes. c. 5.*

1. **R**omani olim ut symbolicè, lepidè tamen EXORD. exprimerent quid efficeret vinum, quomodò hominem à statu rationali ad brutalem illius excessus deduceret, finxerunt quoddam Noë, qui primus omnium vitem excoluisse dicitur,

miscuerit viti & vino sanguinem quatuor animalium, nempe simiæ, leonis, porci & agni; eò quòd vinum causet ebrietatem, ebrietas autem proprietatem seu conditionem horum quatuor animalium producit: alios enim ebrios efficit moriones & quasi simias, dum in ebrietate interdum viri, aliàs gravissimi, ridiculis gestibus, motibus, saltibus, similibusque levitatibus simiæ magis quàm creaturæ rationales apparent. Alios dum inebriati fuerint, facit pugnaces & crudeles sicut leones, qui totam familiam turbant & jurantes omnia frangunt, & innoxios verberantes fiunt de numero illorum, de quibus Sapiens loquitur, *sicut leo in domo tua everrens domesticos tuos & opprimens subjectos tibi.*

Ecol. 4.

2. Alios vinum facit ut porcos, qui sordida quærunt & in luto ac stercore sese volutant, atque in immunditiis suis delectantur: sic & ebriosi in sordibus & effrænatae suæ libidinis immunditiis voluntantur, ita ut horribile sit vel cogitare, quæ in ebrietate non tantùm contra decentiam, sed etiam contra naturam sine timore, sine pudore, sine respectu committuntur, & fiunt, ut ait S. Petrus Apost. *sicut sus lota in volutabro luti.*

2. Pet. 2.

Alii denique sunt religiosi ebrii, qui dum ebrii, videntur pii, & mansueti ut agni, qui tunc orare, tunc confiteri, tunc Sacramenta suscipere se velle testantur; dum præ nimio potu madidi, vix pedibus consistere valeant. Viderentur inquam pii, nisi eo ipso, quòd se inebrient & inebriare se soleant, probarent sese impios. Non finiremus hodie, si omnes & diversas ebriorum conditiones & qualitates enumerare & explicare vellemus, verba S. Judæ Apostoli protulisse sufficiat; qui dicit: *hi sunt in epulis suis macula, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosa, bis mortua, eradicata, fluctus feri maris, despumantes confusiones suas, sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum.*

Juda.

3. Certum itaque est, & unicuique ex praxi in se vel in aliis exploratissimum, quod deplorandi & pessimi sint ebrietatis effectus, ut proinde providè moneat Sapiens: *ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus.* Ubi non tantùm homines exhortatur, ne vinum excellens odore, sapore, concupiscant, sed etiam ne aspiciant, nempe ut sic minùs concupiscant. Quòd autem loquatur de excessivo potu, videtur patàre ex ratione, quam addit: *ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Inter omnia verò venena pestilentissimum est luxuriæ & libidinis quod infundit, & per omnia membra, quando incontinenter sumitur, diffundit. Hoc ut hodie ostendam, assumpsi verba illa Apostoli,  *nolite inebriari vino in quo est luxuria*, ratione quorum declarabo parte 1mâ. Quomodò in omnem luxuriam & ad desperatum animæ statum trahat ebrietas. Parte 2dâ. Examinabo quandonam & quomodò per ebrietatem simul gravissimè peccetur contra castitatem. Finiemus conformi exhortatione. Priùs

Prov. 23

A V E M A R I A.

4. **N**arratur 1. Esdræ c. 3. quomodò tres Heroës **PARS I.**  
custodes Darii Regis invicem proposuerint hoc Ænigma solvendum, nempe quidnam in Orbe foret fortissimum. Primus respondit: *forte est vinum.* Alius scripsit: *fortior est Rex.* Tertius scripsit: *fortiores sunt mulieres.* Quis ex his tribus meliùs Ænigma solverit, si mihi dijudicandum foret, sententiam ferrem pro primo, & ita probarem: commune & apud omnes probatum est axioma, *propter quod unumquodque est tale, & illud magis.* Sed quòd mulieres trahant ad se Reges, & viros fortissimos atque Sapientissimos, fit propter vinum, & ex vino seu ebrietate illius effectu ordinariè causatur, vinumque Reges superans ac dementans cæco amore mulieres prosequi facit, ergo omnium for-

tissimum est vinum. Quòd autem hæc omnia vinum efficiat, pro me probat Sapiens dum dicit: *vinum & mulieres apostatare faciunt Sapientes*. Ubi tria sunt, vinum, mulieres, & apostasia sapientum. Sed ex vino, seu potius per ebrietatem ex vino causatam sapientes ad insanū mulierum amorem trahuntur, & per mulieres ac effrænem illarum amorem ad apostasiam trahuntur sapientes, ergo & lascivus mulierum amor, & sapientum à veritate veraque fide apostasia, originaliter à vino provenit atque causatur.

5. Rem elucidemus. Cùm lascivus amor & ex se turpis, & contra dictamen sit rectæ rationis, ille à sapientibus indubiè vitaretur, qui sicut eum norunt turpissimum & viro sapienti maximè probrosum, sic à recta ratione passio illa constringeretur & reprimeretur, nisi foret aliud fortius, quod ipsos vinceret rectamque rationē suppresserit ac enervaret: hoc autem efficit vinum; quod cùm calidum sit, & ex natura sua incentivum depravatæ in Adamo hominis naturæ & libidinis, cùmque rectam rationem violentiâ suâ supprimat, efficit, & ut ita dicam, nimio potui indulgentes ac indè cæco amore depravatos violenter quasi trahit, ut ea faciant, à quibus sobrii tamquam turpibus & indecoris abhorrent: sed dum sic sapientes insano mulierum amore inescati & quasi intoxicati sunt, tamquam vincti trahuntur quocumque effrænis illorum libido & cæcus mulierum amor illos impellit: qui cùm sæpè trahat ad apostasiam à vera fide, non tam à libidinoso mulierum amore trahi censendi sunt, quàm à violentia potius talem amorem causantis, cùm verissimum sit alterum philosophicū axioma: *quod est causa causa, etiam est causa causati*. Hinc fortè est, quòd quando Sapiens dicit, *vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*, præponat vinum mulieribus, nempe quia, sicut præcedit ordine verborum, sic etiam præcedat ordine causalitatis.

6. Ad confirmationem dictorum inservit illud,

quod dicit Oseas Propheta : *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Et Sapiens : *luxuriosa res est vinum.* Sicut & Apostolus, *nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Non quòd luxuria sit in vino, sicut vinum est in poculo, sed quòd sit in vino, sicuti in vino est ebrietas, scilicet in virtute sua productiva : sicut enim vinum ex se bonum & ad honestam recreationem ac moderatum hominis potum à Domino Deo creatum, dum immoderatè bibitur, in homine causat ebrietatem, eodem modo causet & producat luxuriam. Quomodò verò hoc fiat, ulterius declarat Sapiens, qui postquam omnes dehortatus est ab immoderato vini potu, & protestatus est illud morsurum tamquam colubrum, & sicut regulum venenum libidinis diffusurum, statim addit : *oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquatur perversa.* Q. D. simulatque videbis mulieres, exardescet sicut ignis concupiscentia calore vini inflata ac succensa, loqueris perversa, & ad inhonestam permovere conaberis, imò impetu quodam magis quàm belluino in omnem venerem æstuabis.

7. Profectò quòd res sic se habeat, Sacræ Paginæ passim testantur, & quòd vinum ac mulieres apostatare faciant sapientes, Sapiens in seipso expertus est. Salomon enim mortalium sapientissimus, quando comestationibus, conviviis, vino immoderatiùs indulgere cœpit, statim adamavit mulieres etiam alienigenas, ad eò ut habuerit septingentas concubinas, quæ ad eò cor illius dementarunt, ut ad apostasiam & Idolorum cultum cum pertraxerint, ut habetur 3. Reg. c. 11.

8. Vultis illud adhuc clariùs videre? dicite, quænam fuit causa quòd populus Israël post tot mirabilia signa, quæ modico tantum elapso tempore à Domino Deo suo fieri viderant, & post tot beneficia in Ægypto & eductione ex illa ipsis à Deo collatâ illum tamen dereliquerint, apostataverint, adorerint vitulum aureum? numquid fuerunt comestationes & ebrietates? audiamus ex Esdra quo-



modò id factum sit: *comederunt, inquit, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua, comeffationibus & ebrietatibus indulgentes: sed quid indè? provocaverunt ad iracundiam & recesserunt à te, & projecerunt Legem tuam post terga sua.*

9. Quòd autem hæc omnia ex ebrietate ortum habuerint, non ego, sed passim S. Patres attestantur, *Exod. 32.*

*Rupert. lib. 4. in Exod.*

& patet ex Scriptura Sacra quæ dicit: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Ecce primò comeffationes & ebrietates, & post statim cœperunt ludere. Sed quis fuit ille lusus ex ebrietate proveniens? audiamus Rupertum: *comederunt & biberunt, ait, & idcirco lusbibus obscænis continuo semet ipsos commoverunt, traditi in reprobum sensum, ut facerent ea quæ non conveniunt.* Ecce luxuria primus effectus ebrietatis. Sed quid indè? paulò infra in textu subditur: *tulerunt inaures aureas de uxorum & filiorum & filiarum suarum auribus, formaveruntque opere fusorio, & fecerunt ex iis vitulum constabilem, & dixerunt: hi sunt Dei tui Israël.* Ecce quàm verum sit, *vinum & mulieres apostatare faciunt Sapientes.* Idem iterum patuit in Filiis Israël cum mulieribus Moabiticis, de quo Tom. 1. egimus, & aliis multis Sacræ Scripturæ exemplis, quæ brevitatis causâ omitto.

Ut ad nostra tempora veniamus, qui Historias Ecclesiasticas legit, ad oculum reperiet, & Lutherum, & omnes Hæresiarchas in Germania, & Genesios in Belgio, Hæreticosque in Anglia, præsertim eorum Antesignanos & primos Prædicatores, ut plurimum omnes prius Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes, hoc modo apostatare à fide. Primò nempe per comeffationes & ebrietates ad illicitum mulierum amorem tracti, eoque quasi maleficiati, & sic à libidine vincti, ut ei impunè indulgerent, cum sobrietate & continentia simul fidem exuerunt. Notiora sunt hæc, quàm ut ulteriorem probam exigant. De his proinde & similibus nihil dicendum restat, nisi ut cum Propheta Isaia deploremus: *hi quoque præ*

*Isaia 28.*

*vino nescierunt, & pra ebriitate erraverunt. Sacerdos & Propheta nescierunt pra ebriitate, absorpti à vino, erraverunt in ebriitate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium.*

11. Non sine horrore legi potest, quod narrat Delrio Tom. 2. lib. 3. disp. mag. part. 2. n. 7. hoc modo : „ In Flandriæ comitatu prioratus est, tres „ ubi nomine-tenùs Monachi debebant, qui non „ nisi belluari, & libidinari noverant, dediti etiam „ suis quique concubinis. Quâdam die in seram „ noctem computatione protractâ, unus minùs in- „ ter eos sceleratus ait : *Sat Baccho, libidinique jam „ datum, Deo saltem gratia agenda.* Alter procacior „ respondet. *Ego demoni gratias ago, & agendum „ censeo cujus opus agimus.* Sic mensa cum risu re- „ lecta est & ipsi in cubicula reversi. Singuli cum „ scorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium, „ vi januâ reſeratâ, dæmon atri & trucidis viri specie, „ habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli „ obambulant, hic lectos circumspicit torvo vultu, „ deinde horrendâ voce : ubi qui mihi gratias „ egit? adsum, referam gratias. Lecto abſtrahit „ pavitantem, & fermè præ metu animam efflan- „ tem. Traditum cocis jubet inſigi veru & luculen- „ to igne probè affari. Parent promptè, affatur in- „ felix, emoritur planiſſimè; cæteri ferè præ for- „ midine; aſſi corporis nidore cubiculum imple- „ tur. Demum Venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis „ trepidantes, vix vivos; *digni vos etiam,* ait, „ *pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi: vator vè „ majore: invitus abeo, & moneo, reſpiciſcite aut „ manent terribiliora.* Diſparent larvæ, nec tamen „ his aliùs animus rediit vel vox, niſi clarâ jam lu- „ ce. Ubi ſurrexère collegam inveniunt mortuum, „ & ( ne viſum inane putes ) plenè aſſum. Haud „ ſcio an ab aliquot ſæculis quidquam ad exem- „ plum utiliùs acciderit. „ Hæc Martinus Delriùs. Sed ô blaſphemam vocem! ô blaſphemam ani- „ mam! ô altitudinem ebriofæ & impuræ conſuctu-

dinis, extollentem se contra Deum illumque aspernantem, quæ meritò confestim tali succidi supplicio commeruerit!

Escl. 26.

S. Ambr. de  
Eliã, &c. c.  
18.

22. Sed ne hoc vitium ad solos viros spectare putetur, & foemineus sexus ab illo immunis videatur, rectè dicit Sapiens: *mulier ebriosa, ira & contumelia magna, & turpitudine ejus non tegetur.* Impudentias similium mulierum sic describit & insectatur S. Ambrosius: „ Quid de viris loquamur, quando etiam foeminae, quas oportet sollicitiorem castitatis sobrietatisque adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibunt? deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non convenit vel videri, prodire audent in publicum, non velato capite, vultu procaci. Apostolus mulieres tacere etiam in Ecclesia jubet, viros suos domi præcipit interrogare. Illæ in plateis invencundos sub conspectu adolescentulorum intemperantium, choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se juvenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum. Inter saltantium lapsus, oculo impuro, & contaminato aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quæ obscœnis cantibus verberatur. Olim vini usus teste Valerio Max. Romanis foeminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consuevit. Quæcumque enim foemina vini usum immoderatè appetit, virtutibus animam claudit, & delictis aperit. „ Hæc ille.

13. Unum exemplum adfero ex S. Hieronymo, & sic finio hanc partem, qui Epist. ad Vital. Tom. „ 3. sic ait: „ Audivi, & Domino teste non mentior, quod sequitur. Quædam muliercula cum expositum nutriret infantem, & instillaret cibos, ac

„ nutricis officio fungeretur, eubaretque cum ea  
 „ parvulus qui usque ad decimum jam pervenerat  
 „ annum : accidit ut plus quam pudicitia patitur se  
 „ mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis  
 „ motibus ad coitum duceret infantem. Prima e-  
 „ brietas alterius noctis, & cæterarum deinceps  
 „ fecit consuetudinem. Necdum menses duo fue-  
 „ rant evoluti, & ecce fœminæ uterus intumuit.  
 „ Quid plura? dispensatione Dei factum est, ut  
 „ quæ contra naturam simplicitate parvuli in con-  
 „ temptum Dei abuteretur, à naturæ Domino pro-  
 „ deretur, impleto sermone, quo dicitur: nihil  
 „ occultum, quod non reveletur. „ Hæc S. Hiero-  
 „ nymus. Ex quibus omnibus patet, quam verum sit  
 „ illud Sapientis, *luxuriosa res est vinum*. Sed ne lon-  
 „ giùs digrediar à scopo, revertamur ad lineam, & sit

14. **C**UM hîc de ebrietate agatur quatenùs libi-  
 dine incentivum est, & ex qua quasi ex fon-  
 te libido ordinariè profluit, dicente S. Ambrosio,  
*ebrietas est omnium flagitiorum mater, procella cor-  
 poris, naufragium castitatis*, nempe quòd plerùm-  
 que homines viri simul & mulieres, juvenes atque  
 puellæ irreparabilem castitatis thesaurum per eam  
 perdere soleant, hinc meritò peti posset, an aliquis  
 per ebrietatem simul contra castitatem peccare pos-  
 sit, ita ut ebrietas duplex peccatum mortale sit, &  
 contra sobrietatem & contra castitatem?

PARS II.

S. Ambr.  
ad SS. Virg.

Ad hoc respondeo affirmativè, & illud diversis  
 modis contingere potest. Imprimis ebrietas semper  
 simul peccatum est contra castitatem, quando po-  
 tus nimius ad illum finem sumitur, & talis quidem  
 speciei qualis est luxuria quæ intenditur. Ratio jam  
 sæpiùs data est; quia media præter propriam mali-  
 tiam quam ex se habent, induunt etiam malitiam  
 finis ad quem adhibentur seu ordinantur.

15. 2dò. Idem est, si ex potu probabiliter seu ve-  
 ro-similiter in libidinem prolapsurum se timeat: hoc  
 verò vero-similiter timere potest ac debet, si quis  
 se ebrium vel semipotum ad luxuriam valdè pro-

clivem per experientiam sciat. Ratio est : quia omnis qui voluntariè ponit aliquam causam , qualis in proposito est excessus in potu , ex quo secuturum aliquod peccatum prævidere potest , etsi illud expressè non intendat , illud tamen interpretativè intendere censetur , & sic illi voluntarium est , ac per consequens culpabile.

16. 3tio. Pariformiter discurre quoad illum , qui scit per experientiam se sæpè vel ordinariè , dum excedit in potu , in ista vel illa peccata carnalia cadere , tenetur se à nimio potu cavere , aliàs per ebrietatem vel excessum in potu ( excessum addo , ut etiam comprehendam potentes illos ad bibendum sine formali ebrietate , de quibus supra ) præter peccatum tali excessui proprium , peccat peccato carnali talis speciei , cujus periculo sic in potu excedendo sese exponit , sive illud de facto sequatur sive non , quod & in duobus prioribus casibus locum habet , in tantum ut tunc in confessione dicere non sufficiat , toties inebriavi me , sed addi debeat , & in ebrietate , quod prævidere potui , fornicatus sum , adulterium commisi , pollui me , &c. vel voluntariè ( si luxuria effectivè subsecuta non sit ) illius proximo periculo me exposui. Ratio est : quia apud omnes Doctores est certa regula , quòd peccatum expressè volitum & interpretativè , ejusdem sit malitiæ.

17. Dicit fortè aliquis , quid si secutura peccata carnalia prævidere non potuerim , puta quia antea ver ebrietatem ad similia me multum inflammati nec unquam sensi , nec per ebrietatem in similia unquam cecidi , sicut Loth , prout plurimi volunt , inscius & nullo modo prævidens incestum in ebrietate commisit , an tale peccatum luxuriæ sic in ebrietate commissum mihi ad culpam imputabitur ?

Respondeo si nec prævideris , nec moraliter loquendo prævidere potueris , & per ebrietatem usu rationis totaliter fueris privatus , peccato luxuriæ nullatenus reus es. Ratio est : quia luxuria quæ tunc

committitur, nec in se, nec in causa, nec directè nec indirectè tibi voluntaria est, & per consequens non potest esse peccaminosa.

18. Ex quo simul collige, quòd resolutiones naturæ, quæ in somno ex infirmitate ejusdem evenire solent, & nullatenùs nec in se, nec in causa voluntariæ sunt, nullo modo criminosa sint: de qua materia eleganter discurret S. Augustinus Deum sic alloquens: „ Jussisti ut contineam à concupiscentia carnis & concubitu, & quoniam dedisti, factum est. Sed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; & occurfant mihi vigilanti, carentes quidem viribus, in somnis autem, non solum usque ad deletionem, sed etiam usque ad consensionem, factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea, & in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt. Numquid tunc ego non sum Domine Deus meus? ubi est tunc ratio, quâ vigilans animus talibus suggestionibus resistit, & si res ipsæ ingerantur, manet inconcussus? numquid clauditur cum oculis? numquid sopitur cum sensibus corporis? & undè etiam sæpè in somnis resistimus, nostrique propositi memores, in eo castissime permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? & tamen, tantum interest inter nos ipsos, & nos ipsos, ut cum aliter accidit, nihilominus evigilantes ad conscientiaë requiem redeamus; ipsaque distantia reperiamus, nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Numquid non potens est manus tua Deus Omnipotens sanare omnes languores animæ meæ, atque in abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei soporis extinguere? augebis Domine magis magisque in me munera tua: ut anima mea sequatur te concupiscentiaë visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in som-

Aug. lib. 10.  
Confess. c.  
39.

„ nis etiam , non solum non perpetret istas corruptas  
 „ telarum turpitudines per imagines animales usque  
 „ ad carnis fluxum , sed ne consentiat quidem.

19. Sicut hoc verissimum est quoad resolutiones naturæ ex sola ejus infirmitate provenientes, sic sollicitè curandum est , ne ex intemperantia vel alia culpabili occasione oriantur. Proinde ne aliquis in hac materia prætendat excusationes in peccatis & fallat semetipsum dicendo : non potui prævidere nec prævidi, quòd hoc in ebrietate contigisset, præter ea quæ ex Scriptura Sacra jam attulimus de pronitate gulosorum & ebriosorum ad peccata carnalia , audiamus quid desuper sentiant SS. Patres , ne in nobis verificetur illud Sapientis, *qui amat periculum , peribit in eo.*

20. Ne ergo putetis sufficere quòd dicatis , non prævidi hæc & illa ex ebrietate oriunda , prævenit vos S. Basilius, dicens : *ipsa incontinentia aperte ex vino velut ex fonte quodam emanat , qua brutorum omnium in fœminas insaniam longè superat; siquidem bruta animantia natura terminos non excedunt : at hi qui vino obruuntur , in masculino fœminam , in fœmina rursus masculum querunt.* ( Sufficiat coram populo dixisse ne scandalifetur , *at hi qui vino obruuntur , etiam natura limites excedunt.* ) Nec ferè aliter contingere potest , cum sicut loco , sic vitio proxima ventri sit libido : quia , ut benè dicit S. Hieronym. *venter cibo meroque distentus & astuans , citò despumat in libidinem.* Hinc & ad belluinas voluptates concitantur etiam conjugati , conjugio injurii , dum indebito modo indulgent concubitu ; non vjri sed equi instar hinnientes effecti ob temulentiam : ciborum enim & potùs fomite inardescunt eorum corpora in vapores libidinosos , quibus præter naturam concitantur in abusum.

21. Plura de hac materia scripsit S. Hieron. propterea fortè quòd majorem in se , macerato etiam tot poenitentis suo corpore , luctam expertus sit.

**Undè**

Hieron. Ep.  
ad Ocean.

Unde ridet illos qui sese castos autumant vel jactant, & tamen cibi potusque intemperantiæ indulgent, ac protestatur quòd nec possit nec velit credere. *Apostolus, inquit, macerat corpus suum & animam subjecit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non servet; & adolescentula juvenis in flore ætatis sanguine ebulliente, fervente cibus & potibus calidis corpore, de castitate secunda est? Q. D. hoc est ridiculum, hoc est præsumptuosum, hoc est voluntariè seipsum decipere. Tunc pergit, ostendens quòd omnia alia peccata facile vinci valeant & declinari, quia extrinsecus sunt, & quod foris est facile abjicitur, sola libido, inquit, intrinsecus hostis est, qui semper ad inhonestam inclinat. Et Ep. 22. ad Eustochium, pulcherrimè discurret, & efficaciter omnem in cibo excessum disfluadet his verbis: *si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hac adversus adolescentiam prima arma sunt demonum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est. Quicumque pergitur nobiscum potamus inimicum, vinum & adolescentia duplex est incendium voluptatis.**

Hieroni. Epi  
22. ad Eustoch.

22. His benè perpensis dico cum eodem S. Hieronymo, *quid oleum flammis adjicimus? o homines! o Christiani! o Dilectissimi in Domino! intemus conscientias nostras, & sine præjudiciis oculos veritati aperiamus; quis ex nobis ab hoc hoste non impugnatur? quis à tentationibus carnalibus est exemptus? quis est, qui non sæpè ne dicam continuo deplorare debeat, in flore præsertim ætatis, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae? profectò si S. Hier. testetur, quòd in Eremo, in loco solitudinis, inter continuas preces, jejunia, fletus, disciplinas & poenitentias, à spiritu fornicationis & propriæ carnis infirmitate tam graviter fuerit vexatus, si hæc in viridi, imò si hoc in arido præ poenitentiis corpusculo, quid in viridi, pingui, benè saginato fiet? *quid oleum flammis adjicimus?**



natura nostra peccato Adami depravata, & pravis cogitationibus dæmonumque suggestionibus accensa, ex se ad omnem luxuriam inclinatur: nonne lecta satis gravis? nonne certamen illud satis est periculosum? nonne sufficienter nobis ipsis vira inferre debemus, ut ignem hunc infernalem pœnitentiis, lacrymis, cōtinuo certamine suppressamus? *quid ergo oleum flammis adjicimus?* quid ignem illum medullas penetrantem & flammam libidinis ejicientem, commensationibus & ebrietatibus magis accendimus, si à combustione præservari velimus? quis ignorat incendium illud planè inextinguibile esse, cui pro aqua oleum infunditur? eodem planè modo inextinguibilis est ardor libidinis, qui oleo immoderati potus, vini, & ebrietatis augetur, ut omnes animæ corporisque vires accendat & inflammet. Undè  *nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ut finiamus, sit

## EPILOG.

**V**idimus modò N. N. quomodò ebrietas omnium peccatorum maximè luxuriæ sit origo & incentivum; vidimus quomodò ordinariè à peccatis luxuriæ, quæ in ebrietate committuntur, ebrietas non excuset, sed potiùs magis aggravet, dum naturam ad hunc ignem infernalem magis accendit. Undè cum Apostolo Petro seriò moneo & per viscera misericordiæ Dei vos exhortor,  *fratres sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Omnes sumus milites Jesu Christi, militiæ illius nomen dedimus, hostes habemus fortissimos, Mundum, Carnem & Diabolum. Diabolus quidem tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; sed adversarius hic facilè superatur & fugatur, dicente Apostolo Jacobo,  *resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Sed habemus inimicum in nobis qui cum Diabolo in perniciem nostram cōjuravit, qui quò nobis intimior est, eò est periculosior; & quò minùs eū à nobis possumus repellere, eò periculosiùs cum eodem commoramur: est autem propria nostra caro.

Jacob, 4i

24. Itaque N. N. si non velimus decipi, & per

propria arma, id est, per carnem nostram vinci & debellari, fratres sobrii estote & vigilate, ait S. Petrus, ne scilicet ab animæ hostibus inexpectatò obruamur, proinde sic exhortatur nos S. Paulus, *abjiciamus opera tenebrarum*, opera tenebrarum autem sunt opera carnis, ebrietates, libidines, comestationes, &c. & *induamur arma lucis*, qualia sunt sobrietas, castitas, timor Domini; ut autem ostendat Apostolus quòd hæc sint arma tenebrarum, quæ abjici debent, mox subdit: *non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, sed induimini Dominum Jesum Christum*: ad quem finem omninò necessarium est, ut sequamur monitum quod adjungit: *carnis curam ne feceritis in desideris*, & ut alibi dicit, *mortificate membra vestra, qua sunt super terram*.

25. Ne autem corpus ita afflictum & mortificatum murmuret vel recalcitret, sic illud alloquitur S. Bernardus. „ Noli ò corpus, noli præripere tempus, „ pora, potes enim impedire animæ salutem, tuam „ operari non potes. Patere, ut tunc anima pro „ se laboret; magis autem ei collabora, in jeju- „ niis, in vigiliis, in siti & fame, in frigore, si opus „ est, & nuditate, si compateris, & conregnabis. „ In brevi cadaver putidum & putridum simul fiet, „ & decor omnis in saniem convertetur; ut quid „ ergo temporali quâlibet delectatione contristas „ & lædis hospitem tam nobilem qui hospitatur in „ te ut reducat te ad regionem viventium, de regio- „ ne umbræ mortis? tota salus tua pendet de ejus sa- „ lute, tota reparatio tua de ejus reparatione; quia „ propter illam mortale hoc induet immortalitatē, „ corruptibile hoc induet incorruptionem, propter „ illam veniet ille, qui reformabit te configurans „ corpori claritatis suæ. Noli ergo, ò misera caro, „ inspiens, cæca, demens & prorsus insana, transi- „ torias quærere consolationes & delectationes, ne „ indigna judiceris hâc gloriâ, magis autem ne con- „ tingat excruciarî poenâ eternâ. „ Hæc Bernardus.

S. Bernard.  
Serm. 6. de  
Adventu.

26. Eheu ! quot perierunt & propter carnis nimiam curam pereunt quotidie ! quot propter ebrietates & comestiones ! vix similibus , propter hæc enim venit ira Dei in filios hominum. *Propterea , ait Propheta Isaias, dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descendunt fortes & populus ejus, & sublimes gloriosaque ejus ad eum.* Propter hoc enim plurimi damnantur , nec fortè à veritate aberrarem , si dicerem , ferè omnes damnandi damnabuntur , quia hic est lapis offensionis & petra scandali. Ergo N. N. vos per amorem Dei , ac per animæ vestræ salutem vos adjuro, nolite inebriari vino in quo est luxuria; & verbis Evangelicis : attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate , & curis hujus vite , & superveniat in vos repentina dies illa. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terra. Aliàs eveniet vobis quod minatur
- Luc. 21. *Matth. 24.* Salyator noster , dicens : sicut erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes , nubentes & nuptui tradentes , usque ad eum diem quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt ; donec venit diluvium, & tulit omnes , ita erit & adventus Filii Hominis. Quod ab omnibus avertat misericors Deus. AMEN.



## CONCIO LXX.

*De pravis , præsertim inhonestis cogitationibus.*

THEMA. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Isaia c. i.*

EXORD.

I. **F**UIT in præteritis sæculis famosissimus in Italia pictor nomine Bonamicus quem Episcopus Aretinus conduxit, ut Sacellum Episcopale coloribus exornaret; quod cum non tam spe lucri quàm ad nominis sui gloriam & æternam memoriam omni industriâ incœpisset, accidit ut cum manè ad opus rediret, inveniret omnia, quæ præterito

die pinxerat, diversis lituris deturpatum & corruptum, quod ab aliquo invido factum arbitratus, voluit abire: sed multis Episcopi precibus opus reasumpsit, ac operi vigiles Episcopus adhibuit, qui ne idem rursus fieret, illud custodirent; & ecce vesperi audiunt strepitum, invigilant undique ut malefactorem comprehendant, & statim progreditur Simius, qui, ut sunt sagacissimi ad hominum actiones imitandas, accipit penicillum, miscet colores, dumque jamjam picturam decolorare parat, egregie fustibus excipitur & abigitur.

2. Comœdia in risum versa est, sed non ridiculum est, quod inde ducere intendo, sed tragicum quàm maximè. Si petatis, quid hoc? attendite. Diabolus Simius est infernalis, qui divinam picturam, animam scilicet hominis manu summi Pictoris Dei ad imaginem suam efformatam, gratiâ sanctificante & virtutibus Theologicis Fide, Spe & Charitate exornatam, & ita veram picturam SS. Trinitatis, sic maculare & deturpare studet. Venit enim subdolè Diabolus, ingerit pravas cogitationes, cogitationes iræ & vindictæ, cogitationes avaritiæ, cogitationes luxuriæ & cujuscumque turpitudinis, quibus dum animus consentit, ecce Diabolus pingit in anima horribilia monstra, leones iracundiæ, tygrides vindictæ, porcos libidinis, cæterorumque peccatorum monstra horrenda, quibus voluntas consentit & delectatur; ut proinde non malè similes cogitationes à S. Nilo appellentur semen Diaboli: *pravas cogitationes, inquit, semen Diaboli existima.* Hoc autem semen dum útero cordis concipitur, consensu alitur atque fovetur, suo tempore horribilia peccatorum parit animalia. Hinc benè omnes monet S. Gregorius, dicens: *non sinas cogitationem crescere; dum parvus est hostis, interfice: nequitia illidatur in semine.*

3. Itaque N. N. nolite vos ipsos decipere, prout fortè non pauci faciunt, dicentes: tantum cogito & in eo delector: non volo facere, imò opus detestor. Sic supponatur, *quamyis ordinariè contrarium fiat;*

B b 3

S. Nilus in  
Paramf.

hoc interim dico, & certum est, licet nec facias nec facere velis, nihilominus peccas mortaliter, si delictatio sit de re mortaliter peccaminosa; quod nisi ita foret, Deus per Prophetam Isaiam de eo non arguisset Filios Israëli, nec dixisset: *auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Nec Salvator noster Scribas & Phariseos increpasset, dicens: *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* videbat enim occultam illorum hypocrisis, & cogitationes pessimas quas corde fovebant.

Matth. 9:

Ergo de his cogitationibus nobis hodie agendum est; in quem finem parte 1<sup>ma</sup>. inquiremus quomodo, quando & qualia peccata sint malæ cogitationes. Parte 2<sup>da</sup>. ad similes cogitationes repellendas & superandas, efficaciora quæ potero adferam media simul & remedia. Prius tamen

## A V E M A R I A.

PARS I.

4. **L**ege divinâ non solum mala opera, & quidquid contra jus naturæ est, prohibitum esse, sed etiam malam voluntatem, desideria, cogitationes & concupiscentiam passim ex Sacris Paginis, & ex Decalogo evidens evadit: cur enim Salvator alias præcepisset, *non concupisces uxorem proximi tui?* ut autem hoc omnibus clarius pateat, consideremus prius quomodo & quam ob causam Lucifer Cœli expulsus cum omnibus Angelis apostatis sibi adherentibus in tartara detrusus sit; & statim inveniemus, quod id non propter facta externa contigerit, sed propter solas cogitationes, quas mente fovit & quibus voluntate consensit, prout aperte insinuat Isaias Propheta his verbis: *dicebat in corde suo, in Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum... similis ero Altissimo*. Ecce solâ cogitatione peccavit, & irreparabiliter cecidit.

Isaie 14:

5. Hinc etiam Deus de hominibus, quos postea diluvio punivit ac perdidit, tonqueritur dicens: *cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore*. Et proinde, inquit, *delebo hominem quem*

Gen. 6,

*creavi*, à facie terra. Quis ergo negare potest, quin cogitationes malæ, quibus voluntas liberè consentit, peccata sint? profectò de eo nullum potest esse dubium, prout postea pluribus demonstrabitur, illud autem pro nunc supponamus: sed quoniam non datur peccatum nisi sit voluntarium, & teste S. Augustino peccatum adèd voluntarium sit, ut si voluntarium non sit, peccatum non sit, & per consequens in tantum solùm peccatum sit, in quantum voluntarium est & liberum; hinc videamus modò quandonam cogitationes malæ peccatum sint, quando autem non, quando mortale, quando verò veniale dumtaxat.

6. Hoc ut dilucidetur, notandum est præviè, quòd primum quòd est ante peccatum, sit prava suggestio, quæ oritur à Mundo, Carne, vel Diabolo, juxta illud S. Augustini, *Mundus, Caro, Demonia diversa movent pralia*. Mundus scilicet per vanitatem, Caro per illecebras, Diabolus per suas insidias: sed licèt Diabolus multa possit suggerere, non potest tamen aliquem ad consensum, & per consequens ad peccatum deducere nisi liberè volentem. Undè S. Gregorius ait, *debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem*. Et S. Augustinus, *Diabolus quidem suggerit consilium; sed Deo auxiliante necessarium est refutare quod suggerit*: ne verò homines frivolum illam possint prætere, uti sæpè solent, excusationem in peccatis, dicendo Diabolus deceptus me, quàm debilis Diabolus sit, adèdque quàm frivola sit similitum excusatio, similitudine declarat: *est enim Diabolus, inquit, sicut canis latrans, qui ligatus est, cui si appropinquas, potest te ledere, si autem effugeris & non appropies, non potest te ledere, sed bene latrare potest*. Numquid ergo fatui dementisque judicandi sunt, qui à cane ligato, cui voluntariè appropinquaverunt, se læsos conqueruntur? non minùs reverà dementes homines illi dici debent, qui à Diabolo se deceptos & in anima lethali- ter læsos conqueruntur, à quo numquam læsi po-

fuissent, nisi voluntariè consentiendo illi appropinquassent.

7. Ecce ergo ibi primum est, nempe prava suggestio ex parte Diaboli, & ex prava simili suggestione oritur prava cogitatio, quæ proinde à S. Nilo, ut diximus, semen Diaboli appellatur. Consentit Hugo Cardinalis, dum malas cogitationes ova Diaboli vocat. Verba ejus sunt: *mala cogitationes sunt quasi ova Diaboli, quæ fovet in nido cordis nostri.* Alià similitudine idem declarat S. Hieronymus, malas cogitationes comparando præcursori: solet, inquit, Diabolus antequam veniat, quemdam præmittere cursorem adventus sui, scilicet cogitationem pravam, quam si corde susceptam nutriverimus intrinsecus in anima, ac in nobis crescere permittamus, ille cum in nobis prolem suam auctam viderit, tunc & ipse audebit intrare.

H. Hieron.  
Epist. ad  
Eustoch.

8. Itaque hæc primogenita Diaboli filia, statim est interficienda, inquit idem Hieronymus, *dum cogitatio mala in incipiis est & pusilla, capi debet & abjici, ne si adulta fuerit & inveterata, jam non possit expelli.* Quomodo autem hoc fieri debeat modum tribuit supra, dicens: „ Quia impossibile est „ in sensu hominis non irruere cogitationis motum „ & medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim ut cœperit cogitare, interficit cogitatus & allidit eos ad petram. „ Juxta illud nempe Psalmistæ, *beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* Quod sic dilucidat S. Joannes Damascenus: *opera pretium est Babylonis parvulos, hoc est, turpes cogitationes, quæ nos primum adoriuntur, ad petram, hoc est, ad Christum allidere atque obiterere: nihil in te Babylonicum adolescat, dum parvus est hostis, interfice.*

Idem hom.  
4. super  
Canticæ.

Ps. 136.

9. Sed ut revertamur ad propositum, ulteriùs notandum est, quòd triplicis generis cogitationes assignari possunt: quædam sunt inutilis, vagæ & frivolæ, quibus animus plerùmque in oratione distrahi solet, de quibus dicit Apostolus, *evanescunt*

Ad Rom. 8,

*In cogitationibus suis*; tales verò cogitationes in oratione, nisi aliundè hæc sit obligatoria, & voluntariè quis iis in notabili materia distrahatur, tantùm possunt esse peccatum veniale, ac proinde similes rejiciendæ & contemnendæ sunt. zdò. Aliæ sunt cogitationes utiles & fructuosæ, quales sunt de Deo, de virtutibus, de animæ profectu, &c. quæ proinde Deo gratæ sunt, quia, ut Sapiens ait, *cogitationes eorum apud Altissimum*: sicut enim mala omnis malitiæ & nequitiae, sic bona omnium virtutum & bonorum semina sunt, testante S. Bernardo, *consideratio est omnis boni initium*. 3tiò. Denique aliæ sunt cogitationes malæ & vitiosæ, ad quas ex naturæ pravitate homines admodùm inclinantur, quia, ut dicit Sapiens, *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimis sensum multa cogitantem*. Sap. 5. Sap. 9.

10. Quomodò verò & undè hoc fiat, pulchrâ similitudine explanari potest. Videmus quotidie quòd unus equus plura deorsùm faciliùs trahat, quàm decem sursùm. Non aliter fit cum homine: cum enim ex fomite peccati, & ex inclinatione naturæ ac pessima illa naturæ corruptæ radice semper ad malum inclinemur, faciliùs multa mala facimus & ad ea quasi spontè trahimur, quàm pauca bona. Ut proinde bene canat Virgilius.

..... *facilis descensus Averni,*  
*sed revocare gradum superasque evadere ad auras*  
*hoc opus, hic labor est.*

Quod ipse Deus attestatus est, dum dixit: *sensus & cogitationes cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua*. De cætero, quamvis sine consensu similes cogitationes peccaminosæ non sint, tamen nisi statim rejiciantur, admodùm sunt periculosæ: quia per istas stimulus carnis excitatur. Undè S. Hieronymus sic monet: *numquam vanis cogitationibus patcas, qua si in animo sedeant, dominabuntur tui, & te ducent ad delictum maximum*. Paucioribus verbis S. Bernardus idem docet: *cogitationes*



*mala*, inquit, *dum in anima ludunt, illudunt*. His benè notatis

11. Dico. Omnium Theologorum communissima est sententia, quòd pravæ cogitationes, quæ maxime locum habent in re venerea, si sint de gravi materia, qualis ferè semper est in materia luxuriæ, vel semper secundùm eos qui ibi parvitatem materiæ non admittunt, si sint deliberatæ, & homo sibi in illis liberè complacet vel delectetur, peccatum mortale sint, & talis quidem speciei, qualis est peccatum quod repræsentatur, quod adhuc verum est, quamvis quis opus non vellet facere, imò detestaretur. Sic ex S. Augustino resolvit S. Thomas

*S. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 8.* Aquinas, qui, cùm allegasset verba Augustini, qui de similibus dicit, homo *totus damnabitur*, subdit: *sed nullus damnabitur, nisi pro peccato mortali, ergo consensus in delectationem est peccatum mortale.*

12. Cùm autem non sint peccata similes cogitationes, nisi liberè accedat consensus, pro illo benè notandum est, quòd quando homini prava incidit cogitatio, vel simulatque animadvertit, eam statim rejiciat, vel non: si statim rejiciat, nullum est peccatum. Si verò statim non rejiciat, hoc adhuc tripliciter fieri potest: vel enim placet illa delectatio & operis consummatio si opportunitas adesset, & ibi est plenarius consensus ad peccatum mortale. Vel placet quidem delectatio de objecto venereo proposito, sed displicet operis consummatio, & tunc etiam peccatum mortale est. Vel utrumque displicet, scilicet & delectatio & operis executio; & tunc animus cogitationes & delectationem statim repellit, & nullum peccatum est; vel in eo parum est negligens, & peccatum dumtaxat veniale est; vel in cogitationibus illis, consequenter & in delectatione indè resultante se quasi permissivè habet, id est nec positivè consentiens nec dissentiens, & tunc adhuc multi volunt esse peccatum mortale, eò quòd contendunt quòd quisque pro posse obligetur positivè repellere, aliàs exponat se manifesto consen-

ſiendi periculo , atque ita interpretativè conſentire cenſetur. Quidquid ſit de hac opinione , ſicut & de contraria illorum , qui volunt tantum veniale eſſe , hoc ſaltem indubitatum eſt, quòd periculoſiſſimum ſit , ut patet ex auctoritatibus SS. Patrum jam allegatis.

13. Porro ut prædicta clariùs intelligantur , exponamus totum hoc ſyſtema ſimilitudine à peccato primorum noſtrorum parentum deſumpta : notandum ergo quòd ad peccatum illorum tria concurrerint , ſcilicet ſerpens , mulier & vir , quam ſimilitudinem tradit pulcherrimè S. Auguſtinus : Serpens tentavit mulierem , mulier virum , & indè vir conſenſit in peccatum. Sic fieri ſolet in homine : eſt in nobis propria ſenſualitas , eſt & dæmon qui cogitationes pravas ſuggerit : & ibi eſt ſerpens. Eſt etiam in nobis pars inferior rationis , pars ſenſitiva , & ibi eſt mulier. Eſt denique in nobis pars ſuperior , ſcilicet recta ratio quæ cognoscit bonum & malum , & voluntas illud amplectens vel deteſtans , & ibi eſt vir. Reſpectite jam ad conceptum S. Auguſtini, Quando ſola ſenſualitas naturæ depravatæ ſeu parti inferiori delectationem quoad objectum illicitum ſuggerit , & ſic quaſi ſuadet ut de fructu vetito comedat , ſi ratio inferior non conſentit , ſed è contra illos motus pro poſſe viriliter repellit , tunc mulier fugat ſerpentem , & non eſt peccati ſed virtutis exercitium. Si verò ratio inferior ſenſualem quidem delectationem admittat , ſed ſic ut ratio ſuperior non ſatis animadvertat , tunc mulier comedit , ſed non vir ; atque ad ſummum peccatum veniale eſt. Sed ſi ulterius procedatur , ita ut pars ſuperior concurrat , & homo voluntariè ac liberè conſentiat atque delectetur , jam & vir comedit , & ipſe cum uxore , id eſt , anima cum corpore damnatur & de Paradiso , id eſt , de ſtatu gratiæ expellitur.

14. Cur ergo vos ipſos decipitis , ô cæci homines ! dicentes : malum non facimus , ubi pravis tamen cogitationibus conſentitis , pravosque fovetis affectus ? ô ſi corda hominum ſemel aperirentur , ita ut

funditus videre possemus, quæ & qualia ibidem agitentur, quot videremus abominationes? cogitationes, inquam, non modò inhonestas, sed etiam porcinas atque bestiales? quot invenirentur qui de corde suo omnis turpitudinis & nequitiae lupanar efficiunt? quibus Deus exprobrare posset, quod olim per Ezechielem Prophetam exprobravit Filiis Israël: *fecisti tibi imagines, in phantasia scilicet per cogitationes libidinosas, & fornicata es in iis*, id est, coram Deo culpabilis es; ac si omnes illas abominationes opere complevisse.

*Ez. chiel. 16.*

Ne ergo quis se decipiat similibus cogitationibus & phantasmatibus indulgendo, adfero auctoritatem S. Augustini, qui dicit: *totus homo damnabitur, nisi hac qua sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Nec minus est aliud quod eodem cap. dicit: *nec sanè cum solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse faciendam, tenens tamen & volvens lubenter, qua statim ut assigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum.*

*S. Aug. lib. 2. de civit. 6. 12.*

15. Ad confirmationem dictorum, horribile est exemplum, quod narrat Joannes Raulinus Sacræ Theologiæ Professor de vidua miræ pietatis, & profusa in pauperes, ac indè Episcopo valdè chara & ab eo æstimata, quæ semel in famulum oculos injiciens & cogitationi nefariæ consentiens, statimque post repellens & averfans, incidit in morbum eidemque cogitationi rursus consentiens, eo ipso mortua est, quam Episcopus propter opinionem sanctitatis in suo Sacello sepeliri curavit thesauri instar. Sed ô judicia Dei & hominum! cùm Episcopus nocte se ad Sacellum conferret horas dicturus, illud totum ardere videbatur; ipse autem Deo fidens accessit & intrans vidit mulierem craticulæ ignitæ impositam & Dæmones eam torquentes, quæ ab eo adjurata, ob hoc solùm quòd turpi cogitationi consensisset, se damnatam dixit. **O bone Deus!**

*Raul. in itinerario Paro-  
difi. Ser. 1.  
de pan. in-  
firm.*

ob unam cogitationem in æternum damnari! *Quis illam sortem damnatorum non fleat?* ait S. Basiliius, ob momentaneam delectationem gaudiis excludi sempiternis! *quis talia fando, temperet à lacrymis?* cum ergo tam periculosa sint inhonestæ cogitationes, & omnes etiam sanctissimi ab iis divexentur, præscribamus aliqua remedia, non tantum ne lædamur, sed ut & meritorie eas patiamur, & sit

16. **A**ntequam remedia præscribam, verbum **PARS II.**

consolatoriū pro piis & timoratis conscientiiis præmittere volo: sicut enim inveniuntur homines salutis suæ planè incurii, qui de pravaram cogitationum & desideriorum peccatis conscientiam facere non videntur, quasi numquam peccarent, nisi exteriori opere delinquerent, sic è contrario repertiuntur nonnulli, qui nimis anxii solent esse & timidi, atque ita seipfos & conscientia suæ moderatores continuis scrupulis miserrimè divexant, qui proinde scire debent, se per cogitationes numquam peccare, nisi voluntarie iis consentiant & morose delectentur. Porro sicut morosa delectatio non requirit moram temporis ut mortaliter peccaminosa sit, uti benè notat S. Thomas dicens: *delectatio dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur: nec tamen eam repellit, tenens & voluens libenter, que statim ut attigerunt animum, respui debuerunt*; sic pravæ cogitationes, etiamsi per dies & noctes, per menses & annos durarent, non sunt peccaminosa, nisi voluntas eis liberè consentiat, ut benè notat S. Bernardus, dicens: non nocet sensus, ubi non est consensus: imò qui resistantem fatigat, vincentem coronat. Ne autem pusillanimes fiant, qui similibus cogitationibus divexantur, prout animabus purissimis etiam & sanctissimis non rarè contingere solet, sic illos consolatur: *molestia quidem est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habet & coronam.*

S, Thom, 1,  
2, q, 74, q,  
6, ad 1,

17. Hoc Salvator noster sæpè electissimis suis sponis declaravit, & ad consolationem ipsarum ten-

tationes similes ad purgationem & coronam cedere declaravit : prout factum est cum S. Birgitta , de qua refert Blossius in monili c. 4. Dominus Jesus, inquit, semel S. Birgittæ dixit : *Cur turbaris & sollicita es, filia ?* respondit illa : *quia diversis & inutilibus malisque affligor cogitationibus , quas removere nequeo, & terror judicii tui me pungit.* Cui Dominus : *hæc est vera justitia , ut sicut prius delectabaris vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi molesta sint vane perversaque cogitationes contra voluntatem tuam: verumtamen time judicium meum moderatè & cum discretionè, firmiter semper confidem in me Deo tuo. Certissimè enim scire debes malas cogitationes , quibus mens reluctatur & quas detestatur, esse purgationem animæ , atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter, ac voluntate eis renitere, & quamvis ipsis non consentias, time nihil minus ne inde superbias & cadas. Nam quicumque stat, solius Dei virtute stat.*

Str, de S,  
Cath,  
Senen,

18. Hæc ipsum aliquando edocta fuit divinitus B. Catharina Senensis. Hæc cum quodam die conflictaretur cum turpissimis cogitationibus, anxie planè erat. Paululùm autem sedatâ tentatione, cum ad divini luminis præsentiam interiùs consolationem aliquam perferentiseret, cœpit suaviter sponso suo conqueri, dicens : *ubi eras, Domine Jesu ? ubi eras ?* cui ille : *In medio cordis tui eram. At quomodo,* inquit ipsa, *in medio cordis mei poteras esse, quando quidem ibi foetidissima cogitationes agerent, illudque inquinare viderentur, & puritati tuæ adversari ?* inquit Christus, an istis cogitationibus consensus dederit; an in illis sibi complacuerit? Respondet illa, nihil se magis detestari, quàm turpitudines illas, & foeditates imaginationi objectas. Tunc Christus : *scias ergo, me in medio cordis tui fuisse, & gratiam tibi, ne consentiret, subministrasse ; idèdque ibi eras velut in medio fortalitiij cujusdam, quod protegebam; & nisi protexissem perieras : & ita, ô filia, voluisti xiari, sed gratias age.* Hæc Christus.

19. Hinc eſt, quòd Dominus Deus, dum reprehendit per Prophetam ſuum Jeremiam Civitatem Jeruſalem, ſeu Filios Iſraël, & in iis omnes homines maximè Chriſtianos, non objurget eos quòd cogitationes habeant noxias, vel illæ ad eos veniant, ſed quòd morentur, cum voluntatis ſcilicet conſenſu: undè non dicit, uſquequòd venient in te cogitationes noxiæ: ſed *uſquequòd morabuntur in te cogitationes noxiæ?* proinde, ait S. Proſper, *non ſordida cogitationes mentem ſordidam reddunt, ſed ex mente ſordida ſordida cogitationes exiſtūt.* Ex quo videtis quòd ſimiles cogitationes ad majus meritū ſerviant, dum viriliter repellantur, quò major enim eſt pugna, eò major & glorioſior eſt victoria, quò major autem victoria, eò major erit corona: quia, ſi Apoſtolo teſte nullus *coronabitur, niſi qui legitime certaverit*, eò utique magis coronabitur, quò magis legitime certaverit. Habent ergo pii, religioſi & timorati, undè in ſimilibus tentationibus ſe conſolentur. Sed veniamus ad propoſitum.

Jerem. 4.  
S. Proſp. lib.  
3, de vit.  
contempt.  
c. 6,

20. Verum quidem eſt, Deus per Prophetam Iſaiam dicit, *auſerte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Hoc neceſſarium eſt, ſi ſalvari velimus: ſed hoc efficaciter implere, hoc opus hic labor eſt. Triplex ad illum finem invenio medium, quòd ſicut efficaciffimum eſt, ſic omnibus amplectendum propono.

Primum eſt ſæpè orare, & honeſtis actionibus ſemper eſſe occupatum. Sic S. Hieronymus filias ſuas ſpirituales inſtruebat: ſcribens enim ad Salviam inter alia ſic illam monet: *ſemper in manibus tuis divina ſit lectio, & tam crebra orationes, ut omnium cogitationum ſagitta, quibus adoleſcentia percuti ſolet, hujusmodi clypeo repellantur.* Et idem iterum ad Ruſticum Monachum: *ſemper facito aliquid operis, ut Diabolus ſemper te inveniat occupatum.*

21. Secundum medium illudque quàm maximè neceſſarium eſt, omnes occaſiones, quæ ſimiles cogitationes ingerere poſſent, ſollicitè evitare: undè ab omnibus vitanda ſit curioſa & ſuperflua au-

ditio, locutio ac visio, quantò magis libidinosa? à quibus omnibus ut diligenter caveamus, sæpè nos seriò monent S. Paginae. De locutione & auditione *1, ad Cor, 15,* pro regula infallibili tradit Apostolus, *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* O quàm altè sæpè animo impressa manent, honestissimis aliis idè quantumvis puellis, quæ ex toto corde etiam Deo servire desiderant, locutiones inhonestæ, vel impudici proci alicujus turpia verba! quas imagines & repræsentationes non causant in phantasia! norunt quæ expertæ sunt, & Confessarii sæpè cum lacrymis conqueruntur.

22. De visione autem impudicarum imaginum, vel rerum venerarum lectione, quæ omnia propter præsentissimum libidinis periculum vix sine gravi culpa fieri possunt, dicit & deplorat in persona multorum Jeremias Propheta, *oculus meus depradatus est animam meam.* O quot sunt in mundo juvenes, quot puellæ, quot conjuges, quæ dicere possunt, sed & debent: *oculus meus depradatus est animam meam!* quot damnati in inferno, qui deplorant & deplorabunt in æternum, *oculus meus, &c.* Illud certè noverat S. Job, vir Deo probatissimus, noverat periculum, noverat quòd per exteriores sensus tamquam per fenestras, animæ latrones intrare soleant, undè & dicebat: *pepigi fœdus cum oculis meis.* Sed quare hoc vir sanctissime, quare tanta tibi de oculis eorumq; custodiâ sollicitudo? Respondet: *ut ne cogitarem quidem de virgine.* Ecce ad hoc tantâ sollicitudine custodiebat oculos suos, ut pravas cogitationes effugeret, vel saltem ex sua parte illis scandalum non subministraret.

13. Tertium medium est, cogitationes pravæ simulatque sentiuntur, repellere; quia cogitatio libidinosa est tanquam scintilla quædam infernalis, quæ in vestem nostram carneam incidit, incendium suscitatur, coque mentem adurit, & obnoxiam gehennali reddit incendio. Hinc petit Sapiens: *numquid potest homo abscondere ignem in sinu ut vestimenta non ardeant!*

*Prov, 6,*

deant? Q. D. hoc est impoſſibile. Ille autem ignem in ſinu alligat & abſcondit, qui impudicam delectationem per cogitationem cordi aut menti adſtringit: delectatio verò corpus, quod eſt inſtar veſtis animæ, incendio ſuo corripit, dum ad turpitudinis opera per laſcivos motus agit. Sicut ergo fieri non poteſt, quin qui ignem in ſinu abſcondit, veſtem a-  
durat; ita ſi quis per laſcivam delectationem ignem libidinis in corde concepit, corpus etiam totum exaſtuet neceſſe eſt. Quid ergo faciendum? profe-  
cto qui comburi non vult, ſimulatque ignis ille infernalis menti incidit, protinùs illum reſpuere debet & cavere ne abſcondat: ſicut enim qui carbones arden-  
tes apprehenderit, ſi citò projecerit nihil illi noc-  
bunt, ſi verò diutiùs tenere voluerit numquam ab-  
bit illæſus; ita ille qui libidinis malum corde inſci-  
piens, in cogitationibus ſuis morari permiferit, illas ſine animi plaga excutere ampliùs non poterit.

24. Efficaciſſimum itaque remedium eſt, ingrue-  
tes cogitationes, eo ipſo quo apprehenduntur, ex ani-  
mâ eliminare: ſed in eo practicando totus labor conſiſtit. Quomodò ergo, fortè dicetis, ſimiles co-  
gitationes ita repellamus? reflexiſtis indubiè ali-  
quando N. N. quomodò matres proles ſuas abla-  
ctare ſoleant, ubera nempè abſynthio, allio, aliâ amari-  
tudine liniunt, ut ſic proles amaritudine ſimili de-  
territæ ab ulterius lactando abhorreant. Sic dicebat aliquis S. Eremita, delectationi cogitationum vene-  
rearum apponendam eſſe aliquam amaritudinem, quæ illas reddat amaras, animumque impellat ut eaſdem abhorreat.

25. Sed quæ & qualis erit illa, quæ præſcribitur, amaritudo? nulla N. N. eſt efficaciſſima quàm con-  
ſideratio & de extremis amara meditatio. S. Bern-  
nardus ſcribens ſuper illa verba Genetiſis, *Agar undè  
venis?* ſic dicit: *cogita undè veſpis & erubeſce, ubi eſt  
& ingemiſce, quò vadis & contremiſce.* Cogita mor-  
tis amaritudinem, de qua Sapiens dicit: *ò mors quàm*

Écclij 411



qualiter mori non audent. Cogita amaritudinem inexorabilis divinæ justitiæ in die iudicii, de qua loquens Apost. non scit aliter eam exprimere, quàm dicendo: *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Et quare est horrendum? Respondet Proph. Sophonias: *quia vox diei Domini amara.* Cogita amaritudinem Passionis Domini nostri Jesu Christi, & quòd, qui turpibus cogitationibus consentiunt, quantum est in se rursus crucifigant Filium Dei, ut similibus amarum considerationibus animo amara reddatur omnis cogitatio inhonesta; nam ut flandricè dicitur: *het is de lesse van Alexander, i' een senyn verdrift het ander.*

26. Finaliter unum addo remedium ex S. August. scilicet ut semper Deum nobis cogitemus præsentem, qui non tantum actiones & facta, sed videt etiam cogitationes, ac scrutatur corda & renes. De eo sic pulcherrimè discurret S. August. *nullus vult in publico à meretrice osculari, ita in secreto conscientia fordidas cogitationes velut immundissimas meretrices nullus debet suscipere, vel inhabitare permittere.* Prætendit fortè aliquis, dicit hic S. Præsul, quòd similes cogitationes pravâ consuetudine adeò invaluerint, ut eas repellere quibusdam impossibile appareat. Quid ergo tunc illis faciendum? an nescitis N. N. quòd clavus clavo expellatur? si sciatis, respondeo quòd eodem modo malæ cogitationes bonis & salutaribus expellendæ sint. Audite iterum Augustinum: *sicut amor amore vincitur, sic cogitatio cogitatione tollitur. Locum ergo, quem in corde libidinosæ cogitatio tenebat, castitas occupet.* Sed ut finiamus, sit

27. **Q**Uæ cum ita sint N. N. cum cogitationes malæ adeò periculosæ, adeò molestæ, adeò frequentes sint, ut exinde piissimas animas, & timoratas conscientias interdum vivere tædeat, dum in continua luctâ, in continua, ne fortè consenserint, versantur anxietate ac timore: moneo me, moneo vos omnes & singulos verbis Spiritus Sancti: *omni custodiâ serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit, si nempe bona cogites, mors si mala.* Et iterum

Sophon. 1,

S. Aug. in  
Evang. Scr.  
17, a

EPILOG.

Prov. 4,

abominatio Domini cogitationes mala. Denique, ait Sap. 8i  
 Sapiens, perversæ cogitationes separant à Deo.

Proinde N. N. si similes cogitationes vobis molestæ sint, monet vos Dominus Deus per Jeremiâmi Prophetam: *lava à malitia cor tuum, usquequò morabuntur in te cogitationes noxia?* lavate inquam corda vestra lacrymis doloris & pœnitentiæ, atque impostèrùm, quantum possibile fuerit, ab iis cavete, imitemini S. Hieronymum, qui illud de seipso fatetur scribens ad filiam suam spiritualem Eustochium his verbis: *omni auxilio in Eremito destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis; crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Memini me clamantem diem cum nocte crebro junxisse, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam Domino increpante redires tranquillitas.* Hæc ille.

Jerem: 4

S. Hier: Ep: 22. ad Eustoch

28. Sed cum ad hoc ex nobis sufficientes non sumus, & nemo possit esse ac manere corde & corpore castus sine particulari gratiæ divinæ auxilio, dicente Sapiente, *scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*, ad Deum cum pia fiducia recurramus, quia ut monet S. August. *nemo sibi cogitationum suarum victoriam tribuat*: quia illa non ex nobis sed defursum est; proinde cum eodè ad Dominum clamemus, clamemus inquam cum lacrymis: *libera me Domine Deus meus à multiloquio quod patitur intus in anima mea misera..... da mihi non eis consentire, eas improbare.* Et quod alibi dicit: *ô amor qui semper ardes, & numquam extingueris, charitas, Deus meus accende me; continentiam jubes, da quod jubes, & jube quod vis.*

Sap: 8i


S. Aug. sup: Genes.

29. Si verò in vehementissima lucta ac tentatione versamini, clamate ad Cœlum, ait S. Gregorius, *Jesu Præceptor miserere mei, vel, Domine salva nos, perimus.* Sic practicavit S. Thomas Aquinas, qui cum illecebrosa juvenicula, ut ejus castitatem subverteret, in ipsius cubiculum immissa foret, recurrit ad Dominum & clamavit: *ne sonas quasi Domine Jesu.*

Ge 2

minum & clamavit : *ne sinas quaeso Domine Jeshu, & tu piissima Mater & Virgo, ut tam immani me scelere obstringam.* Mox autem per hanc orationem tantas in anima vires cœlitus accepit, ut omnes Diaboli insidias & nefaria ejusdem molimina everterit: adfuerunt insuper Angeli Dei, qui in perpetuæ castimonix symbolum lumbos ejus cinxerunt.

Sic N. N. ad Deum recurrere, & eò magis recurrere, quò magis tentatio vos urget; sed & ad Beatissimam Virginem Mariam immaculatè conceptam confugite, ut ipsius intercessione de Cœlis recipere mereamini, quod apud Deum vestrà ingratitude non promeremini; clamate cum Ecclesia, *Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac & castos*; sic legitimè certantes Deo auxiliante erimus victores, & recipiemus in cœlis victoriæ coronam, quam *repromisit Deus diligentibus se.* Quod nobis omnibus concedat, qui sine fine vivit & regnat. AMEN.



## CONCIO LXXI.

### *De peccato veniali.*

**THEMA.** Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccli. c. 19.*

**EXORD.** I. **I**ncredibile, ne dicam inconceptibile est quàm mirabilia sæpè humana subtilitas operata sit in rebus minimis: Sic obstupuit Antiquitas, & totus hodie admiratur mundus, numquam visum artificium quo Myrmedides Cælator famosissimus Rhedam cum quatuor equis, rhedario & omnibus ad illam requisitis perfectissimè exculpserit in materia adeò exigua, ut totum opus parvulâ alâ unius muscæ contegi posset. Alius non minùs famosus, navem bellicam cum omnibus ad eam pertinentibus & requisitis, cum malo, velis, anchoris, gubernaculo, rudentibus, &c. confecit in spatio adeò exiguo, ut tota illa machina nucleo cereali commode

includi posset. Carolus V. Imperator gloriosæ memoriz in gemma annuli perfectum horologium cum omnibus ad illud requisitis habuisse dicitur. Denique Nabucodonosor, ut narratur Danielis cap. 2. vidit parvulum lapillum è monte decidentem, qui decidendo crevit adeò, ut factus sit mons immensus qui totum univèrsum impleret: *factus est mons magnus, & implevit univèrsam terram.* Hæc audientibus, si non impossibilia, saltem mirabilia admodum apparent, & meritò.

2. Multò tamen mirabilior est Deus in minimis, quæ facit, & quæ, quia non considerantur, à nemine reputantur. Quis enim meditatur, & prout res meretur, seriò perpendit, quomodò Deus creaverit animalcula adeò parva, ut eadem vix oculus humanus assequi valeat, quæ tamen in genere suo sunt perfectissima, & habent ocellos, pediculos, auriculas, parvulas alas, &c. Quid dicam de feminibus vix arenâ grandioribus, quæ tamen in arbores excrescunt? Sic Matth. cap. 13. dicit Salvator: *Matth. 13. simile est Regnum Cælorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit majus est omnibus oleribus, & fit arbor.* Quid mirabilius, quàm quòd per divinam providentiam semen adeo parvum mandatum terræ ita crescat, ut fiat arbor cum ramis, foliis, gemmis, eousque ut aves Cæli sub ea lateant?

3. Sicut autem Deus mirabilis est in omnibus operibus suis notanter magna efficiendo in parvis, sic etiam Diabolus, qui olim superbiendo Deitatem ambiebat, & ob multas rationes dicitur quasi simia Dei, operatur etiam magna ex parvis, habet & ipse etiam semen aliquod parvum quidem, sed quod terræ mandatum, id est in corde humano satum, crescit & fit arbor. Sed quod vel quale, dicetis, est illud diabolicum semen? loquor de peccato veniali, quod omnium peccatorum minimum quidem est, sed in corde hominis plantatum & fotum, tantam producit malitiæ arborem, ut aves infernales, seu

diaboli ibidem nidificent, in corde hominis domiciliū figant, eique prædominentur.

3. Contra hoc quidem semen pessimum Diaboli mihi hodie agendum est, illudque penitus extirpandum. Cùm enim in hoc & Tomo præcedente sæpius docuerimus, hæc & illa in variis materiis tantum esse peccata venialia, ne propterea eadem parvi faciamus, ejusque malitiam, utpote venialem dumtaxat, contemnamus, ostendendum mihi, antequam hunc Tomum finiam, quòd licet peccatum veniale non sit peccatum grave vel amicitiam Dei destruens, quòd tamen contemptum, pessimè sit consequentiæ, & hominem paulatim deducat ad mortale, conformiter ad verba Thematis, *qui spernit modica, paulatim decidet*. Itaque in hunc finem hodie parte 1<sup>m</sup>a. explicabimus quid sit peccatum veniale, & quomodo à mortali distinguatur. Parte 2<sup>d</sup>a. ostendemus, quàm horrendè interdum etiam in hac vita à Deo fuerit punitum. Parte 3<sup>ti</sup>a. Demonstrabimus quòd sit periculosissima dispositio ad peccatum mortale. Priùs

## A V E M A R I A.

### PARS I.

4. PRIUSQUÀM hanc materiam ingrediamur, & quid peccatum veniale sit, explicemus, varia cupio ut seriò prænotentur. Imprimis quòd sicuti corpus vivit ex anima, sic anima vivat ex gratia sanctificante, quæ vivificat illam: proinde sicut corpus dicitur mortuum, quando anima ab illo separatur, infirmum autem, quando propter pravas suas dispositiones sive humores anima in operationes suas perfectè exercere nequit, pariformiter anima dicitur mortua, quando gratiâ sanctificante privatur; infirma verò, quando hæc in illa propter malas inclinationes, pravosque habitus spiritualia exercitia minimè operari potest.

Prænotetur 2<sup>d</sup>ò. quòd aliud sit peccatum mortale, aliud veniale *ex genere suo*. Peccatum veniale est genere suo est, quando manendo intra terminos

illius peccati, numquam dari potest peccatum mortale. Sic v.g. mentiri ex genere suo est peccatum veniale dumtaxat : quia manendo intra terminos mendacii, numquam illud potest esse peccatum mortale. Reflectant tamen benè illitterati , quòd dicam *manendo intra limites mendacii* : quia non est dubium quin mendacium , quo graviter læditur fama proximi, mortale sit. Item omnia mendacia, quibus notabile damnum , v. g. in mercibus proximo causatur. Sed quòd illo casu mendacium sit mortale , non est ratione mendacii, sed ratione iniquæ damnificationis proximi, quæ graviter justitiæ repugnat, & proinde eatenus tale mendacium non tam octavo quàm septimo Præcepto Decalogi opponitur.

5. Prænotetur 3tio. quòd peccatum veniale tripliciter sumi possit. Primò pro omni peccato quod veniam consequi potest, & eo sensu omne peccatum etiam mortale, est veniale. Et sic intelligi debet illud S. Ambrosii : *omne peccatum per pœnitentiam fit veniale*, nempe quia per illam, veniam consequitur. 2dò. Aliqua peccata appellantur venialia *ex causa*, eò quòd secundum prudens hominum iudicium-veniâ sunt digna, quòd v. g. ex ignorantia vel surreptione absque omnimoda præcognitione committantur. Sic autem aliâ etiam mortalia dici possunt venialia, 3tio propriè & ad propositum nostrum, sunt peccata quæ faciliè veniam merentur, eò quòd faciliter committantur & gravia non sint, & proinde flandricè vocantur peccata quotidiana, *daeghelychske sonden* exinde, quòd attentâ humanâ fragilitate, quasi quotidie in ea cadere soleamus. De peccato veniali sic sumpto, quæritur quid sit ? ad hoc

6. Resp. Peccatum veniale diversimodè describi solet. Primò secundum se & suam essentiam, & sic est transgressio Legis divinæ vel leviter tantum obligantis, vel etiam graviter obligantis, tamen in materia levi, vel cum imperfecto consensu. Explicemus paucis. *Est transgressio Legis leviter obligantis,*

sicut præceptum illud, *non loquæris falsum testimonium*. Præcepti illius violatio ex se numquam est mortalis, ut diximus, quia leviter tantum obligat; *vel graviter obligantis, sed in materia levi*. Sic graviter quidem obligat Præceptum illud, *non furtum facies*. Semel tamen furari solidum, aliàs schellin-gum, non est mortale, quia in levi est materia, & quæ in communi æstimatione hominum parum æstimatur, nec Deus censetur tam levem rem graviter voluisse præcipere, vel propter eam aliquem æternaliter velle damnare.

7. Ratione hujus posset aliquis petere, an multa venialia simul collecta possint efficere unum mortale? ad hoc respondeo negativè, etsi tam multa essent, quam sunt arenæ maris vel arborum folia. Ratio est: quia, ut supponitur, nullum ex iis omnibus est transgressio gravis Legis graviter obligantis vel opponitur gratiæ sanctificanti. Sed quid si aliquis sæpè rem modicam furaretur? si ascendat usque ad gravem materiam, per illa furta minuta committit peccatum mortale, non quòd multa venialia unum mortale efficiant, sed propter notabilem rei alienæ detentionem vel injustam proximi damnificationem: quia injusta rei alienæ detentio ejusdem rationis est cum furto; tamdiu enim cesset quis furari, quamdiu rem alienam injustè detinet: si ergo furetur continuò levia, ultimum furtum quantumvis leve additū aliis facit mortale, quamprimum per illa minuta furta incipit graviter proximo nocere. Quod quandonam fieri censeatur & quanta materia ad hoc requiratur, cæteraque huc pertinentia ex professo tradentur Tomo 3. in præceptum 7. *non furtum facies*. Sic qui sæpè extra refectorem in die Jejunii parum comederet, vel Ecclesiasticus, qui ex singulis horis Canonicis unius diei parum omitteret, tamdiu ut ad notabilem materiam pervenirent, tam unus quam alter peccarent mortaliter, non quasi plura illa venialia unum pec-

catum mortale constituerent ; sed quia illæ materiæ parvæ in unam moraliter coalescunt.

8. Denique est tantum peccatum veniale, quamvis sit transgressio Legis graviter obligantis , & in notabili materia , si fiat cum imperfecto tantum consensu, vel ex præcipitantia seu inconsideratione, vel si non satis prævisum fiat in ebrietate seu committatur à semidormiente , &c. Ratio hujus est : quia Deus non censetur graviter offendi vel hominem graviter obligasse , nisi hic perfectè cognoscat præceptum , & plenariè utatur usu rationis.

Quid ergo dicendum de iis, qui continuo jurant, blasphemant, loquuntur mala de proximo ex prava quadam consuetudine, ac inveterato ita faciendi habitu , absque eo quòd sufficienter advertant quid faciant ? Respondeo quòd tunc ex se non sint peccata mortalia propter rationem jam allegatam : sed similes benè & seriò advertant, quòd tamdiu vivant in continuo statu damnationis , quamdiu pessima illa consuetudo illis censetur moraliter voluntaria , cum prædicta omnia sint intrinsecè mala. Porro consuetudo mala tamdiu similibus moraliter censetur voluntaria , quamdiu seriam non adhibent operam ad malam illam consuetudinem exuendam seu saltem emendandam per actus contrarios. Similes ergo nisi fideliter & pro posse adhibeant media sibi à prudenti Confessario præscripta , vivunt in continuo statu æternæ damnationis. Plura desuper diximus Tomo I. Tract. 5. Conc. 27. fol. 413. 414. & 415.

9. Alii definiunt seu potiùs describunt peccatum veniale quantum ad effectum, nempe quòd sit peccatum quod non solvit Dei amicitiam , quod non destruit gratiam sanctificantem , nec reum facit æternæ damnationis , & sic quoad effectus diametraliter opponitur peccato mortali, quòd prædicta omnia efficit. Non solvit ergo amicitiam Dei , cum enim hæc consistat seu pro fundamento habeat gra-



tiam sanctificantem, per quam reddimus Deo gratiam & hæredes Regni Cœlestis, atque hæc per veniale peccatum vel peccata non destruat, consequens est, quòd nec Dei amicitia per ea destrui possit: quòd licet non fiat, multa nihilominus & gravissima mala producit peccatum veniale, prout jam ostendemus. Pro quo sit

## PARS II.

10. **P**ER peccatum Originale homo est adeò in intellectu obscuratus, & in voluntate infirmatus, ut innatâ nobis quasi concupiscentiâ ad malum inclinemur ab adolescentia nostra, & bonum non nisi nobis cum divino auxilio vim inferendo facere possimus. Hinc etiam Sancti, sine speciali Dei privilegio, quod nonnisi SS. Virgini & Matri Dei Mariæ concessum legitur, ab omni peccato se immunes servare totâ vitâ non possunt, imò nec longo tempore; cujus varias rationes recensent SS. Patres. Inter has præcipuæ sunt Dæmonis tentationes, objecta sensibilia, carnis concupiscentia, corporis corruptio, quæ non finit hominem semper sibi invigilare. Item ignorantia & inconsideratio, prava consuetudo, perversa aliorum exempla & consilia, denique innata quædam instabilitas & naturæ humanæ infirmitas. Hæc autem omnia efficiunt, ut non solum venialia omnia non possimus vitare, sed nec etiam à peccato mortali longo tempore sine auxilio & gratia Dei speciali abstinere.

11. Vultis scire quare? res similitudine evadet clarior. Sicut corpus humanum per cibum & potum, non potest ita humidum & calidum radicale redintegrare, quin aliquando humores noxios acquirat, qui nisi per medicinas, exercitia, vel aliis mediis corrigantur vel expellantur, tandem morbum causabunt lethalem; sic nec anima per ordinaria gratiæ divinæ auxilia gratiam sanctificantem potest se conservare, quin interdum aliquas maculas saltem leviores contrahat, quæ nisi per Dei gratiam, mediante pœnitentiâ vel operibus bonis eluantur, producent (dispositivè scilicet) in anima peccati mor-

talis morbum lethalem. Sine delictis autem venialibus infirmitas humana vivere non potest. Unde Sapiens dicit, *septies in die cadet justus & resurget*; Prov. 24. quamvis multi de die censeant non esse de textu. Et iterum cap. 16. *in multis offendimus omnes*. Imò S. Joannes ultra progreditur, & dicit: *si dixerimus quoniam peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra*. Quamvis autem tam facilè in veniales culpas cadamus, caveamus summoperè ne eas contemnamus, vel ut aliqui non verentur, dicamus, tantum est veniale peccatum: quia qui tales sunt, nesciunt quid dicant, nec considerant quòd equidem sint veræ offensæ Dei nostri & summi boni, non considerant mala quæ causant, non perpendunt punitionem etiam levioribus peccatis debitam.

12. Profectò si quisquam seriò consideraret ocu-  
lo Fide illustratus, quis per peccatum, quamvis veniale tantum, offendatur, nempe Deus & summum bonum, eumque timeret atque amaret, numquam peccata venialia parvi faceret vel contemneret. Sciret enim quòd offensa crescat ex dignitate offensi & vilitate offendentis. Proinde id noverat mellifluus Bernardus, qui proinde sic Deum alloquitur: *singuli illiciti motus animi mei, sunt quedam in te Deus convicia, utpote iracundia motus in mansuetudinem tuam, invidia in charitatem, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cænofo lacte prurientis pectoris mei, etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui*. Hinc apud Theologos maxima est indubitata, quòd minimum malum culpæ toto ordine superet omne malum poenæ. Ex quo ulteriùs consequens est, si potestas optioque daretur aut venialem committendi culpam, aut in æternum omnia inferorum supplicia perpetiendi, omnibusque Cœli deliciis carendi, ex rectæ rationis dictamine hoc, seu æterna damnatio deberet præligi.

Bern. Episc.  
42. ad Henr.  
Archiepisc.  
Senonens.

13. Sic modò sentiunt & consentiunt omnes in Cœlo Beati, qui de factò omni gloriâ, quâ perfruuntur, se privari, summaque cum alacritate ad inferos se præcipitari paterentur, quàm vel minimum veniale in se admitterent. Undè hoc sensu, quatenùs peccatum Deum qui eo offenditur respicit, dici potest nullum reperiri peccatum leve: quia, ait S.

S. Hier. Ep. Hieronymus, *an possumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur?* Undè,

14 ad Celant. sic subdit: *est ille prudentissimus, qui non tam considerat quantitatem imperii, quàm imperantis cogitat dignitatem.* Ex his & similibus verissimè infert Gerson famosus ille Cancellarius Parisiensis: *potius toleranda esset omnis mors pœnalis, cogitemus quid in primitiva Ecclesia gloriosi illi Martyres, imò Jesus Christus in acerbissima sua Passione perpeffus sit, equidem omnia illa potius toleranda essent, & annihilatio omnium creaturarum, quàm committenda esset, quantumlibet parva offensa in Deum.* Non spernamus ergo peccata venialia, quæ quantumvis venialia sint, ait S. Augustinus, tamen nostrum decus exterminant, & animam inquinant, eamque velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie repellentia faciunt, ut eam ad complexus illius Sponsi Cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.

Aug. de S.  
Ser. 41.

14. Quid jam dicemus, si attendamus ad pœnas quibus se homo etiam propter venialia tantùm imprudenter exponit? Regula est apud Deum generalis, ait S. Bernardus, *nullum bonum apud Deum esse irremuneratum, nec aliquod malum impunitum: & sicut capillum de capite, ita nec momentum de tempore periturum.* Concordat per omnia S. August. in Psalm. 50. ubi dicit: *iniquitas hominis parva, magna sit, puniatur necesse est, aut ab ipso pœnitente, aut a Deo vindicante.* Quàm graviter autem Deus etiam in hac vita interdùm puniverit sola peccata venialia, satis ex ipsa S. Scriptura colligere licet. Quid inter hujus vitæ supplicia gravius censetur

S. Bernard.  
declam. super  
Ecces nos.

quàm mortis inflictio? hanc equidem à mirissimo vindice Deo, non semel pro veniali culpa etiam maximis suis amicis ac servis fidelissimis inflictam fuisse legimus.

Numquid hoc patuit in Moyse & Aaron, qui ob levem inobedientiæ culpam terrâ promissionis lacte & melle manante exclusi, ac morte puniti sunt? ob culpam, inquam, venialem, prout sentiunt SS. Basilius, Augustinus, Anastasius, Abulensis, Bonfrenus & alii apud Cirium. Quod admirans S. Basilius, exclamat: *cùm videro Moysen illum Dei servum, illum inquam magnum, qui tali ac tanto à Deo dignatus est honore, nempe qui cum Deo loquebatur, ut solet amicus cum amico, & tot mirabilia operabatur, propter hoc solum non intraturum in terram promissionis, cùm videro ergo eum rogantem & non impetrantem, cùm videro nullam propter tot reatè & præclare gesta veniam assecutum, ob illud breve verbum, reverà video quidem Dei, ut dixit Apostolus, severitatem, &c.*

15. Vultis plura N.N. quid apud homines magis vulgare, quàm mendaciū officiosum vel luctosum? quis hoc magni facit? & tamen Ananias ac Sapphira, ob mendacium veniale dumtaxat, prout æstimant SS. Augustinus, Hieron. Damian. Dionysius Carth. Salmeron, & alii, repente mortui corruerunt. Nonne Oza dum Arcam jam labantem non debitâ satis religione ac reverentiâ sustentavit, subitâ morte à Deo percussus corruit? nonne uxor Loth, quòd semel caput muliebri levitate aperto campo obvertèrit, tremendo illo ac inaudito supplicio, quod usque ad nostra tempora perseverat, punita fuit? illi tamen tantùm leviter deliquisse à plurimis asseruntur, atque in eum finem, ut gravissima peccati etiam venialis Dei punitio probetur, illa exempla à S. Chrysofomo referuntur.

Addamus & factum quod sacra Script. refert Num. c. 15. de eo, qui ligna collegerat die Sabbathi, & proinde ex Dei mandato, ab omni populo la-

pidibus obrutus est, de quo S. Isidorus sic loquitur. *est ob exiguum peccatum, saxis tamen eum obrui iussit, qui die Sabbathi ligna collegerat.* Quid hodie in familiis reperitur familiarius? quis Dominicis & Festivis diebus domum non everrit? numquid eo tempore barba raditur? numquid ancillæ, quibus per hebdomadam vix momentum otii indulgetur, diebus Dominicis & Festis vestes refarciunt? dices, peccata sunt modica & venialia: quis sine iis vivat? verum est, (nisi necessitas vel alia ratio malitiam abstergat) sed equidem peccata sunt & vere Dei offensæ, quæ ipsi displicent, sicut & Angelo Custodi.

16. Cogitate N. N. S. Franciscam, quæ sæpissimè familiaritate Angeli sui Custodis fruebatur, & sanctissimam simul ac purissimam vitam ducebat, tamen ob exiguum temporis inutiliter perditum ab illo validam alapam excepisse. Bone Deus! si hodie puellis, quæ tot horis ad crystallum, tantum temporis vanis & inutilibus sermonibus, ne dicam detractoriis, indecentibus, & minùs honestis, sine scrupulo terunt, si inquam illis omnibus hodie alapæ impingerentur; bone Deus! quot lividis ac rubicundis genis in domibus, in plateis, imò & in Templis Deo sacratis notarentur!

Si modò adderem quòd levem aliquam curiositatem aut vanitatem quamdam aliquot millia hominum horrendâ morte luerint, numquid vobis incredibile appareret? hoc equidem factum ex SS. Litteris constat, & patuit in clade illa, divinâ manu, exercitui regio illatâ, dum intra paucas unius diei horas ad septuaginta millia virorum in Jerusalem tempore Davidis Regis peste extincta leguntur. Hæc dum auditis, quid flagitii Davidem admisisse arbitramini? an in alteram Bethsabeam lascivos conjecisse oculos? an novum adulterium, novum commississe homicidium? minimè gentium. Causam ergo attendite. David curiositate ductus, exercitum lustravit, Populum censuit, in quo venialiter tan-

tum peccasse, multi arbitrantur. Nimiùm excurrat Oratio, si diurnos morbos vel gravissimos cruciatus enumerem, quos plures amici Dei ob levissimas culpas, sic Deo volente, incurrerunt. Non ignoratis ob parvam murmuratiõem, Mariam Sororem Moysis leprâ percussam, Lazarum mendicum famelicum adinstar Job ulcere pessimo ob leves defectus à Deo percussum, ut disertè docet S. Chryostomus Tom. 3. de Lazaro.

17. Quid autem dicetis N.N. si his pœnas & ignè purgatorii adjungamus, quibus animæ pro levibus culpis, nisi in hac vita pro iis satisfecerint, infallibiliter immergentur? de quibus tamen dicit S. Augustinus supra: *gravior eris ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Quid vobis videtur, an parvum malum vel modicum dici potest, quod cruciatus aded acerbos, ignem tam luculentum homini accendit? an parvi faciendum diceretis, si puellam teneram & nobilem unâ horâ in fornace arden- ti vivam ustulari, idque jussu dilectissimi sponsi videretis? numquid is tyrannus & rabidus audiret, aut culpa mirû in modum ei displicere crederetur? quis dubitat? ecce animæ quæ in gratia Dei ex hac vita abreptæ sunt, hæredes sunt Regni Cœlestis, & dilectissimæ Sponsæ Sponsi illius cœlestis, & tamen propter leves culpas, quibus in hac vita non satisfecerunt, nedum ab amplexu sponsi retardantur, sed & illo igne cruciantur, ubi teste S. Augustino, in comparatione ignis hujus elementaris, hic tantum ignis pictus respectu illius dici debet. *Hinc, ait S. Greg. unusquisque colligat, quid illi passuri quos reprobat, si sic cruciat quos amat.* Ergo horrendum est peccatum veniale, cum ita à Deo puniatur: non tantum, sed etiam, quia est dispositio periculosissi- ma ad peccatum mortale. Hoc ut explicemus, sit

Greg. 1, 3,  
Mor, 6, 42

18. **E**xplicavimus parte I. quomodo peccata **PARS III.**  
venialia, in quantum venialia, etiamsi in infinitum multiplicarentur, tamen omnia simul, non possent facere unum mortale; propterea equi- dem non est falsum illud Ovidii,

*Qua non possunt singula, plura necant.*

Aug. l. 10.  
chordit, c. 11.

Non formaliter, sed causativè, seu ut iustriùs le-  
quar, *dispositivè*. Unde de venialibus sic loquitur S.  
Augustinus: *quotidiana sunt ista qua dico, sed tamen*  
*peccata sunt, & non sunt levia, quia plura; quia veri*  
*quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudi-*  
*nis etsi non magnitudinis. Proinde, ait idem ibid. c. 12.*  
*attendite fratres mei: minuta sunt, non sunt magna,*  
*non est bestia sicut Leo, ut uno morsu guttur frangat, sed*  
*bestia plerùmque minuta multa necant: si projicitur*  
*quis in locumpulicem plenum, numquid non moritur*  
*numquid Antiochus, Herodes, Maximilianus, Hume-*  
*nericus & alii vermibus ac pediculis consumpti le-*  
*guntur? per venialia ergo anima non occiditur quid-*  
*dem, tamen vulneratur: attendite Christiani, ait O-*  
*rigenes, anima quoties peccat, toties vulneratur: o*  
*si possemus per unumquodque peccatum videre, quomodo*  
*homo noster interior assiduè vulneretur! vulneratur*  
*per linguam anima, vulneratur & per cogitationes,*  
*& per concupiscentias malas. Qua si omnia videre*  
*possemus, & vulnerata anima cicatrices, certum est*  
*quod usque ad mortem resisteremus adversus peccatum.*  
Sicut ergo multà minuta vulnera ad mortem  
corporalem disponunt, & sic eam interdùm causant,  
ita habent se interdùm venialia respectu mortis ani-  
mæ. Vultis scire quomodo? Explico me.

Orig. hom. 8.  
in Num.

19. Imò verò explicat illud S. Thomas, dum al-  
ludens ad similitudinem datam de morte corporali  
dicit: *ita multa venialia peccata dispositivè causant*  
*mortale. Quod ut meliùs concipiatur, notandum est,*  
quòd peccatum in generali secundùm S. Augustinum  
sit, *dictum, factum vel concupitum contra legem aternam:*  
& sic in omni peccato duo concurrunt, scilicet  
materiale, seu ipsum dictum, factum vel concupi-  
tum, & hoc cum homine, in quantum aliquid est,  
efficit Deus, cùm enim nihil sine Deo concurrente  
fieri possit, necessariò Deus debet esse concausa il-  
lius. Sic adulterium, furtum, &c. in quantum est  
actio Creaturæ, concurrat Deus, & illius causa est.

Sed

Sed in quantum est secundum formale consideratum; seu in quantum illa actio opponitur Legi Dei, & caret rectitudine debitâ inesse, (in quo formale peccati consistit) nullo modo Deus est causa, sed tantum permittit libero arbitrio exercere actiones suas. Nihilominus, sano sensu Deus dici potest interdum causa peccati *permissiva* scilicet; quatenus unum peccatum causat aliud, seu in quantum Deus propter hominis ingratitude[m], quâ toties gratis divinis abusus est, auxilium quo peccatum vitaret, justè subtrahit, non quidem sufficiens & necessarium, sed efficax vel abundanter sufficiens, quod nemini dare obligatur. Hoc sensu ergo, ad propositum nostrum intelligendum est illud S. Gregorii: *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, max suo pondere ad aliud trahit, & gravius trahit.* Eodem sensu intelligatur & illud Sapientis: *qui spernit modica, paulatim decidet.*

Ecclesi: 101

20. Itaque nonnisi dementer aliquis dixerit se non obligari nisi ad vitandum peccatum mortale, (quod tamen sano sensu verum est) & propterea quod se neglectum habere possit circa alia, quæ sola venialia existimat; justè tam dementer loquenti responderet Deus: sed nec ego teneor ad multiplices gratias & auxilia, quibus protegaris & custodiaris. Vade ergo insipiens homo: quia & ego relicto quidem necessario & sufficiente auxilio, sublimiorem illam & efficacem gratiam tibi ingrato merito subtraham. Et quid inde fiet N.N.? hoc profectò, ut in lubrico facile cadamus, atque inter hostes capitales agentes & divinæ protectionis singulari clypeo orbati, vulneri facile locum demus. Reverà justa ingratitude[m] erga Deum pœna est, ut qui non aliud facere vult quam id, ad quod strictè obligatur, non etiam à Deo (substracto speciali favore) nisi gratiam & auxilium ordinarium accipiat. Hoc erat quod olim S. Catharinæ Senensî Deus voluit indicare, quando ei dixit: *ô filia esto mei sallicata; & ego ero tui.* Qualiter se Deus erga omnes homines habet;



nempe ut, sicut nos gerimus erga illum, ita & ipse erga nos: proinde si ejus gloriæ & obsequio advigilemus, ipse vicissim nostræ protectioni & gratiæ intendat.

21. Sic ergo quamvis peccatum veniale non spoliât hominẽ gratiâ divinâ & charitate, imminuit tamen charitatis fervorem, devotionis alacritatem & facilitatem illam tollit, ut via Dei & mandatorum ejus cum delectatione percurri possit. Iterum licet non deflectat omninò à via, ut aberrare faciat; retardat tamen, & per circuitus gressus nostros inflectit, & nos torpentes efficit. Uno verbo disponit nos ad peccatum mortale, quia *qui spernit modica, paulatim decidet*. Quid est arena N.N.? numquid minimũ quid est? multæ tamen arenæ in cumulum elatæ effræni mari pro muro sunt & ingentes interdum naves arena obruit. Ad hoc in proposito alludere videtur S. Augustinus, quando dicit, *peccata venialia minuta videntur sed multa sunt: prævisti magna, jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris, projecisti molem, vide ne arenâ obruaris*. Quid diceretis N.N. de Naclero, qui sciens & volens permetteret aquas per rimulas navim ingredi, has quòd parvæ sint, contemnens, cùm tamen ab initio subintrantem aquam impedire aut evacuare facilè potuisset, & sic cum navì submergeretur; sic qui venialia parvi faciunt, procedunt respectu animæ suæ, ac idem ipsi imminet periculum. Nunc autem, ait S. August. *quid interest ad naufragium, utrùm uno grandi fluitu navis obruatur, aut paulatim subrepens aqua insentinam, navim impleat & submergat?*

22. Proinde hoc ne fiat, per frequens conscientiæ examen, & exactam confessionem peccata etiam venialia evacuanda sunt, ne multiplicata ad mortale nimis periculosè disponant, ita ut tandem animæ navicula ob incuriam periclitetur vel naufragium patiatur. Imò S. Gregorius propterea dixit ex aliqua parte culpas leves periculosiores esse gravibus, eò quòd graves melius agnoscantur, atque idcò cit-

Aug. in  
Psal. 39.

Idem. Epist.  
108.

Greg. 3. p.  
Past. monit.  
34.

cum spectiores simus ad eas vitandas, & citò corrigantur dum in ea cecidimus: sed leves, dum non agnoscimus, nec cavemus, & dum in his, eas contemnentes hæremus, magnæ sunt de parvis. Idem docet S. Chryostomus his verbis, quæ notari merentur: *mirabile quidem & inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnumquam videri, non tanto studio magna esse peccata vitanda, quanto parva & vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: hac autem, quia parva sunt, desides sumus; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosus insurgere. Valdè citò ex parvis, maxima fiunt negligentia nostrâ.*

S. Chryf.  
h: m. 87.  
in Marth.

23. Duplex tamen in hac materia error capitalis & animabus admodum perniciosus evitandus est, & antequam huic Concioni simul & Tomo coronidem imponamus, de utroque populus præmonendus est. Primus est eorum qui venialia peccata frequenter quidem confitentur, sed sine debita contritione & displicentia, nec satis firmo concepto proposito eadem imposterum absolutè evitandi.

Hinc fit ut similes frequenter à sacro pœnitentiæ Tribunali redeant, illudque frequentent non solum non mundati, sed etiam quandoque magis maculati, cum nulla sit confessio, ubi pro absolutione non est debita & requisita dispositio, quæ juxta Theologos tunc minimè adest, quando venialia sunt tota materia confessionis & ea confessioni subjiciuntur ex arida quadam consuetudine cum quadam solummodo velleitate, sine vero & firmo emendationis proposito, & per consequens sine vera contritione vel attritione, quæ ad Sacramenti validitatem necessaria est. Sed de his plura in 4. & 5. Tomo Deo favente, pro nunc notetur quòd similis dolor ad validitatem Sacramenti non sufficiat, sicut nec ad custodiam mentis, sed vera debet adesse peccatorum displicentia & firmum emendandi propositum, quibus janua mentis, tamquam excubitoribus, custodiri debet, ne animæ hostes improvisò arcem

illam aggrediantur, capiant & pretiosa quæque illius dona gratiæ diripiant. Sciunt, qui S. Scripturam non nesciunt, quomodò Isboseth, dum Palatii sui custodiam ancillæ confidit, eâ obdormiscente miserè trucidatus sit. Sic hæc historia refertur I. Reg. cap. 4. Ad propositum in sensu accommodatio sic de ea loquitur S. Gregorius: *nequaquam morte accubisses, per insidiosos admissos dum dormiret, si non ad ingressum domûs mulierem, hoc est mollem custodiam ad mentis aditum deputasset: fortis namque virilisque sensus præconi cordis foribus debet, quam nec negligentia somnus opprimat, nec ignorantia error fallat.* Undè reflectant illi, qui quasi quotidie confitentur, & semper iidem sunt ac in eadem peccata, etsi nullatenus contrantantur, cadunt & reincident.

24. Alter error est eorum, qui proptereâ negligunt, si non contemnant, per pœnitentiam & confessionem venialium remedium quærere, quòd statim postea in eadem peccata, eademque infirmitates reincident. Sed quibus illos similes dixerim, nisi iis, qui linteamina sua lavare negligunt, ex eo quòd usu iterùm sordidanda sint. Sed quid insipientius excogitari potest? potius sic argumentari deberent: linteamina nostra ad usum quotidianum necessaria quotidie sordidantur, ergo quotidie lavanda & emundanda sunt, ne nimium sordescant, & postea vix, aut nonnisi cum summa difficultate mundari possint. Si petatis, quid his intendam, dico paucis, quòd hoc solum, nempe quòd solliciti esse debeamus, quantum in nobis est, ut à peccatis etiam quotidianis abstinemus, & consistentes firmum ad evitanda ea cum auxilio divino propositum eliciamus: nec tamen proptereâ pusillanimi effici debemus aut animo concidere, aut nimiam & excessivam anxietate concuti & fluctuare: sed cum diligentiam adhibemus, & nihilominus cadimus, nec perfectam puritatem vel assequimur vel conservamus, tunc considerare debemus vitam nostram ab eo tempore,

Greg. lib.  
v. Moral. c.  
39.

quo ab illo innocentiz perfectæ statu excidimus ,  
 corruptionem, infirmitatem & instabilitatem secum  
 vehere , ut proinde vita nostra non nisi perpetuus  
 quidam casus sit & resurrectio , sordidatio & deal-  
 batio , infirmitas & sanatio.

25. Hinc est quòd mortalis hæc vita non incon-  
 gruè comparetur domui cuidam luteæ , quæ terre-  
 num habet fundamentum , cùm sensim ex ea aliquid  
 collabescat , continua etiam ejusdem requiritur re-  
 paratio. Quid ? nonne experientia docet , quòd do-  
 mus licèt à peritissimis Architectis fabricatæ , suc-  
 cessu tamen temporis semper aliquid damni patian-  
 tur ? nunc è tecto tegulæ aliquæ decidunt , nunc  
 aliquid de pariete decedit , mox vitreæ fenestræ dis-  
 solvuntur , alio tempore lapis aut lignum conteri-  
 tur. Sed quid inhabitator facit ? an propterea mox  
 turbatur aut domum deserit ? absit : sed è contra  
 Latomum vocat aut Vitrarium aut Tegularium , &  
 quid vetustate aut casu corrui , sollicitus reparat ,  
 & quantum potest , domum sartamentam custodit,  
 quotiesque novum damnum patitur , toties & no-  
 vam curam adhibet. Non ab simili modo N. N.  
 procedendum est cum spirituali animæ ædificio ,  
 atque idè non oportet turbari aut desperare , aut  
 eam negligere si continuo à vento tentationis &  
 damno peccati venialis non possit immunis custo-  
 diri , sed continuâ sollicitudine defectus sunt repa-  
 randi. Hanc similitudinem adfert & ita explicat S.  
 Chryl. Cogitemus N. N. quòd simus mortales, cadu-  
 ci, thesaurum gratiæ in vasis fictilibus portantes. &  
 tunc tandem induemus immortalitè quando semel  
 hanc mortalitatem exuerimus. Sed ut finiam , sit

26. **E**cce N. N. nunc vidimus quid sit peccatum  
 veniale , & quomodò à mortali distinguatur.  
 Vidimus quomodò , quamvis mortem animæ non  
 inferat , quot & quanta mala in illa tamen produ-  
 cat. Vidimus quàm horrendè etiam in hac vita a-  
 liquando à Deo fuerit punitum. Vidimus denique  
 quomodò sit periculosissima dispositio ad pecca-

EPILOG.

tum mortale, dum *qui spernit modicam, paulatim decedit*. Quæ cum ita sint, omni studio, nedum gravia, sed & levia quæque peccata, quantum in nobis est, & infirmitas humana permittit, sollicitè evitare, & Legem Dei, quam perfectissimè observare studeamus, de qua Deus per Sapientem, sic voluntatem suam manifestat: *serua legem meam ut pupillam oculi*. Sed quid hoc, *ut pupillam oculi*? illud explicat Salvianus hoc modo: *perfecta & sincerissima sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissimè etiam minima vitari, ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita*. Utinam! ô utinam! & anima nostra oculo similis sit, in quem si pulvis vel palea se insinuet, derepentè lacrymatur, & manûs opem efflagitat; ac impatiens & inquietus conqueri tamdiu non cessat, donec ipsâ doloris molestiarumque causis liberetur.

27. Interim licet homo in terra habitans & inter mortales conversas humano pulvere non possit non interdum sordidari, dum *in multis offendimus omnes*, & attestante S. Joanne, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Equidem continuo malo continuum paratum habemus remedium: hinc S. Joannes subdit: *si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & justus ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, dum ea nobis displicet, & ad pœnitentiam recurrimus*. Si ergo, ait S. August. quotidiana sint peccata, & penitens ab iis liberari in hac vita non possumus, *semper confitere, quia semper habes quod confitearis: difficile enim est in hac vita, ut sic homo mundetur: ut nihil inveniat in se quod consistatur*. Huic rei sollicitè invigilabit, quisquis profectum in virtutibus facere sataget, quisquis periculum Dei gratiam & amicitiam perdendi formidabit, quisquis Deum diligere, eum timere, oculis divinæ Majestatis non displicere intendit. Quid dices, an per venialia oculis Dei anima fidelis displiceret? supponit S. Aug. & quomodò displiceret, ex eo repeto: venialia,

Prov. 7.

Salvian. lib.  
3. de Provid.

1. Joan. 1.

S. Aug. in  
Psal. 99.Aug. de SS.  
Sermon. 41.

**Inquit, nostrum decus exterminant, & animam inquinant, eamque velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt, ut eam ad complexus illius Sponsi cœlestis aux vix aut cum grandi confusione venire permittant.**

28. Novit sponsa cœlestis, id est anima fidelis sincerè Deum diligens, novit malignitatem grani illius sinapis, quod quantumvis parvum, magnam tamen & incredibilem in se continet amaritudinem, ita ut ex oculis Sanctorum toties lacrymas abundanter expresserit, undè amore Sponsi sui cœlestis ardens exclamat: *capite nobis vulpes parvulas, qua demoliuntur vineas.* Sed quænam sunt vulpes illæ parvulæ, nisi parvæ culpæ seu peccata venialia? quæ hominibus parum detrimenti inferre videntur, sed videntur erroneè, dum illa non rarò animæ nostræ vineam deturpant, spoliant, penitusque devastant, dum animæ vires ad in virtute proficiendum si non destruant, enervant tamen multùmque diminuunt, atque ita efficiunt, ut spiritualis animæ nostræ vinea infructuosa reddatur ac infertilis, Cœlumque claudatur, ne gratiarum pluviam & divinorum Charismatum rore irrigetur. Quid ergo? *Beatus*, clamat David. Sed quis beatus? *Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* Per parvulos parvula peccata non incongruè intelliges. Sed quomodo allidentur ad petram, & quænam est illa petra? *Petra autem erat Christus.* Petra est in Sacramento Pœnitentiæ, ut ibidem nedum peccata illa collidantur, sed & virtus, & fortitudo, & vires subministrantur, ne amplius nobis prævaleant. Recurramus ergo frequenter ad Petram illam, indulgentiis, orationibus, eleëmofynis vulpulas illas suffocemus, ut ex hoc sæculo decedentes non diu ab amplexu Sponsi cœlestis separemur, sed statim Dei præsentiam & amplexu beatifico numquam finiendo frui valeamus, quod mihi, quod vobis, quod omnibus clementer ac misericorditer concedat Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus. **A M E N,**

Cant. 12

Psal. 136.

F I N I S.











